THEOLOGICI TRACTATUS EX SACRIS CODICIBUS, ET SANCTORUM PATRUM...

François Feu




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
21 0
3 M

THEOLOGICI
TRACTATUS
EX SACRIS CODICIBUS, ET SANCTORUM PATRUM MONUMENTIS EXCERPTI.

Operâ FRANCISCI FEV *Arverni, Doctoris Theologi Sacræ Facultatis Parisiensis, & Pastoris SS. Gervasii & Protasii.*

TOMUS PRIMUS.







PARISIIS
Apud JOANNEM BOUDOT viâ Jacobæâ ſub Sole Aureo.

M. DC. XCII.


Cum Privilegio Regis Christianiſſimi.

THEOLOGICI TRACTATUS

EX SACRIS CODICIBUS, ET SANCTORUM PATRUM MONUMENTIS EXCERPTI.

Operâ FRANCISCI FEU *Arvernis, Doctoris Theologi Sacræ Facultatis Parisiensis, & Pastoris SS. Gervasii & Protasii.*

TOMUS PRIMUS.







PARISIIS

Apud JOANNEM BOUDOT viâ Jacobæâ sub Sole Aureo.

M. DC. XCII.

Cum Privilegio Regis Christianissimi.

ERRATA.

Pag.	Lin.	Err.		Lege
80	14	Is. c. 41		c. 42
	30	Ps. 138. c. 8		v. 8
81	4	S. Ambr. l. 1. de fide c 4 & 7		c. 4 & 16
	5	lib. de dignit. animæ		l. de dignit. condit. humanæ
	36	S. Aug. ep. 57. l. 7	dele	l. 7
90	22	Theoph. Antioch. l. 1 c, 72	dele	c. 72
95	13	1. Cor.		2. Cor.
	21	S. Iren. lib 4. c. 35		c. 37
	29	S. Epip. hær.		s. Epiph hær. 70
	35	S. Aug. l. 4 de civ. c. 17		l. 14 c. 25
96	26	Retulimus 3. art 1.		Retulimus q. 3. art. 1.
97	9	S. Aug l. 83. q. 14		s. Aug. l. 83. qq. q. 15
	13	expositiones		verba
	18	Jerem. 32. v. 1.		v. 19
98	2	lib. 83 q 14		l. 83. qq. q. 15.
	31	cognitio totum	dele	totum
100	27	Apoc. 2		Apoc. 12
101	28	docent		docet
103	11	idem	dele	
105	28	martyrium		martyrum
109	22	S. Aug. l. 12 de civ. c 11		cap. 1. mox citato
112	28	s. Amb. l. 1. de fide		lib. de fide orthodoxa
113	5	inflexisse		inflixisse
	17	superat		super erat
	21	ordine fit	dele	fit
114	5	num fit		cum sit
	50	ageret	adde	Deus
115	6	videri posse		videre posse
117	8	2. Cor 5. v. 8		v. 7
	30	Phil 2		Phil. 1.
	44	v. 56		v. 50
118	14	dial. 9	dele	9.
119	27	confirmatur	adde	à sulpitio
121	13	ep. 59. ad Thessalon.		15 Numerio
122	21	serm. de S. Malach.		serm. 2
	22	epist. 226		266
125	16	matris		nostris
	22	cap. 28		cap. 22
126	32	cap. 23		cap. 24
128	15	lib. 10		lib. 20
	31	epist. 112		epist. 162
129	1	c. 55 & 64	dele	64
	2	Lact. l. 7. c. 2 & 14	dele	c. 2
130	1	Orig. lib. 12. de princ.		l. 1. & 2
	30	s. Hil. in Ps. 24		in Ps. 124
	45	adhuc futuri	adde	judicii
131	30	s. Aug. ep. 299		epist. 99
	38	s. Aug. l. 20 de civit.		lib. 2.
132	22	s. Aug. l. 20 de civ.		lib. 2.
136	20	Rayn. ad an. 1341.		1331.
137	5	num. 44.		num. 45
141	34	Apoc. 22 v. 4		v. 5
143	10	S. Aug l. 4		lib. 14
	28	S. Anselm. l. 20 c. 2		lib. 2. c. 10
144	33	1. Cor. 8		1. Cor. 3 v. 8
	35	v. 31		v. 41 & 42
145	18	S. Iren. l. 1. c. 72	dele	c. 72
	30	S. Hier. l. 20 cont. Iovin.		lib. 2
146	38	S. Greg. M. l. 35. Mor. c. 25		c. 14
149	17	1. Cor. 3		1. Cor. 13
	26	S. Greg l. 4. dial. c. 34.		cap. 35
150	29	S. Greg. l. 12 Moral. c. 17		cap. 14
152	11	epist. 118		epist. 6
	18	se autem		te autem
155	8	l. 5. de Trinit. c. 9.		cap. 10
156	23	l. 11. c. 16.		l. 15. c. 16

ERRATA DE SS. TRINITATE.

Pag.	Lin.	Err.	Lege
3	23	attenderet	ostenderet
6	35	potest	posse
9	25	icitur	dicitur
14	13	p rohinde	proinde
16	30	prolativum	prolatitium
17	26	ita professus	professus est
66	34	s. Thomæ sensu	à S. Thomæ sensu
83	43	lib. c. Marcion.	lib. 1 contraMarcionem
85	42	non stet	constet
116	26	sed quid autem inde	sed quid inde
123	19	postea genuisse	posteà Patrem genuisse
124	24	extabat	extat
131	37	eum	se
181	3	definitio	definitio
ibid.	42	enarre promittentes	enarrare promittentes
191	10	reproducta	re producta
196	15	in spiritus	in spiritu
197	34	opposio	opposito
203	28	spiritus pariter procedere	spiritus procedere
207	30	præpositionibus	propositionibus
ibid.	39	præpositiones	propositiones
239	12	caritatem	claritatem
242	2	diaborum	diabolorum

AD
THEOLOGIÆ
CANDIDATOS.

DE OPERIS,
& Studiorum ratione.

QUI MORES ET FACTA SCRUTANTUR aliorum, arguent dubio procul, damnabuntque Sacerdotem ſcribendis libris occupatum eo tempore, quo gregem ſibi creditum verbo paſcere deberet opere ſimul & exemplo. Ad quid enim, inquient tot conſarcinata, tot interpolata Theologiæ volumina conferunt, niſi ut cum jacturâ temporis, Studentium labor augeatur & dolor, novique oneris fiat acceſſio? Verùm ſi conſilii mei rationem paulìſper attenderint, non ſolùm veniam dabunt, ſed unà probabunt conſilium: nec aptiorem forte ullam tractandæ Theologiæ rationem eſſe ſuſceptam, nec indignam Paſtore fatebuntur. Neque enim rivulos conſectamur; ſed ad fontes recurrimus, hoc eſt, ad Codices ſacros, & Antiquitatis venerandæ monumenta, ex quibus varias in Scholâ non traditas quæſtiones hauſimus; tradi verò ſolitas authoritate adeò colendâ firmare conati ſumus, quamvis ad Logicæ leges, ſeu ad laudabilem Scholæ formam exigamus omnia. Eâ ratione conficimus eam Theologiam, quam commendarunt Sancti Patres; Theologiam, quæ nihil docet, niſi veritatem; nihil præcipit, niſi charitatem; nihil ſpondet, præter felicitatem.

Tantùm abeſt igitur, ut huic incumbentes operi deſeramus Paſtoris officium, quin potiùs illud præſtemus imprimis, & iis potiſſimùm, quibus illud debemus maximè: nimirùm informandi ſunt Operarii, quos Cœleſtis Agricola miſſurus eſt in vineam; inſtituendi ſunt Clerici, Ovilis noſtri portio præcipua; è quorum ore, Dei legem aliquandò requirant Populi. At quomodò requirent? niſi eorum labia cuſtodiant ſcientiam, quæ deſursùm eſt, nec aliundè derivatur, quàm ex illis divinitùs inſtitutis principiis, Verbo Dei ſcilicet, ſcripto & tradito. Sic quia Magiſter unicus eſt, noſque vocari Magiſtros vetat unà cum Joanne, Diſcipulos mittimus ad Chriſtum, ut audiant ipſimet verbum, & accipiant ſinguli doctrinam ejus; ſicque ſperamus fore, ut optimi fiant aliquandò præcones, qui priùs auditores fuerint, cultoreſque veritatis.

Et quoniam ſine uſu langueſcit omne ſtudium Litterarum; idcircò, ne vanus ſit labor noſter, jugi exercitatione acuimus Candidatorum ingenium, probamus vires, exploramus induſtriam; ut, dum alternis reſpondet unus, & arguunt cæteri; dum ter in hebdomadâ ſtrenuè propugnat alius, quod reliqui certatim oppugnant; tandem poſt crebras oppugnationes & acutos ejuſmodi velitationibus animos, ſint paratiores, tùm ad reddendam Fidei rationem, tùm ad implendam ſacræ Facultatis expectationem.

Verùm quid proderit uſus, & illa jugis exercitatio, ſi deſit delectus librorum & argumentorum; ſi deſit ordo ſeu methodus, hoc eſt, recta ratio Studiorum? Vagum igitur nolumus ſtudium & inſtabile; nolumus interruptum & abruptum. Volumus certis libris, & argumentis, ſtatis temporibus, Theologiæ Candidatum immorari, iiſdemque innutriri, ut poſſit aliquandò trahere, quod animo fideliter inſideat. Faſtidioſi ſcilicet & ægrotantis eſt ſtomachi ſimul deguſtare plurima, quæ ſuâ varietate mentem inquinant, non alunt. Quamobrem ne longiùs excurrat, præfigimus limites, ac veluti repagula, quibus Candidati contineantur in obſequio fidei, & in debitâ Eccleſiæ obſervantiâ perſeverent; ac ne curſim properantes prætereant meliora, ne levioribus oleum tempuſque perdant, amputamus noxia, reſecamus inutilia, vana prætermittimus; nec ſumus ſolliciti, quid de rebus ex Philoſophiâ

petitis senserint Scholæ Magistri isti; quid statuerint alii: & hæc excutient, si libeat, cum per otium licuerit, si fidem nobis placuerit non negare. Post emensa diligenter Philosophiæ spatia, pręcipuam ponent operam in ediscendis Dogmatibus Catholicis, quod pręstari nequit absque optimo duce, ac perito viæ magistro, qui per syrtes & scopulos, per vada tot juvenum cladibus & naufragiis nobilitata, salvos & incolumes ducat ad portum sine periculo novitatis, sine damno veritatis. Felices Discipuli, quibus dux ejusmodi divinitùs obtigerit; sed quoniam rarus est, hâc præsertim ætate, in quâ plerique ponunt fortunæ mensam, & libant super eam, pauci Scripturæ sacræ consilium ex Antiquorum lectionibus dant operam, quibus non dati sunt, in illis laboribus & studiis versati. Author sum, ut ad divinas Litteras juxta unanimem Sanctorum Patrum consensionem expositas, tanquam ad sacram confugiant anchoram, huic inhęreant firmiter, illisque quotidianum hocce pensum præscribimus. Tria singulis diebus Scripturæ capita summo studio, singulari modestiâ & veneratione legant, captivantesque intellectum in obsequium fidei, nihil properè, nihil temerè, nihil suo sensu & arbitrio definiant; ex hâc enim temeritate, ac perversâ definiendi libidine tot orti sunt errores, tot opinionum portenta, tot monstra novitatum; dùm salus, virtus, Deus, facta est cuique immanis libido. Hinc infelix illud in agro Christi lolium; hinc avenæ steriles, hoc est; tot Magistri prurientes auribus, qui fabulas secuti, ad gratiam potiùs loquentur, quàm ad veritatem, Christi vineam in olera lasciviæ convertunt, fiuntque Magistri erroris, qui nunquàm fuêre discipuli veritatis.

Hos scopulos non modò declinabunt Candidati nostri, si præscriptum pensum ritè persolvant; sed & universam Scripturam intra annum absolvent, & quolibet trimestri percurrent unum Theologiæ Tractatum; sicque de universâ Theologiâ priùs respondere poterunt, quàm exploratâ à Magistris industriâ admittantur ad ponendum in sacrâ Facultate tyrocinium.

A sacris Codicibus, singulisque Tractatibus, Baccalaureatum adepti, transibunt ad Historiam Ecclesiasticam, ad Conciliorum Patrumque notitiam, quæ ut sit & facilior simul & fructuosior, Scriptores legent antiquos juxta seriem tempo-

tum; quo quique floruerunt. Ac ne inanes & vacui discedant ex hâc Patrum Scholâ, Scriptoris cujusque mentem compendiosè colligent, notabunt insigniora loca, quæ postmodùm ad marginem, & in indicibus tractatuum, ad doctrinæ & morum, ac disciplinæ capita revocabunt, præfixis natalibus, vitâ, morte, dotibus cujuslibet Authoris. Verùm paucis datum est hæc omnia prestare ante Licentiæ stadium cursûs. Quamobrem ne gravius imponatur jugum Baccalaureo; satis erit SS. Clementis Ignatii, Polycarpi Epistolas & Acta Martyrii legere; SS. Justini Apologias & Dialogum; Clem. Alex. Pædagogum; Tertull. Apologeticum, Lib de Prescriptionibus, de Pœnitentiâ, de Baptismo, ad Uxorem, de Coronâ militis, de Pudicitiâ, de Jejuniis; Origenis Libros contra Celsum, Epistolam ad amicos; S. Cypriani Epistolas omnes, & Lib. de lapsis; S Athanasii Apologias, Lib. de Synodis Arimin. & Seleuc. S. Hilar. Fragmenta, Lib. de Synodis, & ad Constantium; SS Basil. & Greg. Nazianz. Epistolas, S. Cyril. Hierosol. Catecheses; S. Epiphanii Lib. de Heresibus; SS. Ambros. August. & Hieron. Epistolas & Tractatus contra Vigilantium, Jovinianum; S. Optatum, & Vincentium Lirinensem. Ex Historicis Eusebium, Ruffinum, Socratem, Theodor Sozom. Theodorum Lectorem, Evagrium Ex Conciliis ferè omnia ad Ephesinum usque, & Oecumenica cætera. Licentiæ gradum consecutus Theologus prætermissa SS. Clementis Alexand. Tertull. & aliorum Veterum opera sibi sumet pari studio evolvenda; quæ notaverit prioribus suis Codicibus adjunget: indè postmodùm quasi è fundo suo accipiet, quæ ad Doctrinæ Catholicæ capita propugnanda, & ad suam, & Catholicæ plebis institutionem poterunt conducere.

Hanc Studiorum rationem, hoc iter ad totam Theologiam nobis olim aperuit S M. N. Antonius Faure Lemovicensis, Theologus Parisiensis, nostri seculi lumen eximium, & sacræ Facultatis decus mirabile, cujus ingenio nihil in Theologiæ ambitu subducebatur. In amplissimâ Litterarum Divinarum serie, in Patrum ordine nihil fugiebat ejus solertiam; nihil erat tam reconditum, quod è latebris non erueret; nihil involutum, quod non retegeret: quod prestabat omnibus tanto affectu, tam facili aditu, tantâ comitate,

ut singulorum votis ejus domus, voluntas, animus, industria, bibliotheca, gratia, crumena paterent; adeò vir religiosissimus, pariter ac doctissimus; adeò totius Ecclesiæ dignitati, & sacri Ordinis gloriæ commodisque serviebat.

Neque verò satis est valere memoriâ, pollere ingenio; requiritur insuper in Theologo morum candor & sanctimonia; requiritur lenitas & mansuetudo christiana: quamobrem à verbis contumeliosis abstinere debet, præsertim si fortè res illi fuerit cum viris catholicis. Doleo interdùm, acerbéque fero, cum video, audio, lego Catholicos ejusdem Communionis vinculo feliciter copulatos, de rebus aut levis momenti, aut certè non definitis, & quæ non pertinent ad fidem, verbis durioribus inter se se conflictari (non mediocri Fidelium scandalo.) Immane quantum! Ab hoc dicendi, scribendi, disputandique genere abhorrebant veteres Antiqui, quibus juxta illud Philipp. 3. v. 18 persuasum erat ambulantibus in Ecclesiæ unitate potuisse Deum id illis revelare, quod aliter sapiebant; nec illis quandoque aperire veritatem, ut eorum patientia, humilitas, & charitas in custodiendâ salubriter pace patescerent non solùm illius temporis Christianis, sed etiam posteris Sicque factum ad medicinalem disciplinam, ut videlicet per illos filios pacis aliquid aliud supereminentius videretur, scilicet quod pro unitate servandâ studium postulat pacis & unitatis author. S. Aug. lib. 1 de unico Baptismo c. 13. & 18.

Si verò pugnandum fuerit adversus schismatum authores, quos nunc Antichristos, modò canes, quandóque nubes sine aquâ, ipsimet vocaverunt Apostoli, vestigiis illis tutò poterunt insistere: cæteris verò in errore natis nefas illis videatur insultare; aberrantium saluti meliùs consulet, qui comitem veritatis sequetur charitatem quàm si viros, qui cum lacte nutrici errorem suxerunt, verbis asperioribus insectetur.

Has lenitatis & concordiæ leges à me violatas esse quis fortasse criminabitur, cum agerem in Socinianos? Quâ quidem in re, fateor, servavi justitiæ, non lenitatis regulas: quænam enim cum hostibus infensissimis & subdolis posset esse mansuetudo? Multi sunt Christianæ Religionis hostes; sed nulli capitaliores, nulli magis versutâ nocendi ratione utuntur, quàm Sociniani; scilicet abutuntur nomine Christiano, ut tanti nominis specie alliciant, seu potiùs decipiant

incautos, à quibus desererentur continuò, si se Philosophos & naturæ solius sectatores aut magistros profiterentur. Detegenda fraus est, nec cum tam pernitiosis hostibus per cuniculos, sed palàm & aperto marte dimicandum: pręmonendique fuerunt diligenter Theologi è Candidatis de familiari Socinianis, & iniquo penitùs Verbi Divini exponendi genere ad eorum tempora.

DE QUÆSTIONIBUS, quæ Theologicis Tractatibus vulgò præmittuntur.

PRO peregrinis haberentur forsan in re Theologicâ, qui Tractatus à nobis conscriptos ediscerent, si de variis, à quibus auspicantur plerunque Scholæ Magistri, quęstionibus silerem omninò, quòd eas non noverit Antiquitas: idcircò paucis referam, quæ fusiùs solent proponi.

Quærunt igitur 1° Theologi, quid sit, & quomodò dividatur Theologia?

Reponunt sermonem esse de Deo, rebusque divinis distinctum à Theologiâ naturali, seu metaphysicâ, & à Theologiâ infusâ; quòd naturalis Theologia ex principiis lumine naturali cognitis conclusiones colligat; ista verò suas ducat ex principiis revelatis: quòd Theologia infusa Prophetarum & Apostolorum animis illapsa fuerit; ista verò labore non modico comparatur. Dicitur alia Positiva, Scholastica altera: prior in uberiori & oratoriâ Fidei mysteriorum expositione constituitur; posterior in logicâ differendi ratione, seu per divisiones, definitiones, strictas argumentationes. Hæc in unicâ veritatis contemplatione si posita sit, speculativa nuncupatur; moralis verò, si morum leges præscribat.

Quęrunt 2° Theologi, utrùm Theologia sit virtus intellectûs, & quænam?

Respondent dubitandi locum non esse, quin sit mentis habitus; cum inclinet ad verum: nec tamen, inquiunt, est intelligentia; quia non versatur circa prima principia immediatè nota. Nec etiam ars est, vel prudentia, ut palàm est.

Scientiam esse non negabit qui attenderit: cognitio enim certa est, eâque longè certior cognitione, quæ rationis ministerio habetur. Evidentem dicunt, non quòd Deum, ut in se est, contempletur; sed quòd evidenter demonstret revelata esse principia, & conclusionum connexionem cum illis esse necessariam.

Nec scientiæ nomen Theologiæ detrahendum est, quòd agat de singularibus, ut de Christo, Deiparâ, Adamo, &c. necnon de contingentibus, ut de actibus humanis. Enimverò licet de singularibus atque de contingentibus non possit dari scientia purè naturalis; potest tamen dari scientia ex fide; ac divinâ revelatione procedens, qualis est Theologia nostra. Hæc enim pendet ex lumine fidei, divinæque revelationis, se se etiam ad singularia & contingentia extendentis, quæ quatenùs tali subsunt lumini, necessaria sunt, saltem necessitate certitudinis.

Addunt Theologiam esse quoque sapientiam, quòd ea sit cognitio rei per causam, non quamcunque, sed altissimam: judicat enim de rebus per altissimam omnium causarum, nempè Deum revelantem.

Cęterùm Theologia non modò conclusiones infert ex Fidei articulis, verùm etiam illos articulos explicat, solvitque sophismata, quæ contra congerunt Hęretici, non singula quidem evidenter, ut aiunt, positivè, sed saltem negativè, scilicet ostendendo ex talibus argumentis nihil evidenter confici.

Quęrunt 3. Theologi, an Theologia nostra subalternetur scientiæ Beatorum?

Ad illam subalternationis rationem vulgò tria cum Philosophis requirunt Theologi. 1° ut utriusque scientiæ, inferioris & superioris idem sit objectum; sed cum aliquo additamento accidentario in inferiori: sic numerus, ut sonorus, objectum est Musicæ, & Arithmeticæ ut numerus. 2° ut principiorum suorum probationes subalternata mutuetur à subalternante, ut à Physicâ depromit Medicina. 3° ut simul possint consistere.

Jam verò respondent plures Theologi, idem esse quidem objectum Theologiæ nostræ ac Beatorum, nempe Deum, aut Divinitatem revelatam, sed absque additamento ullo:

non enim contrahitur objectum, quòd clarè, aut obscurè videatur. 2 Nullatenùs à Theologiâ Beatorum nobis impervià mutuari sua principia Theologiam nostram. 3. Nec ullâ ratione posse simul cohærere visionem intuitivam cum cognitione per fidem, quæ ideò non manet in Beatis. Undè colligunt Beatorum cognitioni Theologiam nostram non esse subalternatam.

Profitentur quoque Theologiam nostram, licet præcellat cæteris scientiis, sitque extrinsecùs supernaturalis ratione objecti & principiorum; non esse tamen supernaturalem intrinsecùs; seu ratione entitatis; cum sit habitus industriâ nostrâ comparatus.

Contendunt ex Theologis quidam, Theologiam non esse unam scientiam unitate specificâ. Alii stant è contra; nec obesse illi unitati specificæ asserunt, quòd de Deo agat, de Angelis, de hominibus de vitiis & virtutibus, aliisque de rebus plusquàm specie diversis; quia hæc non considerat nisi quatenùs divinæ subsunt revelationi, sicque unam esse rationem formalem & specificam Theologiæ.

Consentiunt Theologi de objecto totali Theologiæ, seu attributionis, Deum scilicet esse, ut subest revelationi; quia, inquiunt, quæcunque considerantur in Theologia, vel sunt ipse Deus, aut sub ipso comprehenduntur, non ut partes, vel species, aut accidentia; sed ad ipsum pertinent, aut per modum proprietatis ut attributa; vel ut effectus ab ipso profecti, ut res creatæ; vel ut media, quæ ad ipsum conducunt tanquam ad principium & finem, cujuscemodi sunt actus humani, leges, gratia, virtutes, Incarnatio, & Sacramenta.

Hinc colligunt Deum sub ratione Deitatis esse objectum Theologiæ; quatenùs nimirùm subest revelationi; sicque dicunt objectum materiale Theologiæ saltem primarium esse Deum secundum se; formale verò *quod*, esse Deitatem; formale *sub quo*, revelationem virtualem ac mediatam: quæ quidem ratio formalis Theologiæ non est intrinseca, licet hanc conditionem exigant inferiores scientiæ; quia, inquiunt, scientiæ merè naturales ducuntur ex naturali lumine intellectûs, & cognitione primorum principiorum, in quæ suas resolvunt conclusiones; Theologia verò infertur ex articulis

Fidei,

Fidei, & in extrinsecâ Dei dicentis authoritate fundatur.

Adjiciunt Theologiam esse habitum à Fide, à Metaphysicâ, aliisque scientiis naturalibus distinctum; à Fide quidem Divinâ, quia Fides innititur revelationi divinæ, quæ revelatio dicitur formalis; à Metaphysicâ quoque & ab aliis scientiis naturalibus, quæ nituntur principiis solo lumine naturali notis.

Quęrunt 4. utrum Theologia sit speculativa simul & practica?

Respondent Theologiam eminenter esse speculativam & practicam; quia objectum Theologiæ, nempè Deus, simul est regula speculationis, & praxeos; cum sit simul prima veritas, & ultimus finis. Addunt autem esse magis speculativam, quàm practicam; quia principaliùs agit de rebus divinis, quàm de actibus humanis, de quibus non agit, nisi quatenùs per eos ordinatur homo ad perfectam Dei cognitionem, perfectumque illius amorem. Nec volunt sermonem institui de Theogiâ, ut de scientiâ merè naturali Quocircà removent procùl difficultates, quæ petuntur ex divisione scientiæ in speculativam & practicam: licet enim, inquiunt, speculativum & practicum sint differentiæ essentiales scientiæ naturalis; ideóque non possint in illâ adunari; tamen non se habent eodem modo respectu Theologiæ: quandoquidem quæ sunt in inferioribus dispersa, in superioribus sunt conjuncta, uti patet exemplo Angeli primi ordinis, qui multò plura per unum conceptum cognoscit, quàm quæ cognoscuntur ab inferiori per plures.

Quęrunt 5. undè Theologia ducat argumenta sua?

Respondent recenseri vulgò locos decem Theologicos; ex his alios necessarios, alios probabiles; aliquos proprios, aliquos verò extraneos. Primo loco constituunt Scripturam sacram Libris Canonicis contentam. 2° Traditionem Apostolorum. 3° Ecclesiam Catholicam. 4° Concilia generalia. 5° Ecclesiam Romanam. 6. Sanctos Patres. 7. Theologos & Juris Pontificii peritos. 7. Rationem naturalem. 9. Philosophos. 10. Humanam Historiam.

Verùm quia non unus est Scripturæ sacræ sensus, operæpretium esset dignoscere, ex quo potissimùm ducatur conclusionis certitudo. Scripturæ verò sensus historicus, seu lit-

teralis, est quem immediatè Spiritus sanctus significare voluit, sive propriè sumantur voces, seu impropriè: undè sensus parabolicus ad litteralem refertur; nec litteralis est ipsa figura, sed id quod figuratum est; ut cum dicitur Brachium Dei, sensu litterali in Deo non indicatur quædam pars corporis: sed nomine Brachii significatur Dei virtus atque potentia. Mysticus sensus ille est, quo res significatæ per voces, iterùm res alias significant: & triplex est, allegoricus, moralis seu tropologicus, & anagogicus. Sicut enim Scripturæ sacræ verba propriè, figuratève accepta, immediatè significant res sensu litterali; sic eædem res aliquandò significant aliud, quod ad fidem & Ecclesiam militantem pertinet, & hic est sensus allegoricus. Cum verò exprimunt quod ad morum informationem, & Charitatis officia spectat, hic est sensus moralis seu tropologicus. Si quod ad Ecclesiam triumphantem, & nostram in Cœlis expectationem pertinet, denotent, sensus hic est anagogicus. Itaque sensus allegoricus pertinet ad Ecclesiam; tropologicus ad mores; anagogicus ad gloriam: qui sensus his duobus comprehenduntur versiculis.

Littera gesta docet; quid credas Allegoria;
Moralis quid agas; quid speres Anagogia.

Allegoria iterùm vel in vocibus, vel in rebus sita est: in vocibus nihil aliud est, quàm continuata metaphora: in rebus est res gesta & significata, aliam rursùs ex divinâ institutione significans: sed prima ad sensum litteralem; & secunda ad mysticum est referenda.

Investiganda forent plura circa Scripturæ sensus; cur plerunque metaphorici occurrant, parabolici, & obscuri? Cur iisdem verbis multiplex contineatur sensus? Cur tam variâ usus sit Deus œconomiâ, in veteri & in novo Testamento? Sed hæc quæ profundioris sunt disquisitionis aliud in tempus esse mittenda censemus; cum scilicet Theologiæ Candidati lecto sæpiùs universo Dei verbo, pares erunt, qui mysteria tam occulta, tam magnifica, & immensæ erga nos divinæ benignitatis tam insignia monumenta complectantur animo. Theologiæ Candidato satis sit nunc temporis intelligere propria Theologiæ principia divina esse, illaque esse Scripturam sacram, & Traditionem Apostolicam; Scripturam verò sacram, ut definit Conc. Trid. sess. 4. in decreto de editione

& uſu ſacrorum Librorum, nonniſi juxta ſenſum ubique & ſemper receptum, intelligendam eſſe, nec contorquendam *Contra eum ſenſum, quem tenuit & tenet ſancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione Scripturarum ſacrarum, aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum, ipſam Scripturam ſacram interpretari audeat.* Deum igitur in ſuo Verbo audiat Candidatus, neque putet adhęrere Dei Verbo, niſi cum deprehenderit ità intellexiſſe ſanctam Matrem Eccleſiam: ità verò percipiet, ſi legat Sanctos Patres non aliter expoſuiſſe.

Ad intelligendum, ut par eſt, Traditionis Apoſtolicæ pondus, necdum etiam idoneus videtur Theologiæ Candidatus: hujus authoritatis intelligentiam ratione poſtmodùm tenebit, ubi fuerit perſcrutatus antiqua naſcentis Eccleſiæ, priorumque temporum ſecula: comperiet enim quanti fecerint Antiqui univerſæ Eccleſiæ in aliqua capita conſenſionem, cujus momenti in Conciliis Oecumenicis fuerint Orthodoxorum Patrum authoritates; quo pietatis ſenſu abhorruerint à novitatibus, & à Verbi divini recèns excogitatâ, nec à Patribus acceptâ interpretatione. Satis ſit Candidato Catholicæ inſiſtere Doctrinæ, & S. Pauli verbis 2. Theſſ. 2. v. 14. *Itaque Fratres ſtate, & tenete Traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram.* Sciat hanc fuiſſe temporibus ſubſequentibus receptam diſſerendi rationem adverſus Hęreticos; & non aliundè profectas hęreſes, quàm quòd ab illâ divinâ regulâ defecerunt novitatum authores Sic diſſeruit ſecundo ſeculo Sanctus Irenęus libro 3. c. 3. Sic 2 & 3. ſeculo Tertull. lib. de Prę ſcript. *Nobis verò nil ex noſtro arbitrio inducere licet, ſed nec eligere quod aliquis arbitrio ſuo induxerit: Apoſtolos Domini habemus authores, qui nec ipſi quicquam ex ſuo arbitrio quod inducerent, elegerunt; ſed acceptam à Chriſto diſciplinam fidelibus nationibus aſſignaverunt.* Ità quoquè S. Cyprianus tertio ſeculo, quem laudat S. Auguſt. contra Donatiſtas lib. 5. de Bapt. cap 26. his verbis: *Quod Cyprianus nos admonet, ut ad fontem recurramus, id eſt ad Apoſtolorum Traditionem, undè canalem in noſtra tempora dirigamus, ſine dubitatione faciendum eſt.* Sic tandem quinto etiam ſeculo adverſus hęreſes omnes, prę ſertim Neſtorianam, Vincentius Lirinenſis in Commonit. *In ipſâ item Catholicâ Eccleſiâ magnoperè*

curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est: hoc est enim verè propriéque catholicum, quod ipsa vis nominis, ipsaque ratio declarat; quæ omnia ferè universaliter comprehendit. Sed hoc ità demùm fiet, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem: sequemur autem universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia: Antiquitatem verò, si ab his sensibus nullatenùs recedamus, quos sanctos Majores ac Patres nostros celebrasse manifestum est: Consensionem quoque itidem, si in ipsâ vetustate omnium, vel certè penè omnium Sacerdotum pariter & Magistrorum definitiones, sententiasque sectemur. Ità institutus Candidatus noster à novitatibus procul recedet, nec magni faciet, nisi quod Deo acceptum eâ ratione habuerit.

Quærunt 6. Theologi quænam sint Theologiæ proprietates?

Triplicem afferunt; dignitatem videlicet, certitudinem, & necessitatem.

1. Statuunt Theologiam scientiis purè naturalibus dignitate præcellere; cum alicujus disciplinæ dignitas sit æstimanda ex dignitate & nobilitate objecti: Theologiæ verò præstantissimum est objectum, nempè Deus, & quæcumque divinitùs sunt revelata.

2. Duplicem supponunt esse certitudinem; objectivam alteram, formalem aliam: prior est firma & constans objecti determinatio: posterior, firma intellectûs ad verum adhæsio. Ratione hujus utriusque certitudinis scientia dici potest alterâ certior quoad se, quandò ex naturâ suâ firmiores habet suæ certitudinis causas; & quoad nos, cum ejus certitudo magis est connaturalis, & intellectui nostro magis accommodata, quandò scilicet certitudo est cum evidentiâ conjuncta.

Theologia porrò quâlibet scientiâ naturali certior est certitudine objectivâ; quia versatur circa Deum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.

Certior est etiam certitudine formali; quia certitudo formalis oritur ex efficaciâ & infallibilitate medii intellectum ad veritati assentiendum determinantis: quod quidem medium longè certius est mediis, quibus scientiæ naturales utuntur. Nec tamen evidentior est scientiis naturalibus, utpotè cum obscuritate sit conjuncta.

3. Definiunt Theologiam non esse singulis hominibus necessariam, sed Pastoribus saltem, qui egent eruditione illa divinâ, cujus beneficio plebem fidelem ad finem divinitùs promissum dirigere possint: opus est enim divinâ institutione, quæ divinitùs accepta ab unico veritatis Magistro revocet homines ab errore, & ab erroris periculo servet; quod eloquenter adversùs Ethnicos, Religionis Christianæ vindices, S. Just. Athenagoras, Tertull. & alii demonstrant, nec posse hominem edocere hominem, nullumque vel ex Philosophis celeberrimis extitisse, qui singulos & rudes homines edocendos susceperit, & qui non peccarit in gravissimis, seu graves in errores non fuerit lapsus. Pythagoras animarum transmigrationem somniavit. Lucretius cum Dicæarcho mortalitatem asseruit animæ. Lucippus, Democritus, & Epicurus cuncta sponte nata ex fortuito Atomorum concursu commenti sunt. Plato innumeras ideas per se subsistentes, & à singularibus separatas sibi finxit. Heraclitus res omnes ex se moveri putavit. Aristoteles mundi æternitatem admisit. Tandem, inquit Tertull. lib de Prę̨script. *plùs hominibus nocuit, quàm profuit antiqua Philosophia, ex quâ hæreses omnes subornantur: hæc omnium errorum genitrix, altrix, gubernatrix: Hæreticorum Patriarchæ fuère Philosophi, de quorum ingeniis omnis hæresis animatur.*

Quę̨runt ultimò, utrùm Theologia juxta formæ regulas tradita, sit utilis & necessaria?

Resp. non modò utilem esse, sed & necessariam ad depellendos errores, & ad servandam adversùs novitates Ecclesiæ fidem illibatam, & ad eam adducendos infideles & devios: nam, ut jam superiùs ex S. August. monuimus lib. 14. de Trinitate cap. 1. *Per eam fides saluberrima in nobis gignitur, nutritur, defenditur, & roboratur.* Non tamen est necesse singulos homines esse Theologos: satis est aliquos extare, qui fidei veritates alios edoceant, errores impugnent, credendique impedimenta removeant.

Ex quibus licet inferre quantùm à scopo veritatis aberrarint, qui cum Luthero & aliis Hæreticis Theologiam scholasticam non modò ut inutilem, sed ut Ecclesiæ perniciosam assererent; eamque nihil aliud esse, quàm veritatis inscitiam, inanemque fallaciam; & quam præcavere monet Apostolus.

Alii cum Philippo Melanctone profanam esse scholasticam, quâ semel admissâ, obscuratum est Evangelium, ac fides penè extincta. Cęteri cum Calvino ipsam esse velum Christi, ac totius Reipublicæ Christianæ perniciem. Hinc Theologos Scholasticos passim appellat asinos cornutos, bestias bipedes, & Sophistas. Lutherus Christianas Academias vocat Antichristi Lupanaria. Wiclefus Castra Cainitica. Quis verè fidelis ab eis convitiis non abhorreat? An Evangelium docet sic excipiendos esse Doctores, qui Rempublicam Christianam plurimùm in dissolvendis ac infirmandis Hæreticorum cavillationibus adjuvarunt? Quandóque si peccassent, collocatâ diligentiori operâ in subtiliorum quæstionum disquisitione, corripiendi fuissent mansuetudine summâ. Vitium esset hominum, quos animi subtilitas impelleret; non vitium doctrinæ, quæ commoda plurima parit Ecclesiæ. *Disputationis disciplina*, inquit S. August. lib. 2. de Doctrinâ Christ. cap. 31. *ad omnia genera quæstionum, quæ in Litteris sanctis sunt penetranda, & dissolvenda, plurimùm valet: tantùm ibi cavenda est libido rixandi, & puerilis quædam ostentatio decipiendi adversarium.* Monere sedulò operæ fuisset pretium, declinandam esse hanc rixandi libidinem? Quod igitur est tam immane Scholasticorum scelus? An quòd ex Scripturæ contextibus, & authoritate conclusiones colligant? Collegit Christus: collegêre Apostoli, tùm in Concilio Hierosolymitano, tùm in suis Concionibus, tùm in Epistolis: Collegêre puriorum temporum Authores adversus exortas temporum illorum novitates. An quòd ex unanimi Ecclesiarum consensione antiquâ disserunt contra recèns excogitata dogmata? Igitur litem moveant Sancto Irenæo, Tertulliano, Sancto Cypriano, Sancto Augustino, & cæteris Ecclesiæ Defensoribus. Numquid non ipsi Lutherus, Melancton, Calvinus, & alii, novitates suas ex Scripturis conantur exprimere? Numquid non Antiquorum dicta, si possunt, solent opponere? Quid igitur in Scholasticâ dignum occurrit tam gravi censurâ? Nihil profectò, debitos modò intra fines contineatur. Quinimò plurimùm inservit secernendis à falso ac verisimili dogmatibus catholicis.

Invehitur, inquiunt, Tertullianus in Scholasticam, cum

lib. de præscript. Hæretic. cap. 7. ait : *Quid Athenis, & Hierosolymis? Quid Academiæ, & Ecclesiæ? Quid Hæreticis, & Christianis? Nostra institutio de Porticu Salomonis est, qui & ipse tradiderat Dominum in simplicitate cordis esse quærendum.* Invehitur, inquiunt, Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 26. & 34. cum dolet ac deplorat illam disputandi de Deo rationem, quæ suis invaluerat temporibus. Invehitur Sanctus Hieronymus in cap. 10. S. Matth. Eos enim damnat, qui humanæ ratiocinationis præsidiis innituntur.

Verum Patres illi carpunt dumtaxat Hæreticorum industriam & artificium in syllogisticâ & humanâ ratiocinatione positam, cujus abusu incautis ac simplicibus illudebant; ut Praxeas, Sabellius, Arius Eunomius, Aetius, Pelagius, Julianus, & alii : quod & testificantur quoque Sanctus Ambrosius in Psalm. 118. Sanct. Gregorius Nissenus lib. 1. contra Eunomium, Sanctus Epiphanius hæres. 76 Sanctus Augustinus lib. 2. contra Julianum, Socrates lib. 1. cap 5. Sozomenus lib. 1 cap. 1. Dolent & dolebunt continuò Ecclesiæ hostes, quòd hâc methodicâ differendi ratione convellantur palàm eorum cavillationes & versutiæ politiori stylo circumornatæ, quibus simpliciorum animos capere solent. Pseudo-Apostolorum Corinthiorum vestigiis insistunt, qui simplicem & non elaboratam, ut dicebant, differendi rationem Apostolicam arguebant, ut à Sancti Pauli scholâ & doctrinâ suas in partes Christi Discipulos abducerent Deo juvante, constanter Apostolicæ ipsius simplicitati adhærebimus; novitati cum Apostolo bellum inferemus continuum; sectabimurque, non quæ Calvinus, Melancton, & Lutherus excogitarunt, licet è Cœlo referre se accepta profiteantur; sed quod Christus Apostolis tradidit, traditum sibi depositum sacrum Ecclesiæ crediderunt Apostoli, & Ecclesia semper, & ubique filios suos edocuit; divinumque depositum illud Scholasticæ nostræ beneficio propugnabimus, fremant licet Ovilis Christi prædones & depopulatores.



INDEX

QUÆSTIONUM, ARTICULORUM, Conclusionum, & Quæstiuncularum.

QUÆSTIO I. *Utrum Deus sit?* pag. 2
ART. I. *Utrum innata nobis sit Existentiæ Dei cognitio?* ibid.
CONCL. *A naturâ omni homini rationis compoti, Dei Existentiæ cognitio est inserta.* pag. 3
Solvuntur Objectiones. 6
ART. II. *Utrum hæc propositio*, DEUS EST, *sit nota quoad nos?* 10
CONCL. *Propositio*, DEUS EST, *quoad nos nota est.* 11
ART. ult. *Utrum Existentia Dei demonstrari possit?* 12
CONCL. I. *Dei Existentiam per res creatas demonstrari tradunt sacri Codices.* 13
CONCL. II. *Plurimæ de Deo demonstrationes afferri possunt.* 14
Quæritur cujus momenti habendæ sint probationes illæ ex cognitione ingenitâ petitæ, & non per sensus intermedios? 19
QUÆST. II. *Utrum Deus sit unus, an multiplex?* 21
ART. I. *Qui unitatem Dei impugnarunt?* ibid.
ART. II. *Unitas Dei demonstratur.* 22
ART. III. *Idololatræ confutantur.* 24
Idololatriæ origo. ibid.
Variæ species Idololatriæ. 26
CONCL. I. *Ex iis, quos delusa Gentium antiquitas Deorum loco habuit, nullus unquam fuit, qui vel levissimam Divinitatis umbram assecutus fuerit, omnesque penitùs fuere indigni, qui Deorum numero ascriberentur, aut divinis honoribus colerentur.* 27
CONCL. II. *Defunctorum animæ Deorum numero annumerari non possunt.* 28
CONCL. III. *Principes, dum viverent, aut viri eximii, divinis honoribus colendi non erant.* 29
CONCL. IV. *Confutantur Idololatræ, qui non Deos plures, sed varias virtutes, ut Dei partes, aut multos Deos ex unâ Dei substantiâ; seu divina attributa, quæ per illos Deos in Templis designarentur, divinis honoribus se colere asserebant, seque à plurium Deorum confessione longè abesse.* ibid.

CONCL. V.

Concl. V. *Virtutes humanæ Deorum nominibus non sunt insigniendæ.* 30
Concl. VI. *Plures Deos velut plures ministros uni Deo subditos divinis honoribus colere fas non erat.* 33
Concl. VII. *Refellitur sententia subtiliorum Ethnicorum, qui Deum unicum colere se profitebantur: sub reliquorum verò Deorum nominibus, virorum illustrium memoriæ debitum deferre honorem, ut ad eorum æmulationem posteros excitarent.* 34
Concl. VIII. *Creaturis inanimatis, ut Soli & Sideribus, divinus cultus non est exhibendus.* ibid.
Concl. IX. *Nec Statuis (quod apud Antiquos solemne erat) divinus honor debetur.* ibid.
Concl. ult. *Cultus quilibet apud Ethnicos solemnis, seu qui pro objecto haberet Deos Gentium; aut animas defunctorum, aut homines, dum viverent, fuit semper horrendus, inhonestus, absurdus, inhumanus, & impius.* 37
Art. ult. *Confutantur hæretici, qui unitatem Dei impugnarunt.* 43
Quæstio III. *Quid sit Deus, seu in quo sita sit natura Dei?* 46
Art. I. *Utrum in hac vitâ, quid sit Deus, nosse possit homo?* ibid.
Errores. ibid.
Concl. *Non potest homo in hac vitâ nosse quid sit Deus.* ibid.
Art. II. *Quæ de Deo noverimus, seu quæ sint attributa Dei, & quis inter illa ordo?* 48
Concl. *Attributa negativa videntur positivis esse potiora; seu perfectior est Dei cognitio, quæ per negationem, quàm quæ per affirmationem habetur.* 49
Art. III. *Quæ sit distinctio inter attributa divina?* 50
Concl. I. *Distinctio rationis ratiocinatæ ac virtualis, inter attributa & essentiam divinam est admittenda.* 53
Concl. II. *Attributa divina absoluta, seu relativa aut personalia, non distinguuntur ab essentiâ divinâ distinctione reali majori, vel minori seu modali.* 56
Concl. III. *Non est admittenda distinctio formalis Scotistica inter attributa & essentiam divinam.* 58
Quær. num Essentia & Existentia in Deo distinguantur vel ratione? 59
Art. IV. *Quid in Deo sit quod videatur primum habere locum differentiæ?* ibid.
Concl. *Summum esse, seu esse à se & necessariò, aut omnimoda independentia locum differentiæ in Deo obtinere videtur.* ibid.
Quæst. IV. *De simplicitate Dei.* 62
Art. I. *Utrum Deus sit corporeus?* ibid.
Errores. ibid.
Concl. I. *Deus corporeus non est, quocunque sensu sumatur corpus.* 63
Concl. II. *Non datur in Deo compositio ex genere & differentiâ.* 65
Concl. III. *Non datur in Deo compositio realis ex essentiâ, & existentiâ: aut ex essentiâ, & personalitatibus divinis.* 67

Concl. IV. *Deus non componitur ex substantiâ & accidente.* 68
Concl. ult. *Non datur in Deo compositio virtualis, nec formalis.* 70
Art. ult. *Quid de simplicitate Dei censuerit Tertullianus?* ibid.
Concl. *Tertullianus Deum esse corporeum, seu ex materiâ & formâ constitutum non existimavit.* ibid.
Quæst. V. *De Dei Immutabilitate.* 74
Art. *Utrum Deus sit immutabilis, & quidem solus?* ibid.
Concl. *Deus est immutabilis, & quidem solus?* ibid.
Quæst. VI. *De Æternitate Dei.* 78
Art. unicus. *Utrum Deus sit æternus, & quidem solus?* ibid.
Concl. *Deus est æternus, & quidem solus.* 79
Quæst. VII. *De Dei Immensitate.* 80
Art. I. *Utrum Deus sit substantialiter immensus, & solus.?* ibid.
Errores. ibid.
Concl. *Deus est in omnibus rebus ratione substantiæ, & solus.* ibid.
Quæritur an Deus sit ubique, tanquam in loco. 82
Art. II. *Utrum Deus sit formaliter in Deo per actionem?* ibid.
Concl. *Deus formaliter in loco est per actionem.* 83
Art. III. *Utrum Deus sit extra cœlos, seu in spatiis imaginariis, & quomodò?* 86
Concl. I. *Deus non est in spatiis imaginariis, seu extra cœlos.* ibid.
Concl. II. *Deus dici potest extra cœlos omnipotentiâ suâ, ita ut designetur potentia Dei orbis circumferentiâ non circumscribi, & posse alios mundos creare.* 87
Quæst. VIII. *De invisibilitate, aut visibilitate Dei.* 89
Art. I. *Num Deus oculis corporeis videatur, aut videri possit?* 90
Concl. *Oculis corporeis nec videtur Deus, nec videri potest.* ibid.
Art. II. *Utrum Deus ab intellectu creato, solis naturæ viribus instructo, videri possit?* 95
Concl. *Solis naturæ viribus instructus homo Deum intueri non potest.* ibid.
Art. III. *Utrum Deus sit incomprehensibilis, seu num ab intellectu Angelico aut humano, quocunque auxilio juvetur, comprehendi possit?* 96
Concl. *Deus absolutè comprehendi non potest.* 97
Art. IV. *Utrum intuitiva Dei visio possibilis sit, & utrum illius visionis possibilitas demonstrari possit?* 100
Concl. I *Possibilem esse Dei visionem intuitivam fides docet.* ibid.
Concl. II. *Possibilem absolutè intuitivam Dei visionem ratio suadet, & demonstrat, saltem negativè.* 106
Concl. III. *Possibilem Dei visionem ratio non demonstrat positivè.* ibid.
Art. V. *Utrum in hac vitâ constituto homini visionem sui intuitivam possit Deus concedere? & utrum eam concesserit?* 111
Concl. I. *Viatori visionem sui intuitivam potest Deus absolutè concedere.* ibid.

INDEX.

Conc. II. *De non concedendâ viatori visione sui intuitivâ, legem Deus sancivit.* ibid.

Concl. III. *Sui visionem nunquam Deus concessit, nec Moysi, nec S. Paulo. &c.* ibid.

Art. VI. *Utrum Justis statim atque deceßerunt, visio intuitiva concedatur?* 106

Concl. I. *Justi statim atque è vivis excesserunt, si nihil impurum supersit expurgandum, visione beatificâ donantur.* ibid.
Quæritur num Joannes XXII. Justos decedentes, quibus nihil purgandum superest, visione beatificâ frui statim post mortem censuerit? 136

Art. VII. *Cujus naturæ & virtutis sit auxilium, seu gloriæ lumen eliciendæ beatificæ visioni neceßarium?* 141

Concl. I. *Auxilium visioni beatificæ neceßarium, à Theologis meritò gloriæ lumen nuncupatur.* ibid.

Concl. II. *Lumen illud ad suscipiendam visionem, instar dispositionis se habere, non videtur dicendum.* 142

Concl. III. *Intellectûs virtutem eßentialem non intendit lumen gloriæ: quia intensionis & remissionis incapax est intellectus, utpotè facultas substantialis & spiritalis.* ibid.

Concl. IV. *Gloriæ lumen intellectum juvat per modum qualitatis intrinsecæ, & habitûs.* ibid.

Concl. V. *Non potest eße creaturæ intellectuali connaturale lumen gloriæ, seu dari non potest creatura, quæ per seipsam Deum videat, seu cui Dei visio intuitiva sit debita.* 143

Art. VIII. *An æqualis sit in Beatis visio intuitiva Dei?* 144

Concl. I. *Inæqualis est visio beatifica.* ibid.

Concl. II. *Ex gloriæ luminis majori aut minori participatione, visionis beatificæ æqualitas aut inæqualitas oritur.* 147

Concl. III. *Visio beatifica mutationi, aut successioni obnoxia non est.* ibid.

Concl. IV. *Ejusdem speciei sunt visiones beatificæ, tùm Angelorum, tùm hominum.* 148

Art. IX. *Visionis beatificæ latitudo.* ibid.

Concl. I. *Fidei mysteria, quorum fidem in terris habuerunt, clarè intuentur Beati: non tamen res omnes supernaturales, saltem quoad adjuncta singula.* ibid.

Concl. II. *Dei attributa absoluta omnia, & notionalia, seu quæ sunt in Deo formaliter, vident Beati.* 149

Concl. III. *Naturalem rerum ordinem, & quæ in terris geruntur, simulque facta sunt, vident Beati & videre possunt.* ibid.

Concl. IV. *Vident quoque Beati præterita, & quæ ad sui & suorum statum pertinent.* 150

Concl. V. *Se invicem, & suos noscunt Beati.* 151

Concl. VI. *Damnatorum quoque pœnas Beati vident.* ibid.

Concl. VII. *Non perspectam habent Sancti divinarum perfectionum infinitatem; seu totaliter Deum non intuentur.* ibid.

CONCL. VIII. *Nec vident Beati futura omnia, nec omnia singularia determinatè.* ibid.
CONCL. IX. *Possibilia videre omnia non possunt Beati.* ibid.
CONCL. ult. *Essentia divina sine attributis, attributa sine se invicem videri non possunt, vel per absolutam Dei potentiam.* 152
Quæritur quotuplex sit Beatorum visio? 153
ART. ult. *In quo quæ vident Beati intueantur?* ibid.
CONCL. I. *Ut inutiles prorsùs, imò & impossibiles à visione beatificâ species impressas, & expressas mox explicatas removeri oportet.* 154
CONCL. II. *Quæ ad beatitudinem spectant, vident formaliter Beati in Deo, seu in Verbo; quæ verò ad beatitudinem non spectant, vident in ipsis creaturis, vel per revelationem, aut per Angelorum & hominum relationem, aut in ipsâ essentiâ divinâ, ut in causâ.* 157
QUÆST. IX. *De Dei Ineffabilitate.* 158
ART. unicus. *Utrum Deus sit ineffabilis? quibus potissimùm delineandæ Dei naturæ nominibus uti sit conveniens?* ibid.
CONCL. I. *Deus est ineffabilis, nec verba illa Deo digna proferuntur, seu quæ ejus naturam exprimant.* ibid.
CONCL. II. *Deus appellari nihilominùs potest nominibus, quæ imperfectè ejus naturam & substantiam designent, ut quæ in Scripturis continentur.* 160
Quæritur quod nomen illud sit, quod Deus Antiquos celarat, & Moysi Exod. 3. revelare dignatus est? 161
QUÆST. X. *De Bonitate Dei.* 162
ART. unicus. *Utrum Deus sit infinitè & essentialiter bonus, solus simul, & omnes omninò perfectiones contineat?* ibid.
CONCL. I. *Deus est infinitè & essentialiter bonus in se, & solus, & eâ ratione summè bonus.* ibid.
CONCL. II. *Deus est creaturis summè bonus.* 164
Quæritur 1. utrum Deus omnes perfectiones contineat? 165
Quæritur 2. utrum Deus sit aliquid melius aut perfectius cum rebus creatis, quàm si solus spectetur? 166
Quær. 3. utrum Deus sit veritas? ibid.
Quær. ult. utrum in Deo sit vita? ibid.
QUÆST. XI. *De Scientiâ Dei.* 167
ART. I. *Utrum in Deo sit scientia; & qualis sit; & circa quæ versetur?* ibid.
CONCL. I. *Datur in Deo scientia.* ibid.
CONCL. II. *Deus qualibet etiam diversæ à se naturæ novit, & solus, & ab æterno.* 168
CONCL. III. *Novit Deus futura, seu datur in Deo præscientia.* 169
CONCL. ult. *Novit Deus futura conditionata, quorum conditio nunquàm est ponenda.* 171
ART. II. *Quomodò, aut in quo seipsum, & cætera, seu præsentia, seu futura absoluta, aut conditionata Deus noverit?* 172

CONCL. I. *Semetipsum novit Deus, & per seipsum.* ibid.
CONCL. II. *Deus in se, & per se novit omnia.* ibid.
CONCL. III. *Novit Deus peccata objectivè tantùm, & ex obliquo.* 173
CONCL. IV. *Res futuras non novit Deus, quòd sibi coëxistant ab aeterno secundum illud esse reale, quod in tempore consequuntur.* ibid.
CONCL. V. *Non cognoscit Deus res futuras in voluntate suâ, ut in rerum futurarum causâ.* 174
CONCL. VI. *Non ideò novit Deus futura libera, quia futura sunt.* 178
CONCL. ult. *Res futuras liberas in suâ essentiâ videtur Deus notas habere, non liberas verò in omnipotentiâ, ut earum causâ.* 179
ART. III. *Utrum detur scientia media?* 180
CONCL. *Scientia media, seu conditionata, propriè & intrinsecè in Deo videtur non esse.* ibid.
ART. ult. *Quotuplex scientia Dei? quis in illâ ordo? quid praestet? quaeve sit praescientia?* 187
CONCL. I. *Scientia Dei est rerum causa, non quidem solitariè sumpta, sed prout adjunctam habet voluntatem; ità ut in divinorum operum partem & societatem venire dicantur, scientia, ut dirigens; voluntas, ut inclinans; potentia, ut exequens.* ibid.
CONCL. II. *Scientia Dei, aut praescientia non inducit necessitatem, nec officit libertati.* 189
Quaeritur utrum in Deo sint ideae? 192
QUAESTIO XII. *De Voluntate Dei.* 193
ART. I. *Utrum sit in Deo voluntas? quae? & quotuplex?* ibid.
ART. II. *Circa quae versatur Dei voluntas? & an circa peccata, & mala poenae?* 195
CONCL. I. *Deus non vult per se mala poenae; sed tantum per accidens.* ibid.
CONCL. II. *Nec Deus vult mala culpae, seu peccata per se, nec per accidens: licet ea quidem permittat.* ibid.
CONCL. III. *Voluntas Dei est causa rerum.* 198
ART. III. *Utrum Deus sit liber? & quomodò?* 199
CONCL. *Non est liber Deus quoad actus, qui ad ejus essentiam pertinent; in caeteris verò est liberrimus.* ibid.
ART. IV. *Utrum semper impleatur Dei voluntas?* 200
CONCL. *Beneplaciti voluntas, & consequens semper impletur; non autem antecedens, nec voluntas signi.* ibid.
ART. ult. *Utrum inter Dei decreta instituendus sit ordo?* 201
CONCL. *Videtur nobis inutilis, nec decere Divinam Majestatem, hic divinorum decretorum ordo.* 202
QUAEST. XIII. *De Omnipotentiâ Dei.* 203
ART. *An Deus sit omnipotens? & in quibus sita sit omnipotentia?* ibid.
CONCL. I. *Deus est omnipotens.* ibid.
CONCL. II. *Potest efficere Deus alia, eaque perfectiora, quàm quae condidit.* 204

CONCL. III. *Non potest Deus efficere, ne præterita sint non præterita; nec ideò minùs omnipotens est habendus.* 206

CONCL. ult. *Potentia Dei infinita est; & ideò omnipotens est Deus, quòd pati nihil possit, omniaque possibilia, seu quæ contradictionem non involvant, præstare & efficere.* 207

QUÆSTIO XIV. *De Justitiâ & misericordiâ Dei.* 208

ART. unicus. *Utrum in Deo sint misericordia & justitia? & quomodò?* ibid.

CONCL. I. *In Deo est justitia.* ibid.

CONCL. II. *Propriè non est in Deo justitia commutativa, benè tamen distributiva.* 210

CONCL. III. *Misericordia in Deo non est secundum affectum; cujusmodi laudatur in hominibus, qui calamitosum aliorum statum miserentur, seu quorum cor quasi miserum fit malorum aspectu.* ibid.

CONCL. IV. *In Deo sibi non adversantur justitia & misericordia.* 211

QUÆST. XV. *De Providentiâ Dei.* 213

Errores. ibid.

ART. I. *Utrum fatalis sit quædam necessitas? an fatum & sors quomodocunque probari possint?* 214

Errores. ibid.

CONCL. I. *Fatum non datur.* ibid.

CONCL. II. *Nihil fit fortuitò; idcircò casus, aut fortuna rejicienda sunt.* 215

CONCL. III. *Christiano sensu admitti potest fatum quoddam, si fati nomine intelligatur Dei voluntas, aut præscientia.* 216

CONCL. IV. *Licita dici potest aliquandò sors; nec indè tamen colligendum fortuitò aliquid fieri.* ibid.

ART. ult. *Utrum Dei providentiæ omnia, etiam vel minima, subjaceant?* 217

CONCL. *Dei providentiæ nihil est quod non subdatur, seu cujus administrationem Deus non sustineat.* ibid.

Quæritur 1. an æqualem omnium curam Deus gerat? 222

Quæritur 2. num providentiæ leges expendere possimus? 223

QUÆSTIO XVI. *De Prædestinatione Sanctorum.* 224

ART. I. *De nomine, atque naturâ Prædestinationis.* ibid.

ART. II. *An Prædestinatio detur? & qui sint ejus effectus?* 225

Errores. ibid.

CONCL. I. *Prædestinatio est admittenda necessariò.* 226

CONCL. II. *Prædestinatio non ad quosdam tantùm, & eximios homines; sed ad singulos electos pertinet.* 227

ART. III. *De causis Prædestinationis: & an ad primam gratiam, electio sit gratuita?* 228

Errores. ibid.

CONCL. *Hominis ad primam gratiam & vocationem electio est omninò gratuita, nec ex meritorum præscientiâ, nec ex liberi arbitrii usu, aut*

ex aliâ causâ in homine positâ, est repetenda: gratiæ verò secundæ incrementum, operum bonorum, quæ divino beneficio eliciuntur, merito est tribuendum. 229

ART. IV. *An ad gloriam Prædestinatio sit ex meritis prævisis? an merè gratuita?* 237

CONCL. I. *Ad gloriam electio, seu Prædestinatio, positâ peccati originalis labe, non ex meritis prævisis, sed ex gratuitâ Dei benignitate oritur.* 238

CONCL. II. *Ad gloriam quorumdam prædestinatio gratuita peccatum originale supponit.* 251

Quær. utrum eadem sit ratio Angelicæ Prædestinationis? 252

ART. V. *De Prædestinationis effectibus.* 253

ART. VI. *De Prædestinationis proprietatibus, certitudine scilicet, ac necessitate.* 254

Errores. ibid.

CONCL. I. *Prædestinatio est secundum se certissima.* ibid.

CONCL. II. *Nemini præter revelationem à Deo acceptam certus est Prædestinatorum numerus: nec ullus sine eâ certò scit, an ex illo sit numero.* 257

Quær. an hoc revelationis beneficium aliquibus fuerit concessum? 260

CONCL. III. *Agendi necessitatem non imponit Prædestinatio, licet certissima; quidquid contra reclamet Calvinus.* 261

Quær. an Electorum numerus, Reproborum numerum superet? 262

QUÆST. XVII. *De Reprobatione.* 263

ART. I. *De nomine & essentiâ Reprobationis.* ibid.

ART. II. *An detur Reprobatio?* ibid.

ART. III. *De causis Reprobationis.* 265

Errores. ibid.

CONCL. I. *Deus non reprobat positivè; seu pœnam non decernit infligendam, nisi præviso seu originali, seu actuali peccato.* ibid.

CONCL. II. *Reprobatio negativa, seu decretum, quo Reprobi à gloriâ repelluntur, actualia eorum peccata prævertit.* 268

CONCL. III. *Reprobationis causa prima, est originalis macula.* 269

CONCL. ult. *Idem de lapsorum Angelorum reprobatione judicium est ferendum.* 270

ART. IV. *De Reprobationis effectibus.* ibid.

ART. V. *De Reprobationis proprietatibus.* 271

Quæritur 1. an Reprobatio sit certa? ibid.

Quær. 2. an Reprobatio in Reprobis sit culpa causa? ibid.

Quær. 3. an Reprobatio peccandi necessitatem imponat? ibid.

TRACTATUS DE SANCTISSIMA TRINITATE.

QUÆSTIO I. *De hujus Mysterii cognitione.* pag. 1.
ART. I. *Quâ ratione, quibusve gradibus ad Trinitatis cognitionem ascendere possimus?* ibid.
CONCL. I. *Naturali ratione demonstrari non potest Trinitatis Mysterium.* ibid.
CONCL. II. *Probari potest Trinitatis Mysterium negativè, ut loquuntur, seu ostendi potest non esse impossibile.* 7
ART. II. *Utrum Trinitatis Mysterium noverint Judæi?* 9
CONCL. *Judæorum vulgus Trinitatis Mysterium latuit; nec ferè, nisi Prophetis, innotuit, iisque, quibus ob vitæ sanctimoniam singularis è cœlo lux fuit oborta.* ibid.
ART. ult. *Quâ cautione de hoc Mysterio agendum?* 12
CONCL. *Nec levibus, nec nutantibus utandum est argumentis; sed quæ ex revelatione, seu ex Scripturis, & Traditione eruantur.* ibid.
QUÆSTIO II. *De tribus in Deo Personis.* 14
Errores. ibid.
ART. I. *Utrum sint in Deo tres Personæ, quæ sint unus Deus?* 20
CONCL. *Tres sunt in Deo Personæ à se invicem distinctæ, quæ sunt unius & ejusdem substantiæ; seu unus Deus.* ibid.
Objectiones ex Scripturâ sacrâ solvuntur. 34
Solvuntur objectiones veterum Hæreticorum. 41
ART. II. *Verbi Divini, seu Christi divinitas una & eadem cum Patris divinitate probatur.* 44
Immensitas, & omnipotentia, quæ sunt essentiæ divinæ attributa, Filio competere probantur. 59
Alia Dei attributa in abstracto sumpta conveniunt Filio Dei. 60
Adoratio, seu latria, exhibenda est Christo, sicut & Patri. 61
Christus se Deum profitetur. 63
Evangelistæ, & Apostoli Divinitatem Christi profitentur, 66
Trium priorum seculorum consensione, Filii seu Verbi Divinitas confirmatur. 68
S. Clemens Romanus. 69
S. Ignatius. ibid.
S. Polycarpus. 70
S. Justinus. ibid.

Athenagoras.

Athenagoras. 73
S. Theophilus Antiochenus. 74
Tatianus. 75
S. Irenæus. 76
S. Clemens Alexandrinus. 79
Tertullianus. 82
Origenes. 87
S. Gregorius Thaumaturgus. 91
Minutius Felix. ibid.
S. Cyprianus. ibid.
S. Cornelius Papa. 92
S. Firmilianus. ibid.
Novatianus. ibid.
Theognoſtus. 97
SS. Dionyſius Romanus, & Alexandrinus, Martyres. ibid.
Synodus Antiochena. 99
Arnobius. ibid.
Lactantius. 100
Objectionum ex Scripturis ſolutio. 105
Objectionum ex SS. Patribus ſolutio. 117
ART. IV. *Probatur Spiritûs Sancti divinitas.* 139
Probatur Spiritûs Sancti divinitas ex Traditione. 144
QUÆST. III. *De variis vocabulis, quæ ab Antiquis & Recentioribus ad illuſtrandum Trinitatis Myſterium fuerint uſurpata.* 150
ART. I. *Quid de illis ſentiendum ſit?* ibid.
Quæritur 1. *utrum dici poſſit,* Divinitas eſt Trinitas; *quæ propoſitio damnatur canone* 2. *Concilii Braccarenſis?* 151
Quær. 2. *quid per eſſentiam, ſeu naturam, & hypoſtaſim ſignificetur?* ibid.
De voce ὁμούσιον, *ſeu Conſubſtantialis.* 152
Quær. 1. *num antiquum ſit nomen, Conſubſtantiale, ſeu* ὁμούσιον? *& num à Nicænis Patribus fuerit adinventum?* ibid.
Quær. 2. *num explicando Trinitatis Myſterio idonea ſit vox, Conſubſtantialis, ſeu* ὁμούσιον? *& num à Concilio Nicæno rectè & appoſitè fuerit Fidei Symbolo inſerta?* 153
Quær. 3. *num ſtatim à Concilio Nicæno ad Catholicam Fidei Profeſſionem, verbo* ὁμούσιον *uti in Fidei formulis fuerit neceſſarium?* 160
De vocabulo ὁμοιούσιον. 161
Quæritur 1. *num vox* ὁμοιούσιον *Fidem Nicænam exprimeret? & an qui eâ uterentur, Nicænæ Fidei adhærere ſe conteſtati, vocabulum licet* ὁμούσιον *rejicerent, ſint pro Catholicis habendi?* 162
ART. II. *De vocabulis, perſonâ, hypoſtaſi, ſubſiſtentiâ, & exiſtentiâ relativâ & abſolutâ.* 170
Quæritur 1. *quæ fuerit inter SS. Paulinum & Meletium Antiochiæ Epiſcopos, de unâ vel triplici hypoſtaſi contentio; & num ad Fidem pertinuerit?* 172

Quæritur 2. in quibus sita sit ratio personæ? 173
Quær. 3. an detur in Deo subsistentia absoluta? 174
Quær. 4. num deneganda sit absoluta existentia Deo, sicut ipsi denegatur absoluta subsistentia? num etiam dentur in Deo tres existentiæ relativæ, sicut dantur tres subsistentiæ? 175
Quær. 5. num in Deo sit numerus? 177
Quær. 6. num in Deo sint tres substantiæ, tria entia, tria individua? ibid.
Quær. 7. num sint in Deo tres unitates, tres veritates, tres bonitates? ibid.
ART. III. *De nominibus Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, & aliis, quæ tribus Personis tribuuntur.* 178
ART. IV. *De Processionibus.* 179
Quær. 1. quid, & quotuplex sit in Deo processio? ibid.
Quær. 2. num ejusdem rationis sint Filii & Spiritûs Sancti processiones? 180
CONCL. I. *Discriminis, quod inter utramque Processionem intercedit, ratio nulla evidens afferri posse nobis videtur.* 181
CONCL. II. *Non placet sententia prima, quæ Filium ideò esse Filium statuit, quòd fœcundam à Patre naturam accipiat; talem verò Spiritus non habeat.* 187
CONCL. III. *Nec generationis Verbi rationem assequi videtur sententia, quæ Verbum ideo genitum esse docet, quòd per intellectionem actualem, prout est ultima Dei differentia, procedat.* ibid.
CONCL. IV. *Nec etiam placet opinio, quæ Verbum ideò Filium esse tradit, quòd procedat ut imago; non verò ità Spiritus Sanctus.* ibid.
CONCL. V. *Nec etiam facit satis ex omni parte sententia, quæ Filium ideò genitum esse asserit, quòd per intellectum perfectissimum procedat.* 188
De principio Processionum. 190
ART. V. *De relationibus divinis.* 193
CONCL. *Relationes secundum esse* ad, *in divinis sunt reales.* ibid.
Quær. quot sint in Deo relationes reales? 194
ART. VI. *De Notionibus.* 195
CONCL. *Quinque sunt admittendæ notiones.* ibid.
ART. ult. *De Circumincessione.* 196
QUÆST. V. *De Processione Spiritûs Sancti.* 198
ART. I. *Errores.* ibid.
ART. II. *Ex quo procedat Spiritus Sanctus? an ex Patre & Filio?* 199
CONCL. I. *A Patre procedere Spiritum S. apud omnes, tùm Græcos, tùm Latinos Catholicos semper indubitatum fuit.* ibid.
CONCL. II. *Ex Patre, & Filio Spiritus S. procedit.* ibid.
Quæritur num, si à Filio non procederet Spiritus Sanctus, ab eo esset distinctus? 209
ART. III. *Utrum Symbolo Constantinopolitano particulas,* ex Filio, *addiderit Ecclesia Latina? & an eas addere licitum fuerit?* 211
CONCL. *Ecclesia Latina Symbolo illi nihil quidquam addidit.* ibid.

ART. IV. *Quo tempore, particulis, ex* Filio, *additis, in Ecclesiâ novum Symbolum prodire cœperit?* 216
ART. ult. *Quæstiones quædam circa Spiritûs S. divinitatem solvuntur.* 218
Quær. num in Concilio Nicæno Spiritûs S. divinitas fuerit definita; & ex hypothesi quod explicitè definita non fuerit; num ante Concilium Constantinopolitanum primum pro hæreticis habiti sint, qui Spiritûs S. divinitatem non sunt professi? ibid.
Quær. 2. quis omnium primus Spiritûs S. divinitatis apertam professionem edidisse videatur? 220
Quær. 3. cur S. Basilius Spiritûs S. divinitatem professus, Dei nomen Spiritui S. ad Catholicam Fidei Professionem necessariò non esse tribuendum existimarit? ibib.
Quær. 4. an donum & donatum in Spiritu S. discrepent? 222
Quær. ult. cur Spiritus S. sub specie ac figurâ columbæ, aquæ, ignis, venti, & linguæ igneæ conspicabilem se fecerit? 223
QUÆST. ult. *De Missione Divinâ.* 224
ART. unicus. *Quid, & quotuplex Missio?* ibid.
Quær. 2. cui Personæ mitti conveniat? ibd.
Quær. 3. num reverà se conspiciendum in formâ exteriori Pater Æternus obtulerit? ibid.

TRACTATUS DE ANGELIS.

QUÆSTIO unica. 226
ART. I. *Utrum existant Angeli?*
CONCL. *De Fide est existere Angelos.* ibid.
Quær. an naturali ratione possit demonstrari Angelorum existentia? 227
ART. II. *An, & quomodò sint creati Angeli?* 228
CONCL. I. *Cum rebus cæteris creatos fuisse Angelos probabiliùs censemus cum S. August.* ibid.
CONCL. II. *Quo in loco creati fuerint Angeli est incertum.* ibid.
ART. III. *Cujus naturæ sint Angeli? an corporei? an spiritales?* 229
CONCL. *Materiæ omnis Angeli expertes dicendi videntur.* 231
ART. IV. *Quæ sint Angelorum apparitiones?* 232
Quær. 1. num quid certi de illarum apparitionum qualitate, & modo statui possit? aut num à talibus quæstionibus satiùs abstinendum foret? ibid.
Quær. 2. num in promptu sit Dæmonum apparitiones à Sanctorum Angelorum manifestatione secernere? ibid.
Quær. 3. num vera sint corpora, quæ sibi sumunt tùm Angeli, tùm Dæmones? & quomodò? ibid.
ART. V. *Utrum Angeli sint immortales?* 223

ART. VI. *An differant Angeli, & quomodò?* 234

ART. VII. *Quis Angelorum numerus? & quo sint ordine inter se constituti?* ibid.

CONCL. *Incertum est quot sint Angeli, cum Angelorum numerus nullibi tradatur.* ibid.

CONCL. II. *Est inter Angelos ordo hominibus incognitus.* 235

Quær. 1. an liceat de Angelorum ordinibus nobis incognitis differere? ibid.

Quær. 2. quid de ordine à S. Dionysio inter Angelos constituto sentiendum sit? 236

Quær. 3. an etiam inter Dæmones quidam sit ordo? ibid.

Quær. ult. an aliis possint donari nominibus Angeli, quàm quibus in Scripturis insigniuntur? ibid.

ART. VIII. *Quæ sit Angelorum intelligentia?* 237

Quæritur 1. an multa tùm bonis Angelis, tùm Dæmonibus ignota sint? ibid.

Quær. 2. an Angeli per infusas species res corporeas habeant sibi perspectas? 239

Quær. 3. an Angelorum bonorum cognitio ab errore penitùs sit immunis? 240

Quær. 4. an, & quomodò se invicem alloquantur Angeli? ibid.

ART. IX. *An ad inferiora mittantur Angeli?* 141

ART. X. *Quibus creaturis præficiantur Angeli? & quorum custodia eis demandetur?* ibid.

CONCL. I. *Non solùm specialem aliquorum hominum curam habent Angeli sancti, sed etiam omnium hominum custodiæ præficiuntur & incumbunt.* 242

Quær. 1. an cuique suus sit quoque Dæmon? 243

Quær. 2. an Ecclesiæ Generali, & Ecclesiis quibusdam, Regnis, & Civitatibus sui sint Angeli? ibid.

Quæritur ult. quorum Angelorum ministerio infligendis pœnis utatur Deus? 244

FINIS.

APPROBATIO.

MONET Sapiens, ne quis innitatur prudentiæ suæ; quod si semper damnabile est, tùm sanè præsertim, cum id fit in his, quæ ad Fidem, & Religionem pertinent: undè à Beato Hieronymo sancitum est prudentiæ suæ inniti, qui ea, quæ sibi agenda, vel dicenda videntur, Patrum decretis præponit. Quantùm verò effatum hoc apud Virum Doctissimum, & Pastorem Vigilantissimum, cujus Theologici Tractatus tantoperè expetiti, tùm-primùm in lucem prodeunt, compertum sit atque exploratum, facilè cuivis legenti patebit. Hujus enim præcipua & summa, meo quidem judicio, laus est; quòd similis homini Patrifamilias de Thesauro suo, hoc est de Studio, quod lectioni Scripturæ sacræ & sanctorum Patrum consecravit, nova & vetera proferat; ut rectè hoc titulo donati publici juris fiant Theologici Tractatus ex sacris Codicibus, & sanctorum Patrum monumentis excerpti.

Datum in Ædibus Beatæ Mariæ, decimo Kalendas Novembris anni 1691.

COURCIER Canonicus Theologus Parisiensis.

CLARISSIMO VIRO DOMINO,

FRANCISCO FEU,

SACRÆ FACULTATIS PARISIENSIS DOCTORI,

SS. GERVASII ET PROTASII PARISIIS

PASTORI VIGILANTISSIMO,

CLAUDIUS GALLIOT S. P. D.

UTRUM tibi magis gratulari debeam nescio, VIR CLARISSIME, an Religioni Christianæ: Tibi quidem, quòd animum appuleris ad istud Operis perficiendum, quod Doctorem Parisiensem decet quàm maximè: ipsi verò Religioni, quòd ejus dogmatum sanctitati ex isto tuo labore novus splendor accesserit. Dudùm optabamus, ut quos in gratiam Abbatis Illustrissimi Theologicos Tractatus olim texueras, publici juris faceres: At obsistebat inprimis tua singularis modestia; moras nectebat insuper, hæc, cui totum dedisti te, gregis tui cura, & sollicitudo. Neque verò nobis officii istius impetrandi à te spes aliqua affulgebat, nisi Cleri tui, quem amas, & ad omne pietatis genus, & eruditionis informas, te ad id præstandum utilitas compulisset. In quo quidem eximio opere quoties recolo quæ me, cum illud legerem, afficiebant; mirari toties subit præstantiam ingenii tui, & ubertatem doctrinæ. Quid enim magnificentius quàm ea, quæ de Deo sentis? Quid elegantius, quàm quæ adversus Atheos, & Idololatras scribis? Ubi scrutaris Divinitatis arcana, & Hæreticorum, So-

cinianorum verò maximè, impietati opponis Scripturas; quàm penetras altè! quàm exponis dilucidè! quàm subtiliter arguis! Ubi verò Patrum sententias, & Antiquitatis Ecclesiasticæ monumenta prodis; quanta, Deus Bone, in his recensendis exundat copia! quanta & in expendendis sagacitas micat, atque solertia! At unum præ cæteris rapit; illud autem eò impensiùs, quod in isto genere scribendi sit rarum: is nempè qui passim spirat in libris his tuis Religionis amor; qui quidem talis est, ut nemo sit, qui illos legat, & subindè non sentiat animum pertentari suum stimulis quibusdam præcipuarum virtutum; & non intelligat in iis habere se imaginem expressam ejus, quæ in te est, sinceræ fidei, pietatis castæ, & ardentissimæ charitatis. Scriberemus plura, VIR CLARISSIME, nisi quam veremur virtutum tuarum custos modestia stylum nostrum comprimeret. Fruantur igitur dono hoc tuo Theologiæ Studiosi; & ex illo discant ea, quæ Dei sunt, magnificè, piè, ornatè eloqui. Nos verò qui te ex quo novimus, coluimus semper, & constanter amabimus, tu velim, ut facis, redamare pergas. Approbationem nostram, quam pro tuâ humanitate requiris, tibi mittimus. Vale.

EGO infrà scriptus, sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis Doctor, legi Opus, cui titulus, *Theologici Tractatus, ex sacris Codicibus, & sanctorum Patrum monumentis excerpti*, in quo nihil à Fide Catholicâ, vel bonis moribus alienum deprehendi. Datum Parisiis decimo-sexto Kalendas Septembris anni Domini 1692.

GALLIOT Collegii
Thesaurarii Moderator.

APPROBATIO.

MIHI Theologicos istos Tractatus evolventi statim venit in mentem, quod & olim Beato Hieronymo legenti quædam Opera Sancti Augustini, nihil videlicet in iis deesse, quod vel ad eorum dignitatem atque prçstantiam, vel ad ipsorum complementum & integritatem desiderari posset. Quid enim, quæso, requireretur iis in Tractatibus, in quibus Catholicum Dogma fortiter defenditur, Hæresis funditùs profligatur, palàm detegitur Falsitas, Veritas penitùs illustratur? Quoties eos pervoluto manibus, intentis oculis inspicio, mente animoque considero, non possum, quin demirer in illis, quod in Scriptis Angelici Doctoris demirabatur Innocentius VI. *proprietatem* nempè *verborum*, *modum dicendorum*, *veritatem sententiarum*. Quàm sapienter etiam in ipsis digesta sunt singula! quàm eruditè omnia discussa! quàm scienter tractatæ Veterum Scriptorum Sententiæ! Utinam à pluribus jam annis opera tam excellentia prodiissent in lucem; forsitan eorum lectione Sociniani, cæterique Novatores, in Mysteriis Christianæ Religionis ampliùs instructi, in tot ineptias & errorum laqueos non fuissent prolapsi. Quantum igitur in me est illos adhortor, ut dent operam legendis istis Tractatibus, quos, ob suam summam ad dilucidandas Fidei quçstiones utilitatem, dignissimos reputo, qui sine morâ prodeant in publicum, & in omnium manibus quamprimùm versentur. Datum Parisiis decimo-sexto Kalendas Septembris anni Domini 1692.

LE SENECAL D. Theologus Sacræ Facultatis Parisiensis.

TRACTATUS



TRACTATUS DE ATTRIBUTIS.

PROPOSITÆ HIC QUÆSTIONES plurimæ quibusdam proculdubio recèns excogitatæ videbuntur, ut quæ vulgò non exponantur in Scholis. Ejusmodi erunt forsan, quæ de ingenitâ singulis hominibus Dei cognitione, de gravitate momentorum, quæ illam Dei notitiam stabiliunt, si cum argumentis ex creatâ re collectis conferantur; quæ de negativis Attributis, de uberiori Traditionis circa Dei visionem Justis in alterâ vitâ concessam expositione, dogmatibusque aliis exscribimus. Cui verò quæ referimus, perpendere molestum non fuerit, has à nobis non fuisse adinventas sententias, sed à Majoribus, & Ecclesiæ Defensoribus illustrissimis acceptas animadvertet continuò. Aliis fortè non placebit curiosior, & non leviter operosa de Idololatriæ origine, progressu, Statuis, & variis Idololatrarum opinionibus disquisitio; sed qui Patrum antiquorum memoriam veneratione complectentur, singulari licet Dei beneficio non supersint Idololatræ confutandi, nobis, ut spes est, indulgebunt facilè, cum collectam paucis priorum quatuor seculorum de Dei unitate doctri-

nam unico obtutu perspectam sibi fieri deprehenderint. In cæteris Scholæ conclusionibus nihil à nobis fuit omissum, quod vel levissimum apud Antiquos sortitum fuerit monumentum. Ne quid verò è quæstionibus aliis ad exercitationem nuper excogitatis Candidatos lateret, eas, licet à Sanctis Patribus prætermissas, intactas non reliquimus.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum Deus sit?

PERMAGNI momenti hæc est quæstio: nam ab eâ Theologiæ disciplina pendet universa; nisi enim Deus existeret, nullus esset omninò Theologiæ locus; videri tamen posset omittenda; quia ex S. Clemente Alex. lib. 1. Strom. quæ aperta & palàm posita sunt, de his nulla est quæstio, velut cum dies est, utrum dies sit. Et ex Arnobio lib. 1. rerum, quæ sunt evidentissimæ, perspicuitati detrahi videtur, cum adducuntur in disputationem; ubi enim impugnantur, nutare & in dubium revocari creduntur, ac sæpè animi nostri infirmitas, objectionibus magis, quàm argumentorum pondere percellitur.

De hac ergò quæstione silendum omninò foret, nisi mens fidelium esset munienda contra tentationes varias, quibus concuti potest; vel eorum animis, qui dicunt *in corde suo, non est Deus*, ingerenda
Psalm. 52. vers. 1. lux esset; tùm etiam nisi contundenda foret eorum temeritas, qui existentiam Dei negasse, aut impugnasse referuntur.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum innata sit Existentiæ Dei cognitio?

ARGUMENTATIONE solâ, vel rerum creatarum consideratione duci nos in Dei cognitionem contendunt plurimi; disputant alii non solo creaturæ testimonio, sed etiam cuilibet ingenito lumine nobis innotescere Dei existentiam. Ingenitam verò cognitionem dicunt, quæ ab Authore naturæ omnium animis est ingenerata, quæque à co-

gnitionibus per institutionem, meditationem, laborem, aut experientiam partis, utpotè nullo discursu comparata, secernitur.

CONCLUSIO.

A naturâ omni homini rationis compoti, Dei Existentiæ cognitio est inserta.

HUJUS Conclusionis veritas hinc vel maximè commendatur, quòd sententia negans ex nullo penitùs Scripturarum testimonio possit erui; nostra verò pluribus Scripturæ locis juxta interpretationem Sanctorum Patrum, ut Athan. orat. adversus gentes, Basil. lib. 1. contra Eunom. S. Gregor. Magn. Hom. 19. in Ezechiel. expositis innitatur: Psalm. quippè 4. ℣. 7. *Signatum est super nos lumen vultùs tui Domine.* Isaiæ 46. ℣. 8. *Redite prævaricatores ad cor.* Luc. 17. *Regnum Dei intra vos est.* Nec enim ob aliud super nos signatum lumen Dei dicitur, & intra nos regnum illius, nisi quia suæ existentiæ notitiam, seu lumen suum omni homini Deus ingeneravit; nec ad cor suum peccator revocatur, nisi ut Deum, per lumen naturaliter insitum in seipso intueatur, & ab ipso audiat, quantùm à Domino aberraverit.

Prętereà quod in omnibus universìm occurrit, quod nullo monitore ex intimis hominum animis erumpit, quod attendenti statim affulget, & ità constanter apertum est, ut nullus excusandæ supersit ignorantiæ locus, insitæ cognitioni debetur, scilicet hæc sola cognitionis ingenitæ argumenta possunt afferri: nec enim aliâ de causâ, cujusmodi est ea, *Alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis*, cognitio à naturâ infusa dicitur, quàm quòd eæ notæ, quas ad naturalem cognitionem requiri diximus, illi conveniant. Antiquos autem Scripturarum interpretes, tùm Fidei Christianæ Apologistas, & Doctores si consuluerimus, hanc esse verbi divini doctrinam, & crescentis in dies Ecclesiæ Catholicæ sententiam compertum erit, scilicet omnibus Dei cognitionem esse ingenitam, seu exposita cognitionis ingenitæ argumenta illi competere.

1. Cognitio existentiæ Dei in omnibus hominibus universìm occurrit. Propterea veteres Ecclesiæ Defensores, tam eximiæ cognitionis beneficium in singularem Dei providentiam referunt, quæ Dei existentiam ità perviam fecit, ut hanc non perspicere homo non possit. Ità S. Clemens Alex. lib. 5. Strom. *Nam Dei quidem manifestatio erat unius omnipotentis apud omnes, qui rectè sapiunt, omninò naturalis, & æternum ex divinâ providentiâ beneficium apprehenderunt plurimi, qui non planè omnem exuerunt pudorem adversus veritatem.*

Hoc ingenitæ cognitionis argumento utitur Tertull. cap. 17. Apolog. ubi, postquàm rationes ex creatis rebus petitas attulit pro existentia Dei, ad animæ ipsius testimonium Ethnicos revocat, ut ad argumentum,

quod ejus virtutis est, ut Deum non patiatur ignorari; hinc ut colligit, ipsi Gentiles variis in casibus ad Deum confugere coguntur, seque naturaliter Christianos comprobant, saltem quoad istud de Dei unius existentia documentum. *Hæc est*, inquit, *summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt.* Et infrà: *Vultis ex anima ipsius testimonio comprobemus? quæ licet carcere corporis pressa, licet institutionibus pravis circumscripta, licet libidinibus & concupiscentiis evigorata; licet falsis exancillata Diis; cum tamen resipiscit, Deum nominat, hoc solo nomine, quia propriè verus hic unus Deus, bonus, & magnus; & quod Deus dederit, omnium vox est. Judicem quoque contestatur illam, Deus videt, & Deo commendo, & Deus mihi reddet. O testimonium animæ naturaliter christianæ!* Eandem naturalem Dei cognitionem eodem argumento probant Minutius Felix, S. Cyprianus, qui fermè Tertulliani verba repetit, & Arnobius lib. 1. cujus hæc sunt verba: *Quisquam-ne est hominum, qui non cum istius principii cognitione diem primæ nativitatis intraverit, cui non sit ingenitum, non affixum, imò ipsi penè in genitalibus matris non impressum, non insitum, esse Regem ac Dominum cunctorum quæcunque sunt, moderatorem.* Urget argumentum ejusmodi S. August. Tract. 106. in Joan. in hæc verba: *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi. Hæc est enim*, inquit, *vis veræ divinitatis, ut creaturæ rationali, jam ratione utenti, non omninò ac penitùs possit abscondi.*

Hanc veritatem, ut dogma constans, & de quo Eunomius ipse conveniret, supponebat S. Basilius lib. 1. adversus Eunom. ità enim errorem, quo Dei substantiam sibi perspectam esse contendebat, refellit ipse S. Basilius: *Quâ ratione divinam naturam complectitur? An-ne ideò communis beneficio? Sed ab eo hoc unum habemus, Deum scilicet existere; non verò quæ sit natura? An è Scripturis incomprehensibilem prædicant?*

2. Existentiæ Dei cognitio nullo monitore, ex intimis hominum pectoribus erumpit, ut disputat Tertullianus libro primo contra Marcionem, capite decimo, ubi docet nullo non tempore, & ante Moysem, seu antequàm prodiret Doctor, qui Dei existentiâ homines commonefaceret, hanc veritatem cuilibet à naturâ, seu à Deo fuisse inditam, & inde fieri, ut quibus in locis, etiam nunc temporis Moyses ignotus esset; Deus tamen esset conspicuus sensu naturali. *Antè anima*, inquit, *quàm Prophetia; animæ enim à primordio conscientia Dei dos est. Eadem nec alia & in Ægyptiis, & in Syris, & in Ponticis &c.*

Illa quoque Dei cognitio ex invitis pectoribus erumpit, inquit Lactantius libro secundo cap. primo; & ideò omni veniâ indignos esse Idololatras propugnat, qui Deum verum non colunt, quem ab homine fas non est ignorari; cum vel ipsos Ethnicos, ubi quædam incumberet necessitas, cogeret ipsa natura unius Dei cognitionem profiteri. *Nam & cum jurant; & cum optant; & cum gratias agunt;*

non Jovem, aut Deos multos, sed Deum nominant; adeò ipsa veritas, cogente naturâ, etiam ab invitis pectoribus erumpit. Quod quidem non faciunt in prosperis rebus: nam tùm maximè Deus ex memoriâ hominum elabitur; cum beneficiis ejus fruentes, honorem dare divinæ indulgentiæ deberent. Eadem ferè tradiderat jam anteà Sanctus Clemens Alexandrinus Admonitione ad Gentes, ubi sic loquitur: *Omnibus simpliciter hominibus, maximè autem iis, qui versantur in doctrinâ & litteris, instillatus est quidam divinus influxus; quâ de causâ vel inviti quidem fatentur unum esse Deum ab interitu alienum & ingenitum, qui in Cœli vertice, in propriâ speculâ verè sit semper.*

3. Existentia Dei attendenti statim affulget: nam, ut docet Tertullianus libro primo contra Marcionem capite tertio, *Id omnium conscientia agnoscit......... & de isto convenit apud omnes*, existere Deum, & ipsum *esse quid summum.* Nec fieri potest, ut scribit idem Tertullianus libro de animæ testimonio, capite secundo, quin ab homine, si ratione utatur, clarè & distinctè percipiatur Deus, vel ut ens perfectissimum, aut sub aliquâ ratione Divinitati congruâ; verbi gratiâ, quatenùs est omnipotens, bonorum largitor, vel Judex maximè formidandus &c. Hinc vel ex uno innato Justitiæ Divinæ timore ingenitam nobis esse Existentiæ Dei cognitionem probat: *Quid timetur*, inquit, *nisi ira? Undè ira, nisi ex animadversione? Undè animadversio, nisi de Dei judicio? Undè judicium, nisi de potestate? cujus potestas summa, nisi Dei solius? Hinc ergò tibi, anima, de conscientiâ suppetit domi ac foris, nullo irridente, vel prohibente prædicare, Deus videt omnia, & Deo commendo, & Deus reddet, & Deus inter nos judicabit.* Addit Lactantius libro septimo capite nono, nobis ità perspectam esse Dei existentiam, ut in dubitationem adduci non possit. *Qui nullum*, inquit, *omninò Deum esse dixerunt, non modò Philosophos, sed ne homines quidem fuisse dixerim.*

4. Ità constanter aperta est Existentiæ Dei cognitio, ut nullus excusandæ supersit ignorantiæ locus, quod ingenitæ cognitionis argumentum ex superioribus satis superque probatum videtur; si etenim existentiæ Dei cognitio in omnibus hominibus universim occurrit, si nullo monitore ex intimis hominum animis erumpit, & attendenti statim affulget, nullus profectò excusandæ superest ignorantiæ locus. Id colligere est ex Origene, initio libri primi contra Celsum, ubi sic habet: *Quapropter non est mirandum eumdem Deum eorum, quæ per Prophetas, & scrutatorem docuit, semina indidisse omnium mortalium animis, ut in divino judicio omnis homo sit inexcusabilis, habens legem mentis scriptam in corde suo.* Et ex Minutio Felice in Octavio: *Eos autem meritò torqueri, qui Deum nesciunt, ut impios, ut injustos, nisi profanus, nemo deliberat; cum parentem omnium, & omnium*

Dominum non minoris sceleris sit ignorare, quàm lædere. Ità ferè Sanctus Cyprianus, Arnob. & Lactant.

Hùc accedit, quòd Deus cæteris rebus creatis naturalem largitus est instinctum, quo in bona naturæ suæ congrua ferrentur: cur ergò homini cæteris animantibus longè præstantiori, naturalem denegasset suiipsius cognitionem, quâ ferretur in suum ultimum finem? Divina certè culpanda videretur Providentia, si vel unum hominem ità destituisset, ut illi naturalem illam cognitionem non indidisset.

Unum addidero, impossibile est naturam universam errare; communis verò illa persuasio de Existentiâ Dei, à solâ naturâ accepta inest omnibus, ut certò constat ex naturæ instinctu, quo ad hanc illam veritatem, quasi uno ore confitendam adducuntur homines, & demonstrat vetustas, tùm perpetuitas illius cognitionis & constantia: cum enim homines tot diversarum Regionum consuetudinibus, legibus, linguis &c. maximè dissideant, quis illos inter se pactum iniisse dixerit, ut in eam sententiam conspirarent. Hùc spectant probationes ex Sancto Augustino articulo ultimo adducendæ, quæ ex innatâ nobis notitiâ boni perfectissimi, veritatis supremæ & incommutabilis, summi nostri boni, seu beatitudinis colliguntur.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

OPPON. I. Ingenita si esset Divinæ Existentiæ cognitio, nulli darentur Athæi: plurimos autem extitisse Athæos constat; Psalm. enim tredecimo & quinquagesimo-secundo, versu primo: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Prothagoras Abderitanus in dubium vocavit Dei existentiam, ex Cicerone libro primo de naturâ Deorum; & his solebat verbis uti, ex Laërtio in ejus vitâ: *De Diis quidem neque utrum sint, neque utrum non sint, habeo dicere.* Ideò ab Atheniensibus exilio fuit mulctatus. Diagoras verò palàm Dei existentiam negavit, ut habet Cicero ibidem, & Plutarchus de Philosophiæ placitis; eumque vocatum fuisse Athenis Athæum asserit Lactantius de irâ Dei, capite nono. Ejusdem sententiæ fuerunt Theodorus Sirenaïcus, teste Cicerone ibidem; Evemerus Thegeates ex Theodoreto, libro primo & tertio de Curatione Græcarum affectionum; item etiam Anaxagoras, quem Cleo Atheniensis impietatis accusavit; in eumque Jovem vibrasse fulmen in Timone ait Lucianus, quòd Deos non esse docuisset. Eundem oratione ad Græcos Athæum appellat Justinus Martyr.

Resp. Deum non esse, dixisse insipientem errore practico, non speculativo; practicus autem error est, cum non tàm intellectus errat, quàm voluntatis impulsu, ad eum sibi errorem suadendum inducitur; ità autem affecti sunt insipientes illi, de quibus David:

cum enim se totos libidinibus dederint, omnem Dei conscientiam exuere conantur: undè subjungit versu secundo: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis.* Quem practicum errorem sic exponit Sanctus Hilarius in eum Psalmum quinquagesimum-secundum. *Fit frequenter, ut nos cum verè necessitas ad confessionem Dei cogat, oblectatio tamen vitiorum Deum non esse persuadeat, & quod contra fidem credimus, id tamen de consilio cordis impii eloquamur.* Cum scilicet illi voluptatibus servire vellent, aut Dei justitiam tollere conati sunt, ne timore quodam voluptatum suavitas perstringeretur; aut Dei providentiam negarunt, cum ejus œconomiam intelligere non possent. Hinc in verba Psalmi tredecimi & quinquagesimi-secundi observat Genebrardus non esse in Hebræo, *non est Deus, sed Elohim*; quod nomen, *Judicem* præcisè significat. Paraphrastes Chaldæus ideò scripsit, *non est potestas in terrâ*; & ipse Genebrardus, *non est Dei providentia.* Error verò speculativus est, cum mens humana errori cuidam assensum præbet. Nullus autem, quisquis ille sit, Deum non esse sibi suadere potest, & cognitioni sibi naturaliter insitæ reluctari.

Nec Athæi erant, nec Dei existentiam negabant Prothagoras, Anaxagoras, &c. Ac ne Athæorum nomen, quod quibusdam fuit impositum, præjudicium faciat, in more fuisse apud Antiquos constat haberi pro Athæis, qui Deorum cultum improbarent; ideò ipsi Christiani Athæismi fuerunt incusati, ut habet Sanctus Justinus Apologiâ secundâ: *Vocamur autem Athæi, & sanè confitemur talium, qui habentur Deorum nos esse expertes, & hâc ratione Atheos; sed non verissimi illius Dei, Patris justitiæ, & temperantiæ, & cæterarum virtutum, & ab omni vitio intacti.*

1. Ex Prothagoræ verbis, quæ attulimus, patet eum de solâ multitudine Deorum verba fecisse. 2. Anaxagoras à Cleone impietatis & Athęismi fuit accusatus, quòd Solem, quem pro Deo Athenienses colerent, ferrum candens atque ignitum, aut globum ignitum dixisset; hic quidem, nisi Periclis discipuli sui authoritate periculo subductus fuisset, capitis pœnam non evasisset; quinque talentis & exilio mulctatus fuit, quod videre est in Plutarcho, ubi de Pericle. Primus autem omnium, teste ibidem Plutarcho, Anaxagoras universitati non fortunam, neque fatum, sed mentem puram sincerè & palàm præfecit. Sic Cicero libro primo de naturâ Deorum. Undè impietatis potiùs incusandi essent Athenienses. Hic ergò Athæus dictus, quòd à populari Atheniensium de Sole sententiâ recessisset, veri Dei notitiam professus. Idem Socrati contigit, qui ab Anito impietatis quoque accusatus, quòd non eosdem cum Atheniensibus Deos veneraretur; ducentis ideò & octoginta sententiis & pluribus cum absolveretur, ab Atheniensibus tamen condemnatus fuit, ut testatur Cicero libro primo de Orat. Alii quidam populi, ut Æthiopes, Athæi crediti sunt,

ut habet Strabo lib. 17. quòd simulacris non uterentur, & à recepto in aliis gentibus cultu alieni essent.

Mentem ergò infinitam cognovit Anaxagoras, quæ ex infinitâ congerie partes similes secerneret, easque componendo res novas produceret, & segregando res veteres destrueret: sed primus è Philosophis Græcis non fuit, qui mundi agnoverit Opificem: nam & Ionicæ Philosophiæ conditor Thales Milesius, à quo disciplinam suam hausit Anaximander, uti ab illo Anaximenes Anaxagoræ Præceptor, eâ in sententiâ fuit, ut author nobis est Cicero lib. 1. de naturâ Deorum.

Quandoque à nostris, ut à Sancto Justino, & Lactantio, Philosophi quidam dicuntur Athæi, non quòd Athæos illos fuisse censerent, sed quòd ad receptam loquendi rationem sermonem suum accommodarent, nec de Philosophorum illorum sententiâ judicium ferebant. Aliquandò, ut Athenagoras in Apologiâ, in eo operam collocarunt, ut ab Athæorum, quos pœnis esse subjiciendos Ethnici prædicabant, errore Christianos vindicarent; nec esse cum Diagorâ, quem ut Athæum Athenienses damnarant, confundendos, quòd de Deo cum plebe non sentirent, sed cum Euripide, Sophocle, Philolaquo, & aliis optimæ famæ Philosophis.

Si quidam verè Athei fuissent, nullo loco essent habendi, tùm quòd infinita sit aliorum Philosophorum copia, qui contrariam sententiam docuerint; tùm quòd perditissimæ vitæ illi fuerint. Theodorum refert Laërtius omnem pudorem exuisse, adeò ut in propatulo se scelus omne patraturum profiteretur, & cum scortillo rem habiturum; veritas ex apparenti quorumdam sententiâ elicienda non est; quandoquidem licet Pyrrhonici prima principia in dubium vocent, nullus tamen est de illis dubitandi locus.

Oppon. 2. Job. 12. vers. 7. Sapient. 13. vers. 11. Roman. 1. vers. 20. Ex rerum creatarum intuitu existere Deum demonstratur, nec aliam Dei cognoscendi rationem Scripturæ tradunt.

Resp. iis in locis certam quidem cognoscendi Dei rationem tradi, sed aliam non excludi, quam ex aliis Scripturæ locis colligimus, & colligit S. Athanasius orat. adversus Gentes: *Ità quoque nec via, quæ ad illum tendit procul, aut foris, extraque nos consistit, sed in nobis sita est, & initium ejus à nobis investigari potest, quemadmodùm & Moyses docuit his verbis, verbum fidei intra cor tuum est, quod & Salvator noster significavit, ac confirmavit dicens, Regnum Dei intra vos est.* Et posteà: *Quod si ex me percuncteris, quænam illa sit via, dico eam uniuscujusque animam esse, & in animâ ipsam mentem.* Et infrà: *Ideò certè divinæ contemplationis vim, intelligentiamque possidet, ipsaque sibi ipsi ut via ac methodus quædam, non aliundè, sed ex se ipsâ Verbi divini scientiam apprehensionemque haurit ac percipit.* Addit, *necesse est, ut in mundandis ex peccato ortis sordibus operam anima col-*

locet, & quæ sunt extranea pro virili exerat, ut in seipsâ, quasi in nitido speculo divinæ imaginis sibi impressa vestigia, & insculptas veritates possit contemplari & introspicere. Quæ conclusionem admodum confirmant, sicut & laudati Religionis Christianæ vel primi defensores pluribus pariter exponunt.

INST. 1. Omnis cognitio à sensibus habet originem, & si quæ de Deo habeatur certa cognitio, discursu nititur, & proindè figmenti loco sunt illæ Dei cognitiones ingenitæ.

R. Plurimas esse notitias ingenitas, vel ipsis Scripturis tradentibus, quæ sensuum ministerio non nituntur, ut de lege naturali, de principiis vulgaribus, *alteri ne feceris quod tibi fieri non vis*; quales sunt generales istæ propositiones; *impossibile est idem simul esse & non esse; quodlibet est vel non est; virtus vitio est anteponenda*; harum enim cognitio propositionum minimè pendet ex ministerio sensuum; hæc enim omnia sensibus cùm percipi non possint, ut quæ nec colorata, nec sonora, nec tactilia sint, sensuum certè ministerio in omnium animos non venerunt, quod uberrimè probat S. Aug. l. 10. Conf.

INST. 2. Quælibet cognitio Dei vel intuitiva est, vel abstractiva, Theologis consentientibus; cognitio autem illa, quæ dicitur ingenita non est intuitiva, quia per eam Deus ut in se est, & totus videretur; nec est abstractiva quia hæc ratiocinio utitur.

R. Præterea admittendam esse aliam cognitionis speciem immediatam, scilicet per quam, nullo discursu adhibito, Deum existere cognoscimus, quæ quidem cognitio instar intuitivæ, non ab objecto quod se totum præbeat spectandum ducatur, sed ab eâ, ut ita loquar, inscriptione quam animis nostris insculptam deprehendit quisque, dum naturam suam consulit, ut Scripturæ & Patres laudati monent; hincque Deo summæ habendæ sunt gratiæ, quòd animum nostrum ita sibi esse addictum voluerit, ut non possit, quin intra se introspiciat ipsum, aut scelerum, si deficiat, vindicem æquissimum; aut, si Domino adhæreat, benignum præclarè gestorum remuneratorem.

INST. 3. Si Existentiæ Dei cognitio nobis esset naturaliter indita, Essentiæ quoque Dei cognitio nobis esset naturaliter inserta, cum Essentia & Existentia Dei ne quidem virtualiter distinguantur.

R. Non sequi, licet enim non possit Essentia Dei concipi, quin & Existentia cogitetur, quia Essentia Dei tantummodô sub ratione entis perfectissimi apprehenditur: non habetur tamen Existentiæ Dei conceptus adæquatus: scilicet ratio independentis, ratio omnipotentis, & cæterarum Dei perfectionum animo non sese offerunt statim, & sic conceptâ Dei Existentiâ, cognoscitur quidem inadæquatè Dei Essentia, non verò adæquatè; quamvis enim Dei Existentia cognosci non possit, quin & cognoscatur ejus Essentia sub ratione Entis perfectissimi considerata, tamen concepta ipsius Dei Existentia, non habetur propterea conceptus Essentiæ adæquatus, seu, ut Theologorum Scolasticorum more loquar, non ideò cognoscitur quoad quæstionem quid est. Innumera sunt, de quorum

Existentiâ nemo dubitat, ut de lucis Existentiâ: pauci verò sunt, qui ejusmodi rerum naturam cognitione assequantur.

INST. 4. Adhuc, idæa Entis summè necessarii supponit in nobis idæam Entis planè contingentis, cùm efficaciter probetur Existentia causæ alicujus necessariæ, ex effectuum contingentium Existentiâ: ergo cognitio quam habemus de Deo, pendet ex effectuum cognitione, ideòque innata nobis non est atque congenita.

Lib. 1. contra Marcion. Lib. 1. orthodox. fide. Lib. de testim. animæ

R. Falsum esse idæam entis planè contingentis, in nobis præcedere idæam entis summè necessarii: Nonne enim [ut cum Tertulliano loquar] *Prima animæ rationalis dos Dei notitia est?* [ut scribit S. Damascenus] *Omnibus à naturâ est insita.* Quod iterum confirmat ipse Tertull. in lib. de animæ testimonio, & infert ex publicis illis vocibus (adsit mihi Deus) (ô Deum immortalem) quas in extremis periculis positi, vel vi inimicorum oppressi emittere solemus. Quis enim, inquit, *Ejusmodi eruptiones animæ non putaverit doctrinam esse naturæ congenitæ, seu ingenitæ conscientiæ tacita commissa. Certè prior anima, quàm littera, & prior sermo, quàm liber, prior sensus, quàm stylus, & prior homo ipse, quàm Philosophus, & Poeta. Numquid ergo credendum est ante litteraturam & divulgationem ejus, mutos absque hujusmodi pronuntiationibus vixisse homines? Et unde hoc didicit anima? Certè non à Philosophiâ, non à litteris, vel scripturis, nec à disciplinâ. Hæc enim pronuntiat, non scholis formata, simplex, rudis, impolita, idiotica, de compito, de textrino tota; hæc à naturâ didicit, magistra natura, anima discipula.* Quam etiam veritatem eleganter exprimit Tullius lib. 1. de nat. Deor. his verbis: *Quæ gens unquam fuit, vel est, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrinâ anticipationem quamdam Deorum, quam Epicurus appellat πρόληψιν, id est, anteceptam rationem, & animæ præviam rei quamdam informationem, sine quâ nec intelligi quidquam, nec quæri, nec disputari possit.* Ex quibus planum prorsùs est insitam nobis esse ac innatam Dei cognitionem. Potest insuper addi, idæam Entis summè necessarii per discursum partam supponere Entis planè contingentis idæam; secus verò, si illa Entis summè necessarii idæa nobis sit congenita, qualis est ea quam habemus de Dei Existentiâ.

Hæc passim in toto libro.

Lib. 1. de nat. Deor.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum hæc propositio, DEUS EST, *sit nota quoad nos.*

PROPOSITIO nota dicitur quoad se, cùm prædicatum de ratione subjecti est, nec datur medium seu causa, aut ratio formalis à priori, quâ prædicatum conveniat subjecto, sed prædicatum ita est essentiale subjecto, ut nihil sit verius aut prius: Unde si statim non appareat connexio essentialis inter prædicatum & subjectum, id non ex defectu rei oritur,

ſed ex defectu intellectus noſtri, qui immediatè & tam perfectè rem cogitare non poteſt.

Propoſitio verò nota quoad nos, vel ſpectatur primò pro eâ quæ rei eſſentiam oculis noſtris ita clarè objicit, ut eam penitùs perſpectam habeamus, talis eſt hæc: *Totum eſt ſuâ parte majus.* Secundò pro eâ quæ ex terminis ita inter ſe connexis conſtat, ut ſtatim terminorum connexio appareat, noſtramque mentem in ſui aſſenſum rapiat, ut, *omnis triangulus duobus angulis rectis eſt æqualis.* Propoſitionem, *Deus eſt*, notam ſecundùm ſe certum eſt, quia prædicatum eſt de Eſſentia ſubjecti, ſeu Exiſtere de Eſsentia Dei, nec datur cauſa aut ratio formalis à priori, cur Exiſtentia Deo conveniat. Secundò propoſitio, *Deus eſt*, non ita nota eſt quoad nos, ut omni ſublato velo, Dei Eſſentiam nobis exhibeat.

Controverſia verò eſt, num poſteriori ratione ſecundùm nos ſit nota.

CONCLUSIO. *Propoſitio*, DEUS EST, *quoad nos nota eſt.*

Primò. Quia conſtat terminis ita inter ſe connexis, ut non poſſimus ei aſſenſum non præbere, ubi termini nobis expoſiti fuerint. Propoſitiones ex v.c. *circuli circumferentia à medio æqualiter diſtat, totum eſt majus ſua parte*, quoad nos nota cenſentur; quòd qui in dubium eas vocaret, aut iis aſſentiri recuſaret, non poſſet eis aſſenſum non præbere, ubi propoſitionum illarum termini eſſent explicati.

Qui autem concipit id quod Deus eſt, is utique Ens omnium perfectiſſimum, ſeu id quo nihil melius concipi poteſt, cogitat, ut ex omnium conſenſu Tertull. probat lib. 1. contra Marcion. c. 3. *Deum ut ſcias unum eſſe debere, quære quid ſit Deus, & non aliter invenies. Quantum humana conditio de Deo definire poteſt, id definio, quod & omnium conſcientia agnoſcet, Deum ſummum eſſe, magnum, in æternitate conſtitutum, innatum, infectum, ſine initio, ſine fine, hunc enim ſtatum æternitati cenſendum, quæ ſummum magnum Deum efficiat dum hoc eſt in Deo ipſa atque ita & cætera, ut ſit Deus ſummum magnum, formâ, & ratione, & vi, & poteſtate; cùm de iſto conveniat apud omnes, (nemo enim negabit Deum ſummum magnum quid eſſe, niſi qui poterit Deum, imum modicum quid è contrario pronunciare ut Deum neget auferendo quod Dei eſt) quæ erit jam conditio ſummi magni, nempè ut nihil illi adæquetur, id eſt ut non ſit aliud ſummum magnum.* Item Lact. l. 1. c. 3. S. Aug. l. 1. de doctr. Chriſt. c. 7. & ipſi Ethnici, ut Cic. lib. 2. de nat. Deor. Non poteſt autem concipi Ens perfectiſſimum, ſeu quo nihil melius, quin concipiatur Exiſtens, conciperetur alioquin ut quid perfectiſſimum, & non conciperetur, quod implicat; ex hypoteſi conciperetur; non conciperetur autem, quia illud non cenſendum concipi ſub ratione Entis perfectiſsimi, & quo nihil melius, ſi quid ipſo poſsit apprehendi perfectius & melius: poſſet verò apprehendi quid melius & perfe-

ctius, illud nempè cui non deesset Existentia. Quomodo concipietur Ens perfectissimum, cui Existentia non competeret? Quomodo potest concipi ut id quo non datur melius, & simul non existens? Simul enim cohærere non possunt duæ illæ ideæ Entis perfectissimi, & Entis perfectissimi non Existentis: Unde sicut de ratione trianguli est, ut concipiatur sub ratione Entis, quod constat ex tribus angulis; ita de ratione Dei est, ut apprehendatur Existens, si sub ratione Entis perfectissimi proponatur; non alia autem est Dei perceptio: unde S. Aug. lib. 1. de doct. Christianâ c. 7. *Qui unicum Deum agnoverunt, & qui multos Deos agnoverunt, etsi quid esset Deus, ipsos latuerit, semper tamen quod melius concipiebant, Deum crediderunt, & omnes pro excellentiâ Dei dimicabant.* Lib. de morib. Manichæor. c. 7. *Summum bonum, omninò, & quo esse, aut cogitari nihil melius potest, aut intelligendus, aut credendus Deus est; si blasphemiis carere cogitamus.*

2. Nota est quoad nos propositio, cujus ingenita nobis est cognitio: ex superiori autem articulo constat naturaliter nobis insertam Dei Existentiæ notitiam.

OPPON. Hæc propositio nota non est quoad nos, quæ probari exigit, hæc propositio, *Deus est*, ejus est naturæ.

R. Propositionem, *Deus est*, variis quidem demonstrationibus confirmari, non quòd confirmari indigeat, sed ut quorumdam refrænetur pertinacia, qui veritati manifestissimæ obsistere non verentur.

INST. 1. Illa propositio probari exigit, quæ non constat terminis ita inter se connexis, ut statim animus assentiri cogatur; hujusmodi est ista, *Deus est*, nam potest Ens perfectissimum ut possibile apprehendi, sicut res creatâ perfectissima ut possibilis concipi.

R. Non posse concipi Ens perfectimum quin concipiatur ut Existens; deesset enim illi perfectio, scilicet Existentia, & sic non esset perfectissimum; res quidem creata perfectissima potest cogitari ut possibilis, quia res creata, quà creata est, ab actuali & possibili Existentiâ abstrahit, nec est in omni genere absoluta.

INST. 2. Non potest Deus cognosci, nisi ut prima causa, & proindè per discursum.

R. Deum cognosci ut primam causam, cùm attenditur habitudo quam dicit ad res creatas, non verò cùm ut Ens perfectissimum cognoscitur: Nullâ enim tunc opus est ad res creatas attentione.

ARTICULUS ULTIMUS.

Utrum Existentia Dei Demonstrari possit.

DEMONSTRATIO à priori de Dei Existentiâ non datur, quòd Dei causa non detur. Quæstio ergo tantùm est de demonstrationibus à posteriori, & an Existat Deus, non verò quid Deus sit.

CONCLUSIO PRIMA.

Dei Existentiam per res creatas Demonstrari tradunt Sacri Codices.

1. Qui Codices tradunt Dei cognitionem ex rebus creatis adeò esse in propatulo, ut satis sit eas adire, ad eas attendere, eas interrogare, vel audire, & tam aperto testimonio majestatis suæ existentiam exprimere, ut hominibus singulis excusandæ ignorantiæ locum præripiat, palàm faciunt Dei Existentiam ex rebus creatis manifestò elucidari; hæc autem est divini verbi doctrina, Job. 12. ℣. 7. *Interroga jumenta, & docebunt te, & volatilia cœli, & indicabunt tibi, loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris. Quis ignorat, quòd omnia hæc manus Domini fecerit.* Addunt Scripturæ, Dei opera ejus gloriam oculis subjicere, ejus magnitudinem ostendere, præsertim frequentia beneficia Psal. 18. ℣. 2. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* Sap. 18. ℣. 5. *A magnitudine enim speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri* Act. 14. ℣. 14. *Qui fecit cœlum & terram & mare & omnia quæ in eis sunt, qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas, & quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluvias & tempora fructifera, implens cibo & lætitiâ corda nostra.* Addunt ex operibus Divinitatem intelligi, imò conspici, & ita apertè, ut peccato eximi ignorantiæ non possit homo, Rom 1. ℣. 2. *Invisibilia enim ipsius à creaturâ mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas, ita ut sint inexcusabiles, &c.*

Licet creaturæ omnes quasi loquantur, & apertè demonstrent Dei Existentiam, plurimi tamen creaturas vident, neque eam vocem audiunt, quia ut monet S. Aug. lib. 10. Confess. c. 6. *Nec respondent ista interrogantibus, nisi judicantibus, nec vocem suam mutant, id est, speciem suam, si alius tantùm videat, alius autem videns interroget, ut aliter illi appareat, aliter huic, sed eodem modo utrique apparens, illi muta est, huic loquitur, imò verò omnibus loquitur, sed illi intelligunt, qui ejus vocem acceptam foris, intùs cum veritate conferunt, veritas enim dicit mihi, non est Deus tuus cœlum & terra, neque omne corpus, hoc dicit eorum naturam videnti; moles minor est in parte, quàm in toto, jam tu melior es tibi dico anima mea, quoniam tu vegetas, mole corporis tui præbens ei vitam, quod nullum corpus præstat corpori, Deus autem tuus etiam tibi vita vita est.*

Opp. Non sequi res creatas Existentiæ Dei esse medium certum, sed probabile tantùm, quòd excusationis omnem locum tollere potest; media enim probabilia id præstant: sic illa quibus Christi adventus, v. g. & hic homo Pauli pater probantur licet probabilia sint tantùm, excusationis locum tollunt omnem; tenetur enim quisque Christi fidem ample-

cti, & Paulus homini quem pro patre habet, honorem lege divina præscriptum deferre.

R. Res creatas esse medium certum Existentiæ Dei. 2. Nec medium probabile, nisi à re indubitatâ saltem moraliter pendeat, homines à peccato non eximere; propterea que quemlibet è legitimo matrimonio progenitum matris suæ conjugi debitum parentibus honorem deferre teneri. 3. Media verò, quibus Incarnatio demonstratur, non pro probabilibus tantùm mediis, sed pro certissimis sunt habenda.

Conclusio II. *Plurimæ de Deo Demonstrationes afferri possunt.*

1. Spectari non possunt solis, lunæ, & syderum conversiones, constans ordo, quin statim intelligatur Existere, qui & ea condiderit & moderetur: non potest enim fieri ut ea semetipsa condiderint, aut moderentur: nec casu tam apta sit moderatio. Existit itaque à quo condita sunt & reguntur, seu prima causa quæ Deus est: has rationes sic SS. Patres illustrant; qui amplissimam civitatem ingressus, eamque summâ pace frui conspicit, omnesque illius cives æquo jure vivere inter se, facilè adducitur, ut credat ibi adesse aliquem tam miræ pacis cùm authorem, tùm etiam conservatorem. Qui humani corporis eximiam formam, necnon partium ex quibus constat mirificum situm paulò attentiùs considerat, opus adeò egregium unà cum excellente illius opifice miratur & suspicit, statimque animam esse in corpore libens confitetur, quæ omnes corporis partes citra dissentionem ad omnia obeunda munera moveat. Qui exercitum rectè instructum & in hostes prodeuntem ex montis supercilio viderit, Imperatorem conjiciet qui copiis præsit, huncque præclarum ordinem instituerit. Nec potest in medio maris conspici navis ad quemdam portum dirigens iter, quin statim in mentem veniat adesse gubernatorem, qui cursum navis moderetur; necessariò igitur omnium quæ in mundo sunt & tantâ sapientiâ administrantur, bonorum fontem, & moderatorem, Deum scilicet agnoscere oportet.

2. Idem argumenti genus ita perspicuum iterùm potest fieri. Quidquid Existit, vel est mutabile, vel immutabile, creatum, vel increatum; omnia verò non esse immutabilia & increata constat; datur ergo Ens quod cætera creaverit, res enim seipsam facere non potest. Quod ergo cætera condidit, sine principio & ab æterno est; quidquid enim ex tempore cœpit esse, aliquando non fuit; & si nihil à semetipso esset, res Existere non potuissent.

Mundus certâ mole & magnitudine donatur, quæ ab ipso determinari non potuit, sed aliundè; nec ejus est molis quâ major dari non possit. Admittendus est ergo necessariò artifex, qui illam molem definierit, ac subindè necesse est illum artificem esse substantiæ intellectualis & perfectissimæ, quæ de rebus omnibus tam sapienter constituerit.

Mundus etiam necessariò conditus non est, nec casu. Non 1. nam & plurimi alii & longè ampliores mundi possibiles sunt, potuitque iste non creari; non autem potest dici casu conditus quin supponatur causa illius; non enim seipsum fecit, imo nihil contingit per accidens quod causam per se non supponat, sic v. c. tegulâ homo opprimitur. per accidens nempè, sed illa oppressio supponit causam per se, nempè aut hominem, qui lapidem illum projecerit alio quidem consilio, aut molem, & pondus insitum lapidi qui à pariete avulsus in terram movetur, & hominem illac transeuntem consulto obruit.

3. Eidem argumento accedit nova illustratio si sic oculis subjiciatur. Omnia entia, vel sunt contingentia, vel datur aliquod Ens necessarium. omnia entia dici non possunt contingentia; si enim ita esset, fieri posset ut nullum Ens existeret; contingens enim ex naturâ suâ potest non esse; hac autem factâ hypothesi, res omnes & possent esse & non esse, quod implicat; esse possent ex hypothesi, & non esse possent; quia illud non esse posset, cujus non daretur causa: nec enim Entia semetipsa possent producere: nihil quippe sibi dat esse: priùs est enim rem esse, quàm operari; ergo omnino admittendum est aliquod Ens necessarium, seu quod sit à se & non possit non esse.

4. Quòd omnes orbis terrarum populi, in hanc sententiam conspirent, & Deum Existere inter se conveniant, nullus Philosophorum diffiteatur: In hoc ergo natura & ratio consentiunt, licet in aliis tùm dogmatibus, tùm consuetudinibus, & legibus dissideant; impossibile est autem, ut suprà probatum est, naturam universam errare: ex naturæ instinctu ad cognitionem Dei omnes terræ homines adducuntur, nec ullo pacto inito in hunc de Dei Existentiâ consensum venerunt. Neque etiam omnium sapientium ratio in errorem lapsa dici potest, quæ naturæ instinctu congruit, & tàm mirabili, & tantâ sapientiâ elaborato operi præesse quamdam sapientiam, eamque supremam conjicit. Nec illud inconsultò factum asseri potest, nec reddi ratio cur sit mundus, & non aliter fuerit constitutus.

5. A Sancto Augustino eadem veritas probatur variis demonstrationibus quæ ex ingenitâ Dei cognitione, non verò ex discursu ex rebus aliis creatis ducto eruantur. 1. Perfectius quid nostrâ ratione est agnoscendum: ratio enim nostra omnium Entium se non esse rem perfectissimam novit: scit enim se esse mutabilem, & immutabile mutabili præstare, seque non mutabili lumine uti, sed immutabili, & quod suprà se sit. Lib 2. de Lib. Arb. c. 12. Lib. de Vera Relig. c. 3. Ergo datur Ens immutabile & supremum, quod Deus est.

2. Quæ in corporibus pulchritudine sua nos delectant non aliâ ratione animos deliniunt, quàm aptâ partium dispositione aut proportione; nobis autem illa partium dispositio non placet, nisi ob unitatem & æqualitatem, quæ judicii nostri lex & forma est. Hæc autem unitas & æqualitas rebus (quæ locorum & temporum vicissitudinibus sunt obnoxiæ) non inest; cùm ipsa immutabilis sit; illæ autem res varias mu-

tationes patiantur ; suprema igitur est æqualitas, quæ nec à locis, nec à temporibus pendet. Anima autem nostra, seu ratio æqualitas illa suprema non est : cum ipsa tot mutationibus sit obnoxia, & modò inscitiæ tenebris obscuretur, modò scientiæ lumine perfundatur. Alibi non quærenda est igitur quàm in Deo omnis æqualitatis authore immobili, nec eam appeteremus, nisi alicubi existeret. Sic l. de Musi. c. 12. lib. de Quantitate Animæ c. 8. 9. 10. lib. de Vera Relig. c. 3. lib. 8. de Civit. Dei.

3. Existit veritas incommutabilis, nunquam cessans, quæ Deus est : nam de omnibus rebus incommutabili quadam veritate judicamus. Hæc autem veritas nobis nobilior est : cùm non de ipsâ, sed secundùm ipsam judicemus : nec judicio nostro subest : nec mutationi obnoxia est : nec mens nostra habet veritatem à se : errare enim non posset. lib. de Vera Relig. c. 3. lib. 2. de Lib. Arb. c. 6. & 12. l. 3. c. 12. Insuper, veritas admittenda est nunquam cessans & semper subsistens ; nam annihilari mundum supponamus, & proinde perire omnes, qui in illius veritatis partem asciti fuerant. Veritas, in hac hypothesi, aut in nihilum est redigenda, aut non. Non utique annihilaretur; ergo admittendum esset subjectum in quo subsisteret ; illud autem non potest esse ex iis quæ annihilari & destrui possunt, cum ipsa veritas illis annihilatis & destructis superesset ; ergo admittendum est aliquod immutabile, quod nunquam pereat. Existit ergo aliquid immortale, quod sit verum, seu in quo sit veritas ; non autem annihilaretur, seu destrui posset veritas, in nihilum redactis rebus omnibus creatis, semperque vera esset illa propositio, mundus fuit, mundus periit. Jam si illud semper futurum verum esset, quæro quodnam subjectum illius existeret : perire enim non posset, quod semper futurum verum est ; admittendum ergo aliquod subjectum veritatis, quod immortale & mutationi obnoxium non sit. Lib. 1. Soliloq. c. 2. & 15. lib. de Lib. Arb. c. 12. lib. 2. de Vera Relig. cap. 39. lib. 3. Quæst. 4. Quæst. 5.

4. Necessariò supremum bonum est : cùm sint majora & minora bona, quæ sunt ejusmodi tantùm, quia vel minus, vel magis ad illud supremum bonum accedunt. Datur mutabile bonum, cujusmodi sunt omnes res creatæ : quòd autem mutabile, ideò tale est, quia ad aliquem actum, seu perfectionem tendit, & assequi conatur ; eam autem assequi nititur, quod eam à se non habet, & ab alio eam obtinere quàm à se debet : nemo enim sibi conferre potest quod penes se non est. Agnoscendum ergo supremum aliquod bonum ad quod omnia creata confugiunt, ut quæ sibi desint, accipiant ; hoc autem bonum, Deus est, qui solus animas & corpora perficere potest. Omnibus etiam naturaliter inditum est, immutabile bonum : mutabili esse præferendum, sic sapientiam immutabilem mutabili sapientiæ longè præstare ; illius autem boni immutabilis existentia elicitur necessariò ex bonorum mutabilium Existentiâ, ideò enim tantùm bonum mutabile dicitur, quia minùs vel magis accedit ad bonum incommutabile, & bona mutabilia necessariò ab im-

mutabili

immutabili bono emanant. Lib. 2. de Lib. Arb. c. 17. Lib. de Morib. Eccl. c. 6. Lib. de Morib. Manich. c. 11.

Opp. 1. Demonstrationes adductæ non necessariò Existentiam Dei inferunt. 1. Quæ petitur ex necessitate admittendæ primæ causæ, seu quæ omnia è nihilo eduxerit, nullius momenti est; nam demonstratio, quæ concludit necessariò, debet concludere omni suppositione facta: Demonstratio autem Existentiæ Dei, posito quod mundus sit ab æterno, non concluderet; daretur enim progressus in infinitum in creaturis à se invicem productis, & proinde non posset demonstrari 1. causa, &c.

R. Dato progressu in infinitum non posse demonstrari primam causam ejusdem ordinis: posse verò si sit ordinis diversi; sic licet infinitæ darentur plantæ, & non posset assignari prima; daretur necessaria semper plantarum causa, quæ esset alterius ordinis: & quamvis linea infinita existeret, nec posset prima aut ultima ejus pars designari, posset demonstrari digitus qui lineam illam descripsisset; ita licet mundus esset durationis perpetuæ, & à parte ante, & à parte post, & proinde nec prima, nec ultima ostendi posset res creata, existeret semper causa quæ ipsas creasset: quia nempe talis Entium congeries non esset à se, sed ab alio; nam licet illa Entia forent infinita, essent tamen Entia per participationem, cum essentiæ rerum immutabiles sint; dentur enim v. c. infiniti homines, non desinent esse animalia rationalia, quia de ratione hominis est, ut sit animal rationale.

Inst. 1. Licet hoc vel illud Ens sit ab aliqua causa, non sequitur tamen Entium congeriem esse ab alio: quemadmodum licet hic & ille quàmplurimique homines sint albi, non sequitur omnes homines esse albos: Et re verâ non valet argumentum à distributione ad collectionem; sicut nec valet à partibus ad totum.

R. Non valere in rebus contingentibus, sed in essentialibus & necessariis; sic quod hic & ille homo sit ratione præditus, bene infertur hanc esse omnium hominum naturam: quia ad hominis naturam pertinet pollere ratione: non verò sequitur, quia hic & ille sunt medicinæ periti, omnes homines tali scientiâ esse instructos: quia ad hominis essentiam non spectat, & per accidens est, quòd quidam illi scientiæ operam navent. Addo res quantitate donatas excipi debere; quòd enim hic & ille motus partes habeat priores & posteriores, non proinde omnis motus est ejusmodi: quia in rebus quantitativis, aut illi affinibus, plus est in toto quàm in partibus: & sic aliquid potest convenire toti, quod non conveniat parti; motus enim qui primò creatus fuit, non habuit partem se priorem. In rebus verò essentialibus & necessariis, quod singulis convenit, seu parti, convenit quoque collectioni, seu toti; unde quia omnis res creata necessariò est ab alio, rerum pariter creatarum collectio est ab alio. Proinde licet à distributivo sensu ad collectionem, à partibus ad totum non valeat consecutio in attributis quantitatem, totalitatem, & ejus appendices denotantibus: valet tamen in attributis Essentiam spectantibus.

INST. 2. Etiam collectio Entium non potest conferre ad demonstrandam Dei Existentiam, quia deberet esse & necessaria & evidens; demonstrationis enim medium & necessarium & evidens esse debet: sed palàm est collectionem hanc esse confusam & contingentem.

R. Collectionem hanc esse quidem ratione sui contingentem, non verò in ordine ad Deum: cùm fieri non possit, quin à Deo esse suum non acceperit; eam quoque esse satis evidentem, ut demonstrationis partem conficiat. Nam propositiones universales, quæ ad demonstrandum assumuntur, singularia tantùm confusè complectuntur: non enim ea distincta à se invicem oculis subjiciunt, cujusmodi est ista, *omnis homo rationis est compos*; nec necesse est ut medium demonstrationis sit ex se evidens, satis enim est quòd sit pars propositionis, seu extrema connectat, & ita certò & apertè ut aliquid totum necessariò sequatur.

INST. 3. Ex effectuum proportione cum causâ haberi solùm potest *à posteriori* demonstratio causæ; cùm ergo creaturæ non habeant sufficientem cum Deo proportionem, ex iis simul vel seorsim sumptis demonstrari nequit Deum esse.

R. Per creaturas nos quidem habere non posse perfectam de Deo cognitionem, quia per eas cognoscere non possumus quid sit propriè Deus: Sed posse nos per illas claré ac evidenter cognoscere Deum ipsum Existere: ex quocumque enim effectu à causâ necessariò dependente certò colligitur ac infertur Existentia causæ: Cum igitur creaturæ necessariò dependeant à Deo ut effectus à suâ causâ, ex illis manifestè demonstratur Dei Existentia.

OPP. 2. Articulus fidei demonstrari nequit: atqui Deum esse est fidei articulus, ex Apostolorum Symbolo.

R. Deum esse, Deum esse unum, non modò esse fidei articulos, sed quasi vias, & ad fidem præambula: & ideò nobis aperta esse, tùm ex ingenitâ Dei cognitione, tùm ex discursu mox exposito, quibus momentis utitur Apostolus Rom. 1. ad eximendam Ethnicis omnem excusandæ ignorantiæ causam. Fides igitur supponit quandóque rationem naturalem, sicut gratia naturam.

OPP. 3. Contrà rationes ex S. Augustino petitas; si Deum Existere hinc colligi posset, quòd detur majus bonum, aut minus; sequeretur quoque dari summum malum, quòd dentur gravia & graviora mala: hominemque dari sapientissimum, quòd dentur homines sapientes & sapientiores.

R. Id non sequi: nam, ut demonstrabimus cont. Marcio. & Manich. summum malum dari non potest, sicut nec plures Dii esse possunt. Mala gravia, vel graviora non ea sunt, quòd magis vel minus ad summum malum accedant: sed quòd à summo bono magis vel minus recedant.

INST. Ideæ illæ boni supremi, veritatis semper existentis, & numquam cessantis, sapientiæ immutabilis & justitiæ supremæ, nullius sunt momenti; non enim sunt naturaliter nobis inditæ, ut supponuntur: nec etiam est necesse dari aliquod Ens summè bonum, & sapiens, & justum,

cujus idea nobis occurrit: nos enim talem ideam boni, & justitiæ, & sapientiæ nobis effinximus; sic cum plurimos virtutis, sapientiæ, & justitiæ actus elici perspexerimus, boni & justitiæ aut sapientiæ communis ideam quamdam exprimimus. Quemadmodum singulares naturas cum inspicimus, naturæ communis & universalis idea in nobis exurgit. Fictitiæ ergò & commentitiæ penitùs sunt illæ rationes quæ ex S. Augustino, ut validissimæ, afferuntur.

R. 1. Veritates æternas à conceptibus nostris adeò independentes esse, ut falsum penitus futurum esset judicium, quod de bono & sapientiæ aut justitiæ latitudine ferremus, si ad solos attenderemus privatos nostros conceptus, seu ad perspectam privatorum virtutem; quin imò de privatorum virtute judicamus, secuti ideæ naturaliter nobis insitæ lumen, & à nemine moniti seu instituti: v. g. *alteri non esse faciendum, quod nobis fieri nolumus* à nemine audivimus, & ad illam regulam, quæ jure vel injuria fiunt, expendimus & metimur. 2. ut supra probatum est, cum id, quo nihil majus est, concipimus, necessariò illud Existens admittendum est; alioquin simul duo contradictoria admittenda essent: nam in intellectu illud esset omnium maximum, & non esset; esset ex hypothesi, non esset autem, quia esset aliquid eo majus.

Q. Cujus momenti habendæ sint probationes illæ ex cognitione ingenitâ petitæ, & non per sensus intermedios?

R. Argumentationes quæ ex cognitione congenitâ petuntur pluris esse faciendas, si Sanctorum Patrum doctrinæ adhæreamus, quàm argumentationes ex rebus creatis, seu ex discursu confectas.

1. Quia perceptiones quæ quibuslibet naturaliter sunt insitæ, quæ faciliùs menti sunt obviæ, quæ videntur splendidiores in imagine, seu in homine, quàm in rebus extrà hominem positis, præponendæ videntur cognitionibus certissimis quæ ratiocinationis ministerio comparantur. Probationes autem Existentiæ divinæ cuilibet homini à Deo insertæ ex Patribus antiquis sunt certissimæ, animis sunt obviæ, in Dei imagine sunt conspicuæ. Ità de illis perceptionibus Tertull., ut de cognitionibus sine fuco, & à Deo Doctore acceptis, qui non seducit l. de Testim. Anim. c. 5. *Hæc testimonia animæ quantò vera, tantò simplicia: quantò simplicia, tantò vulgaria: quantò vulgaria, tantò communia: quantò communia, tantò naturalia: quantò naturalia, tantò divina.... quidquid aut illa edocuit, aut ista perdidicit, à Deo traditum est, Magistro scilicet ipsius Magistræ.*

2. Quæ immediatè novimus, certiora sunt, & nobis magis manifesta, & faciliùs, quàm quæ per sensus internuntios percipimus. Notiones hæ, v. g. *quòd veritas perpetuò Existat*, &c. sunt ex illo genere rerum quæ immediatè habentur, & non per intermedios sensus. Ubi quid sensuum auxilio perspicitur, dubitandi ratio plerumque occurrit; ubi verò quid novimus non fieri sensuum auxilio, illud ita compertum est, ut de eo dubium moveri nullum possit. Idea verò Dei, ut absolutissimi Entis, ut summæ veritatis, &c. seu ut innata, seu alio modò à mente percepta,

ita necessariò mentem afficit, ut non possit de hac veritate dubitare; cùm enim Ens absolutissimum apprehendi non possit ut non Existens, ex hypothesi quod percipiatur à nobis, assentietur mens Deum Existere, ubi hanc veritatem apprehenderit.

Ex his quæ immediatè noscuntur cognitiones, sunt, *binarium esse parem binario: septem & tria decem efficere*; ex his quæ per sensus nota fiunt, sunt *solem lucere, diem esse*: Certiùs & faciliùs mens novit res primi generis: sunt enim necessariæ, posteriores verò sunt contingentes: neque necesse est semper lucere solem, aut diem esse, etsi dies sit quando sol luceat; sed non potest esse binarius quin sit binario par, nec septem & tria, quin decem constituant. Item & prioris generis cognitiones faciliùs assequimur, quàm posterioris: quàm enim obscura sit lucis & aliorum sensibilium notitia, tot sibi adversantium opinionum varietas apertè indicat.

Si certiores non essent ab intellectu solo cognitiones perceptæ, quàm quæ per sensus intermedios excipiuntur, sequeretur sensus esse intellectu certiores, nobiliores, & magis infallibiles, quod esset absurdum; nam quis unquam hoc asseruit? Quis rectori quem Deus instituit, nobilitatem, infallibilitatem, seu amplius lumen detraxerit, ut illud potentiæ, quæ regitur, deferat. Sensus ad errorem duces fuisse etiam circa Dei Existentiam constat: certò enim Deum existere gentiles noverunt; sed quia sensuum ministerio in investigandâ Dei naturâ utebantur, ideò ab unius Dei cultu in infinitorum Deorum venerationem prolapsi sunt. Mens attingit plurima, quæ sunt sensibus impervia, & de quibus dubium moveri non potest. Sic novit se esse, se intelligere, se vitam agere; hanc autem notitiam à sensibus non hausit: illud enim neque coloratum est, neque sonorum. Prima scientiarum principia sensuum beneficio non apprehenduntur, cujusmodi est illud, *impossibile est idem simul esse & non esse.* Primorumque principiorum veritas est infallibilis, immutabilis & æterna; at veritas, infallibilitas, ut ita loquar, immutabilitas, æternitas sub sensus non cadunt; sensus enim id solùm percipiunt quod est sensibile aut mutabile.

Res spiritales magis subsistunt, quàm corporeæ. Atque adeò certiores sunt cognitiones rerum spiritalium quàm corporearum. Sic illa cognitio, *justitia arbori præstat*, certior est eâ, *arbor existit*. At si non existeret justitia, procul dubio arbor ipsi præferenda foret: ita etiam certissimum est immutabile bonum mutabili esse anteponendum. Bona autem spiritualia sunt immutabilia, imò quæ mutabilia sunt ab immutabili existentiam suam mutuantur. Ita S. Aug. lib. de Quant. Anim. c. 4.

Ultimò. Certiùs & faciliùs res in imagine dignoscitur quàm in vestigiis. Homo imago Dei est: creaturæ verò corporales vestigia tantùm Dei sunt, sic S. Basil. Homil. 17. in Ezech. *Præposterum valdè esset si anima omnem veritatis, seu Dei naturam à sensibus mendicare adigeretur. An enim ipsa medium limitem insidens intelligibilis & sensibilis mundi, ut superiora videat, oculos ad inferiora inclinabit? Ut proxima videat, longinqua consulit? Ut lucem videat, tenebrarum sedem adibit? Non*

igitur anima sensus & sensibilia adibit, ut de Deo consulat, sed ab imis quibus jam flagitioso amore devincta est, revellit se, ut se in seipsam recolligat. A seipsa autem ad Deum exurgat, ad hunc modum scala sibi apta erit, non ut descendat priùs ad corporalia, & inde ad Deum elevetur: intempestivum enim esset descendere ut ascenderet; sed ut sensibilibus in qua turpiter prolapsa est innitens, & ad seipsam enitens, à se tandem ad Deum gradum moliatur. S Bernard. l. 5. de Consider. c. 1. *Anima non potest sine ingenti dispendio compelli ad emendicandum quidpiam à naturâ corporeâ, nedum ad emendicandum rem tanti pretii, seu cognitionem Dei.* Lib. de Dono interiori c. 13. *Cum omnis natura corporea vestigium Dei sit, anima autem imago: cùm illa velut umbra sit, hæc speculum: quis ambigat Deitatem splendidiùs fulgere in speculo & in imagine suâ, quàm in vestigio & umbrâ.* Longè clariùs igitur in illis cognitionibus animo naturaliter insitis & obviis Deus dignoscitur, quàm in illis operibus externis, quamvis magnificis; nec est necesse, ut ad illa divinitatis vestigia confugiat homo, ut divinam Existentiam deprehendat: eam perfectiori ratione in seipso deprehendit.

QUÆSTIO SECUNDA.

Utrùm Deus sit unus, an multiplex.

ARTICULUS I.

Qui Unitatem Dei impugnarunt.

DEOS plurimos & infinitos penè in honore habitos fuisse apud Gentiles, ex omnibus monumentis compertum est: in plerisque etiam cæteris nationibus adhuc superesse idololatras, & Deorum plurium cultum.

Ad ann. Christi circiter 145. Valentinus tot commentus est figmenta, ut vix excogitari possint plura: Confinxit enim duo rerum omnium principia, quæ appellavit profundum & silentium: dixitque profundum esse patrem, & ex conjugio profundi & silentii processisse intellectum & veritatem, & protulisse in honorem patris Æonas octo; de intellectu autem & veritate processisse verbum & vitam, & protulisse Æonas decem: De verbo & vitâ processisse hominem & Ecclesiam, & protulisse Æonas duodecim, quæ omnes simul sunt triginta, hoc est triginta sæcula. De trigesimo sæculo dicit diabolum esse natum, & à diabolo alios natos, qui hunc mundum fecerunt. Quæ quidem omnia mera sunt figmenta ex solo delirantis cerebro derivata. Ea ex majori parte secuti sunt Secundus quidam à quo Secundani, Ptolomæus & Marcus, Valentini sectatores.

Ad ann. 155. duos Deos statuit Cerdo, bonum alterum & omnibus

ignotum, quem patrem JESUS nominavit; alterum malorum Creatorem, omnibusque conspicuum, qui in Lege veteri locutus esset, & Prophetis se videndum præbuisset. Hæc doctrina aliis hæresibus erat communis, ita S. Epiph. hæres. 41.

Marcio Stoicus Philosophus plures quoque Deos admisit, duos ex Sancto August.: tres ex S. Epiph. & S. Damas.: novem ex Tertull. libro 1. contra eum c. 13.

Manes, seu Manichæus ad an. 277. duos esse Deos opinatus est; Primum bonum & animæ creatorem; alterum malum & corporis conditorem. Hinc in odium Dei mali voluptatibus omnibus docebat esse serviendum. Duo illa principia ab æterno & in æternum sibi invicem adversa fuisse & futura esse asserebat, ita S. Epiph. hæres. 45.

S. Aug. lib. de Hæres. contra unitatem Dei has hæreses paulò aliter delineat; Deum unum bonum, & alium malum sibi adversos fingebant, inquit, Gnostici, Cerdonii, & Marcionitæ. Duos item, sed sibi non adversos & à se invicem procedentes, malum nempè Deum à bono statuebant Apelleitæ. Duos item credidit Deos Manichæus, id est, mannæ fundens, qui priùs Manes, seu insipiens vocabatur: qui duo Manichæorum Dii ab æterno soli adversabantur, unusque principium bonorum, alter verò malorum habebatur.

Appelles Marcionis discipulus duos Deos agnovit: unum bonum, alterum malum. Non dixit tamen illos duos Deos esse duo rerum principia: sed unum tantùm, scilicet Deum bonum, & ab illo factum alterum Deum, qui cùm malignus esset, mundum in sua malignitate fecit.

Fuerunt & alii qui tres admisere Deos, tresque spiritus æternos essentiali numero differentes .... apud Theodoret. l. 1. Hæret. Fabul. c. 18: Philoponus apud Nicephor. l. 18. c. 48: Quidam Gallus adversus quem S. Ansel. scripsit librum de Incarnatione Verbi: nec non tandem teste Benedicto Aretio in Histor. Valentinus Gentilis in suis Prothesibus.

ARTICULUS SECUNDUS.

Unitas Dei demonstratur.

QUIBUS probata fuit rationibus Existentia Dei, iisdem Unitas demonstratur, ut vel attendenti patet, & iisdem argumentis. Tertull. Minut. S. Cypr. Arnob. Lactant. &c. utramque probandam suscipiunt veritatem, ut ex eorum rationibus & autoritatibus superiori quæstione relatis liquet.

PROBATUR insuper ex Deut. 6. ℣. 4. *Audi Israël, Dominus Deus noster, Deus unus est.* Psal. 85. ℣. 10. *Magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es Deus solus.* Scripturarum authoritatem urget in Apolog. Athenag., quòd nempe Prophetiæ adimpletæ earum fidem & authoritatem astruant & certissimè confirment.

2. S. Justin. lib. de Monarch. Dei, Poëtarum & Philosophorum in Unitatem Dei conspirantium authoritates refert, Eschyli, Sophoclis, Philemonis, Orphei, Pythagoræ, Platonis, Menandri; illis addit in Apolog. Athenagoras Euripidem, Philolaum, Pythagoricos, Aristotelem; eosdem etiam citant & designant Minutius Felix in Octavio, S. Cypr. de vanitate Idolorum, Arnobius, Lactantius, Euseb. Addit quidem S. Cypr. Trimegistum: sed hic author suppositus est. Sibillasque plerique Patrum in testimonium adducunt: earum autem pluribus videtur nutare authoritas. Philosophorum sententiæ admiratione prorsus dignæ sunt, sed prolixiores quàm ut hìc referantur. Clemens Alex. addit Hesiodum, &c.

3. Duos non posse esse Deos aut plures l. contra Hermog. c. 4. demonstrat Tertull. *Quod si Deus est, unicum sit necesse est, ut unicus sit; aut quid erit unicum & singulare, nisi cui nihil adæquabitur? quid principale nisi quod super omnia, nisi quod ante omnia, & ex quo omnia? Hæc Deus solus habendo est, & solus habendo unus est, si & alius habuerit, tot jam erunt Dii, quot habuerint.* Et infrà. *Deum autem unum esse oportet, quia quod summum sit Deus est: Summum autem non erit, nisi quod unicum fuerit: Unicum autem esse non poterit cui aliquid adæquabitur.* Eadem etiam ratione utitur lib. 1. contra Marcion. c. 30. & S. Cypr. lib. de vanitate Idolorum. Igitur quod cæteris præstat & omnium summum est, ut Deus nec juxta se, seu compar, nec supra se quidquam esse patitur. At quod hujuscemodi est, solum est & unum; ergo Deus est unus. Deus autem cæteris præstat, & omnium Entium summum est, quòd nihil melius & majus eo sit, ut jam probatum est, ac proinde nihil ei adæquari potest.

4. Si plures Dii essent, eorum potentia esset quâdam orbis parte definita, vel non; vel essent æquales, vel inæquales; vel omni genere perfectionis ornati, vel non. Si eorum potestas esset quâdam orbis parte definita, si inæqualis authoritatis essent, & non omni genere perfectionis instructi, Dii non essent; Dei enim & potentia infinita & immensa perfectio esse debet, &c. Si verò eorum potentia nullis finibus coërceretur, essentque paris perfectionis, & in omni genere absolutæ; jam quæro 1. utrùm omnes orbi præessent, aut unus tantùm; si unus non præsit, quæro iterum unde id oriatur? An ex impotentiâ, an ex defectu voluntatis, an sibi adversentur, an in omnibus consentiant, an Deorum illa multitudo sit quid melius quàm quilibet Deus seorsùm constitutus? Primò si quilibet Deus suppositus orbi non præsit, quia non potest, aut quia minimè vult, Deus esse non potest, ut planum est. Item si sibi adversentur, Dii non sunt: cum pugna illa aliundè originem ducere non possit, nisi quòd unus alterius jura velit invadere. Quòd si etiam Deorum multitudo cuilibet Deo seorsùm sumpto præstet, Deus seorsùm sumptus erit Deus, ex hypothesi: non erit autem Deus, quia in eo omne perfectionis genus non occurrit. Nec etiam possunt dici plures simul omni genere perfectionis ornati; non possunt enim

esse duo Entia in omni genere perfectionis absolutissima; nam vel unum alterius perfectionem assequeretur, vel non; non obtineret ex hypothesi, quia essent distincta, & consequenter omne divinarum perfectionum genus non haberent, cùm omnes, quæ in Deo sunt, perfectiones infinitæ necessariò sint. Nec etiam eorum Deorum numerus determinari posset, nec ratio afferri cur tot essent & non plures, aut pauciores. Hæ rationes occurrunt apud S. Iren. Præf. in lib. 2. Athenag. in Apolog. Lact. lib. 1. c. 3.

Postremò. Quò sunt pauciores administri, tantò major est concordia; nulla autem præstantior est concordia, quàm quâ administratur orbis universus; ergò penes unum moderatorem est orbis universus: Si enim essent tot Imperatores quot cunei, quot cohortes, rueret penitùs militaris disciplina, nec præstare quid potest exercitus, nisi cùm uni paret Imperatori. Abest etiam tranquillitas omnis & ordo à familiâ, nisi Dominus unus præsit; ergò à pari rueret orbis concordia, ubi plures administratores orbi præessent. Et aut unus Deus istius orbis administratori par esset, aut non; si primum ergò supervacanei sunt alii Dii, nihil autem est bonum quod superfluum. Nec multos patitur natura soles, cùm unus sufficiat. Jam si unus id muneris sustinere non posset, non esset Deus; etsi, quod est impossibile, in plures rectores orbis administratio divisa esset, orbis ipsius summa constare non posset; unoquoque Deo nihil aliud curante, nisi quod ad ipsum spectaret. Hæ rationes excerptæ sunt ex Minut. in Octavio. Lact. lib. 1. cap. 3. c. 19. S. Athan. Orat. contra Gentes.

ARTICULUS TERTIUS.

Idololatræ confutantur.

DIIS Gentium & creaturis divinum delatum cultum Idololatriam dicimus, sed priùs quam ad Idololatriæ confutationem veniamus, præmittenda nobis quædam sunt de origine, authoribus, propagatione, & variis speciebus Idololatriæ.

Idololatriæ origo.

Idololatriam recens esse figmentum Orphei, Homeri, Hesiodi, & Herodoti, qui Salomonis vivebant temporibus, fusè probat in Apolog. Athenag. tùm quòd hi omnium primi Deorum originem & posteritatem descripserint, tùm quòd vivis illis, quos Deorum nomine salutarunt, aut coævi fuerint, aut paulò post viguerint. Ipse, cujus verba refert, Herodotus asserit ad sua usque tempora, Deorum originem, naturam, & figuram ignotas fuisse, & à paucis annis eorum naturam delineatam, imaginesque depictas, ex quo nempe Saurias artem picturæ adinvenerat.

Varii à variis Idololatriæ authores perhibentur. Sap. 14. ad vitæ corruptionem Idololatriæ origo refertur, & in dolorem patris qui ex imagine demortui filii solatium sibi quærebat: Initium etiam illius ducit Sapiens ex desiderio absentium hominum colendorum, præsertim Regum qui aberant, & ex grati animi affectu.

2. Asserit S. Justin. Orat. ad Græcos ob defectionem ex Paradiso pulsos fuisse primos parentes, quòd divinitatem ambiissent, & ideò Deorum nomen, quod obtinere non potuerant, filiis suis detulisse.

3. Chamum primum Idololatriæ authorem facit Lactant. lib. 2. c. 14. quòd à Noë maledictus, Dei cultum à Patre non acceperit, & divinitatis ignorantiam posteris reliquerit; purum veri Dei cultum in reliquis Noë filiis permansisse; temporis verò lapsu unumquemque pro vario affectu Deum sibi effinxisse.

4. Clem. Alex. admonitione ad Græcos Idololatriam ex Orpheo & Metimæo musicis originem duxisse docet, qui cantûs musici suavitate quorumdam hominum facta & scelera commendarunt, eosque in Deorum numerum referri curaverunt. Lact. lib. 1. c. 15. Poëtas plurimùm ad errorem contulisse docet, qui compositis ad voluptatem carminibus, viros illustres, quorum commendationi studebant, in cœlum sustulerunt, quod est adulatoribus familiare.

5. Dæmonibus Idololatriæ causam & ortum adscribunt Sanct. Justin. Apol. ad Senat. & Clem. Alex. in Admon. ad Gentes. Minut. Fel. in Octavio asserit Dæmones spiritus vagos terrenis cupiditatibus depravatos substantiæ simplicitate deperditâ, ad solatium calamitatis suæ non desinere pravitatis errorem infundere, & cum à Deo alienati sint, ab eo homines segregare inductis pravis Religionibus. Euseb. lib. 5. de Præparat. c. 11. docet etiam Idololatriam à Dæmonibus fuisse inductam. Et S. Greg. Naz. Orat. 39.

6. Quod divinæ naturæ essentiam curiosiùs & audaciùs perscrutati homines sint, seu quòd perspectum habere voluerint quid sit Deus, Idololatria orta est ex Arnob. lib. 7. *Nequeuntes homines quidnam sit Deus scire, quænam sit vis ejus natura, substantia qualis, utrumne habeat formam, an nulla sit corporis circumscriptione finitus, agat aliquid, an non agat, vigiletne perpetuò, an aliquandò solvatur in somnos, currat, sedeat, ambulet, an ab hujusmodi motibus & cessatione sit liber; Hæc omnia, ut dixi, nequeuntes scire, neque ratione aliquâ pervidere, in eas sunt opinationes lapsi ut Deos ex se fingerent, & qualis sibi natura est, & illis talem darent actionum, rerum, voluntatumque naturam.* S. Greg. Naz. Orat. 34. Omnis natura rationis particeps principem illam causam appetit; at cùm à rebus sensibilibus extricare se nequeat, in languorem quemdam & virium defectum adducitur, quo fit ut rerum corporearum auxilio solummodò nixa, ad spiritualium notitiam & unionem assurgere incassùm conetur. Hinc operæ deperditæ damna graviter ferens atque resarcire quoquomodo enitens, in sublunaria oculos conjicit, & ex eis seligit quædam, quibus divinos honores deferat.

7. Ex pravo hominum affectu ortum habuisse Idololatriam docet Origenes Hom. 2. *in Judices*, quòd nempè homines velint, quæ sibi arrident, Deos esse: unde quæ amant, Deorum aut Dearum nomine insignire solent. Clem. Alex. lib. 7. Strom. ait inde Deos sceleratos, variisque cupiditatibus obnoxios fuisse ab hominibus adinventos, ut eâ ratione vitiis suis authoritatem conciliarent. Hinc etiam fit, ut quæ gentes nigræ sunt, nigros Deos effingant, & qui rustici, rusticos. Docet verò S. Greg. Nyss. Orat. 3. contrà Eunom. inde natam esse Idololatriam, quòd creaturarum pulchritudine decepti homines creaturis adhæserint, quibus, ut gradibus, ut ad Deum assurgerent, utendum fuerat.

Ultimò. Pœnam peccati Idololatriam esse docet Deus. Sap. 15. ℣. 6. & Rom. 1. ℣. 23. quam doctrinam ex Scripturis acceptam tradiderunt, S. Gcg. Naz. Orat. 39. & S. Aug. lib. 1. Confess. c. 3. & lib. de Verâ Relig. c. 36. Homini quòd artificis opera ipsi supremo orbis Artifici prætulerit, digna fuit pœna, deserto Opifice, operi adhærere. Ars, consuetudo, affectus, & Regum leges Idololatriam promovére, & ad posteros transtulere. Sap. 14. Clem. Alex. Admon. ad Gentes, cum olim sola Martis hasta in honore esset, accedente sculpturæ artificio, novæ divinitates accesserunt, Regesque & privati fabularum falsitate & vanitate perspectâ, Deorum sibi nomen asciverunt, cum sibi nihil vererentur ab hominibus qui Dii habebantur, *Afficit autem ipsos honore & fabula & tempus: solent enim nescio quomodo ea quidem, quæ sunt præsentia, despici propter consuetudinem; quæ autem sunt præterita, quia propter incertitudinem temporis argui ac convinci non possunt, in honore esse.* Et ut notat Lact. l. 1. c. 15. Qui Reges prioribus successerunt ad errorem plurimùm contulerunt, cùm, ut ex divinâ stirpe nati viderentur, parentibus suis aut divinos honores detulerunt, aut deferri jusserunt. Euseb. l. 1. de Præp. c. 9. scribit ex ipsis Ethnicorum authoribus, ut Porphyrio, Diodoro, Sanchuniatone Phenice qui Trojanum excidium præcesserat, &c. Antiquos Gentiles primùm sydera Deorum loco habuisse: nullasque ab eis conflatas esse statuas: variaque malorum genera imprecatos esse in eos, qui vel levissimum quid de Religione detraherent aut immutarent.

Variæ species Idololatriæ.

PRO vario hominum affectu, ut notatum est, & variâ ingenii subtilitate, variæ fuere Idololatriæ species, quas in Idololatrarum confutatione ex ipsismet referunt S. Justin. Athenagoras, Tertull. Orig. Minutius Felix, Arnobius, & Lanctantius.

Prima censeri potest, quæ ubique terrarum viguit, Deorum nempè & Dearum Gentium cultus, Jovis, Saturni, & cæterorum Deorum, & Dearum. Alia Idololatriæ species statui potest, cultus singularis defunctorum animabus delatus. Tertia, præcipuis aut viris eximiis, dum viverent, adoratio exhibita. Quarta eorum fuit, qui se unius Dei cultui addictos profitebantur, simul & per plures illos Deos, qui in templis colendi proponerentur, intelligere se, aut Dei virtutes, seu Attributa, aut virtutes humanas, aut

plures Dei ministros, aut ceremonias virorum illustrium memoriæ commendandæ idoneas. Quinta species fuit adoratio illa animantibus, aut rebus inanimatis, ut Soli, aut Statuis exhibita: Quas omnes Idololatriæ species sigillatim perstringemus, & probationes, quibus usi sunt antiqui, afferemus, non quòd necessariæ sint: apud nos enim Dei beneficio superstitiones illæ non supersunt: sed ut nulla sit humanæ mentis aberratio, quæ nos lateat: nec ignorentur momenta, quibus in earum confutatione fuerunt usi Patres antiqui: simulque fiat compertum, qui dominantis ubique fermè Religionis esset status, cùm Christiana Religio cœpit propagari.

CONCLUSIO I. Ex iis quos delusa Gentium antiquitas Deorum loco habuit, nullus unquam fuit, qui vel levissimam divinitatis umbram assecutus fuerit, omnesque penitùs fuere indigni qui Deorum numero ascriberentur, aut divinis honoribus colerentur.

1. Quia de eorum origine turpi, vitâ infami & sceleratâ, mutuis bellorum concertationibus, perjuriis, adulteriis, zelotypiis, calamitatibus, morte, &c. constabat ex ipsis authoribus Ethnicis, Homero, Hesiodo, aliisque ut urget S. Justin. Orat. ad Græcos; & quod gravius est Apol. ad Anton. refert Bacchi & Apollinis pæderastiam solemnitatibus seu mysteriis, quæ Bacchanalia dicebantur, fuisse consecratam.

2. Idem S. Justinus probat ex Deorum genealogiis. Si enim Dii verè extitissent, aut perpetuò, aut nunquam suscepissent filios: si perpetuò suscepissent filios, Deorum profectò numerus in infinitum excrevisset, & hominum multitudinem longè superasset. Si autem nunquam suscepissent, ad quid eorum genealogia? Aliud argumentum petit ex Deorum domiciliis quæ Poetæ sæpiùs designant, hinc enim manifestè sequitur eos ubique terrarum minimè adfuisse. Ita Jovem in monte Ida statuit Homerus: & reverâ obierat, cum in insulâ Cretensi ejus tumulus diceretur extare. 3. Refert juxtà Hesiodum ex caho quasi Entium omnium primo Deos illos necessariò emersisse. 4. Ex Historicis contendit eos, qui tunc haberentur Dii, olim homines extitisse, ita Bacchum, omnium primum Ægyptiorum Regem. 5. Nihil aliud fermè crepant Historici veteres quàm varia Deorum flagitia, nec non & turpissimas voluptates quibus fœdissimè servierunt. Addit S. Clem. Alex. Admon. ad Gentes, eos non censendos esse pro Diis, qui non tantùm sceleribus, sed etiam vulneribus, ignorantiæ, morbis obnoxii fuerunt. Iis etiam rationibus subjungit Arnob. lib. 3. hos non esse Deos, in quibus sexûs varietas contingit, quod ex Cicer. confirmat; cùm enim Deus corporeus non sit, fieri nequaquam potest, ut in eo sexûs differentia reperiatur. 2. Si Dii procreent, mulierum infirmitatibus Deæ subjacebunt, quod certè à divinitate alienum est; quod demùm corporeum esse deprehenditur, mortale necessariò est; ac idcircò prorsùs ineptum & ridiculum esset, ejusmodi Diis vel minimam immortalitatis umbram adscribere. Idem probat S. Aug. lib. 8. de Civit. c. 26. Adde hominibus fuisse deteriores illos Deos, ut probat Clem. Alex. Admonit. ad Gent. Nullum enim est scelus quod Dii non patrarint. Solon & Lycurgus

longè præstantiores fuere Diis, quorum cultui addicta erat antiquitas. Et ex ipsis authoribus Ethnicis, scilicet Pythagorâ, Platone in Timæo, Menandro, Hypolito, Sophocle, &c. præsertim ex Euripide probat S. Justin. lib. de Monarch. Deum esse non posse, qui non ab omni crimine sit alienissimus, qui homines à vitiis non avocet, qui hominum imperio & nutui subjaceat; indèque infert Ethnicorum Deos hoc nomine immeritò fuisse donatos, cùm tot sceleribus coinquinati sordescerent, cùm exemplo suo ad vitia homines provocarent, & impellerent, juvenum animos omni vitiorum genere imbuerent, & pro hominum arbitrio in statuis inclusi circumferrentur.

Insuper quomodo Dii essent, qui ab hominibus plurima, ipsammet divinitatem accipiunt. Ex S. Justin. in lib. de Monarch Dei Æsculapius & Apollo medicinæ artem à Chirone didicerunt; divinitatem quoque ab hominibus: Nam hi Deos sibi similes fingunt ex Minutio, Tertull. in Apol. *Vetus erat decretum, ne Deus ab Imperatoribus consecraretur, nisi à Senatu probaretur. Facit & hoc ad causam nostram, quod apud vos de humano arbitratu divinitas pensitetur. Nisi homini Deus placuerit, Deus non erit, homo jam Deo propitius esse debebit.*

Denique Dæmones fuisse, qui Dii dicerentur, probat Minutius, qui cum vitiis dignitatem suam amiserint, *ad solatium calamitatis suæ non desinunt perditi perdere, & depravati errorem pravitatis infundere, & alienati à Deo inductis pravis Religionibus à Deo segregare.* A Poëtis dicuntur Dæmones: Ex eis unus Socrati aderat, eique omnia referebat. Item ipse Minutius ex Hostanis celeberrimi Magi, & Platonis, & aliorum authoritate omnia Magorum opera, quæ mira videntur, Dæmonum lusus esse evincit. *Et illi spiritus impuri sub statuis & imaginibus consecrati delitescunt, & afflatu suo, authoritatem quasi præsentis numinis consequuntur, dum inspirantur interim vatibus, dum fanis immorantur, dum nonnunquàm extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt falsis pluribus involuta, nam & falluntur & fallunt, ut & nescientes sinceram veritatem, & quam sciunt in perditionem sui non confitentes.* Ita etiam Lactant. lib. 2. c. 17. in eos Astrologiæ, Auguriorum, Nicromantiæ, Magiæ, Picturæ & imaginum, criminumque inventionem refert; Deorumque nomen ambire asserit, non quòd aliquid de Deo detrahere velint, sed ipsis abundè satisfieri, modò homines ab immortalitate consequendâ avocent. Et lib. 4. c. 27. ait quòd à Christianis adjurati Dæmones se Deos Gentium confiterentur. Ideò autem Diabolus adorationem hanc ambiit, inquit Euseb. lib. 4. de Dæmonstrat. Evangel. c. 9. ut impleret illud: *Ero similis Altissimo.*

CONCLUSIO II. Defunctorum animæ Deorum numero annumerari non possunt; hæc est altera Idololatriæ species.

Duplex fuit defunctorum cultus; privatâ authoritate colebantur Lares, qui alio nomine ob bonum omen, Manes vocabantur.

Publicâ authoritate colebantur defunctorum animæ, quæ optimatum, aut populi, aut Imperatorum authoritate in Deos referebantur, vel quòd

urbis conditores fuissent, vel quòd rebus præclarè gestis, aut aliâ ratione de hominibus benè meriti essent. De iis agunt Minut. Lactant. lib. 1. c. 15. S. Aug. lib. 8. de Civ. c. 26. Dii indigetes à Latinis vocabantur quasi Dii invocati.

Divinus cultus & divinitas deferri non debent mortuorum animabus: Nam ex S. Aug. Fortunat. quod est mutabile, peccato & ærumnis obnoxium, liberatoremque requirit, id sanè Deus esse non potest, nec quod creatum est creatori æquari. Et certè sibi debitum honorem aliis deferri non ferunt Imperatores: Nedùm ergò Deus divinos honores creaturis exhiberi patietur.

Conclusio III. Principes, dum viverent, aut viri eximii divinis honoribus colendi non erant: atque hinc tertia Idololatriæ species refellitur.

Honores divinos ambierunt Principes, velut vitæ suæ consulerent, vel ut existimationem singularem sibi apud populos conciliarent, vel demùm eò dementiæ prolapsi sunt, vano dignitatis suæ splendore excœcati, quales fuere Nabuchodonosor, Alexander Macedo, vel aliis de causis de quibus mox.

Hæc autem illorum sententia iisdem rationibus, quibus superiores, impugnatur; ad eamque refellendam satis esset referre quod Theocritus concivibus suis post Alexandri Magni obitum dixit: eos nempè bono animo esse debere; cùm Dii præmaturiore, quàm homines, fato præriperentur. ita Clem. Alex. Admonit. ad Gentes.

Conclusio IV. Confutantur Idololatræ qui non Deos plures, sed varias virtutes, ut Dei partes, aut multos Deos ex unâ Dei substantiâ; seu divina Attributa quæ per illos Deos in Templis designarentur, divinis honoribus se colere asserebant, seque à plurium Deorum confessione longè abesse.

Hæc & quæ sequuntur conclusiones Ethnicorum Philosophorum argutiis impugnandis insumuntur. Hos enim Philosophos cùm Christianorum doctrina plurimùm urgeret, aut ipsa ratio Idololatriæ insaniam tam apertè demonstraret: ne & rudioris ingenii homines ab antiquo popularique cultu avocarentur, varias subtilitates excogitarunt, ut patriam consuetudinem tuerentur, & ne scilicet præconceptam opinionem populi deponerent. Primùm ergò ad allegorias confugêre, dixeruntque se injuriâ accusari tam multiplicis Deorum cultûs: cùm externa cultûs species, quæ invaluerat, eorum multitudinem non argueret, sed varia Dei Attributa significaret, vel varias virtutes, quibus Deus homines instruit; aut varios Dei ministros, qui uni Deo subessent; aut tandem virorum duntaxat illustrium memoriam renovaret, ut posteri eorum exemplo ad imitationem & ad præclara facta excitarentur.

Varias Dei virtutes per orbem universum diffusas colere se & venerari testati sunt. *Ita fit ut dum ejus*, nempè Dei, *quasi quædam membra carptim variis supplicationibus prosequuntur*, inquit Maximus Madaurens. ad S. Aug. Epist. quæ est 43. *totum profectò colere videantur.*

Ea etiam quorumdam ex antiquis Ethnicorum Theologis fuit opinio;

cum referat S. Aug. lib. 6. de Civit. Dei c. 5. Theologiæ gentilis divisionem excerptam ex Varrone, qui eam triplicem faciebat, fabulosam Poëtarum, alteram Civitatum & Sacerdotum, tertiam Philosophorum. Priorem Varro, ut majestate Deorum indignam, eorumque naturæ adversam rejicit. Secundam exponit. Tertiam ad Philosophorum scholas remittit. Eusebius lib. 4. de Præp. cap. 5. aliam subtiliorum Ethnicorum Theologiæ divisionem refert quadripartitam: primam, quæ supremum Deum: 2. quæ minores Deos, quos lunam inter & cœlum statuebant: 3. quæ Dæmones in aëre commorantes: 4. quæ Heroüm animas in terris versantes spectaret, diceretque, his Heroïbus, si boni, debita esse sacrificia; si verò improbi, offerenda esse quoque, ut placarentur.

Refelluntur 1. illæ Theologorum gentilium argutiæ, nempè varios, qui colerentur, Deos esse ex Dei substantiâ, seu varias Dei virtutes, aut Attributa, à S. Aug. lib. 4. de Civit. Dei c. 11. ubi parvulos, seu minores illos Deos ex Gentilium ipsorum sententiâ non esse Jovis partes demonstrat; si enim ita censerent Gentiles, uni Jovi divinum exhiberent honorem. *Quid enim ejus contemneretur, cùm ipse coleretur? Si autem metuendum fuit ne prætermissæ, sive neglectæ partes ejus irascerentur*, sequitur varias illas ex hypothesi Jovis partes, à se ipsis, ut à Jove, sejunctas & independentes haberi, utpotè in aliis atque aliis Diis Deabusque sparsas, cùm aliâ sedatâ, altera gravi irâ incitaretur: unâ adversâ, esset alia propitia: *Mulciber in Trojam*, ut ait Ovidius, *pro Trojâ staret Apollo.*

2. S. Aug. lib. 6. de Civit. c. 6. divisionem Theologiæ à Varrone laudatam nullam esse probat, cùm ii qui in theatris exhiberentur Dii ut luderentur, iidem colendi in Templis proponerentur: & sic Templorum Dii à Poëtarum Diis alii non essent. *Nec alii videntur in theatris, quàm qui adorantur in Templis: nec aliis ludi exhibentur, quàm quibus victimæ immolantur.* Imò civilem Theologiam Diis graviorem inferre injuriam, quàm quæ Poetarum esset, ait Cap. 10. *deteriora enim sunt templa ubi hæc aguntur, quàm theatra ubi finguntur.* Et ipse Seneca vehementiùs in civilem invehitur, quàm Varro in fabulosam. Probat idem S. Aug. Primates, seu, ut vocabant, majores Gentium Deos principatum suum sortitos non esse, quòd majori potestate pollerent, sed quòd augustiori, & ampliori cultu à populo afficerentur, & Poëtarum fabulis notiores fierent. Unde infert fabulosam Theologiam civili præstare, cùm nihil haberet civilis, quod ei fabulosa non contulisset.

3. Divina Dei Attributa, dotes & perfectiones, nomine Jovis, Apollinis, aut aliorum hominum contaminanda non fuisse probat Orig. lib. 4. contra Cels. *Sed puram ergà Deum pietatem exercendo, & pulcherrima ejus opificia laudando, nec nomine tenus res divinas contaminamus approbantes Platonis in Philebo doctrinam nolentis voluptatem in Deorum album recipi.* Et Lactant. lib. 1. c. 4. absurdam probat eorum sententiam qui unum Deum, quem colere se profiterentur, nomine Jovis insignirent. 1. Quòd speciem quamdam Deo prorsùs indignam animo

nomen Jovis objiciat; utpotè cui Junonis & Minervæ filiæ cogitatio semper adhæreat. 2. Quòd Dii illi variis sceleribus contaminati nihil nisi sordidum menti subjicere possint. Deniquè vel ipsum Jovis nomen nihil nisi abjectum & humile præ se fert, cum ex Cicerone juvantem patrem significet; Dei autem non tantùm juvare est, sed & vitam & omnia bona conferre.

Refelluntur 4. Ab Arnobio lib. 5. Quòd non soli Poëtæ, quæ de Diis circumferuntur commemorant, sed celeberrimi ipsorum historici, qui Deorum matrem ex lapidibus à Pyrrhâ & Deucalione, exacto diluvio post tergum projectis ortam asserunt; Jovem matri vim inferre conatum; undè & non semper fuisse Deos, eosdemque sceleratissimos extitisse constat. Idipsum etiam prodidere non Poetæ tantùm, sed & historici de eorumdem sacrificiis, puta Bacchanalibus, &c.

Toto acumine ingenii subtilioribus Ethnicis opus erat, ut quæ ex historicis & sacrificiis in Deos dedecora redundarent, diluere conarentur: Fingebant igitur, ut habet lib. 5. Arnob. historias illas & sacrificia iis probro non esse vertenda: utpotè quæ mysteria augusta tegerent, & nonnullis rationibus sublimioribus & mirandis niterentur: sicque nec in cortice, nec in rerum involucris esse hærendum, sed ad sensus allegoricos & occultos transeundum. Itaque Jovem cum matre mixtum nihil obscœni significare, sed pluviam à Jove immissam designare, quæ terræ afferat fœcunditatem.

Respondet ibidem Arnob. allegorias illas meras esse argutias, necnon inepta paulò callidioris ingenii commenta, quibus Sophistæ uti solent in judiciis, cùm malam causam tueri simul & obtinere contendunt; ab iis enim non verum quæritur, sed species solùm aliqua veri, ut minus attentâ mente res considerantium perstringant oculos; cumque demùm hos pudeat genuini verborum sensûs, aut illorum apertæ significationis, horrendis illis Religionis suæ portentis honestum quemdam & speciosum titulum prætexere, & quâdam honestatis specie horrenda illa occultare, ac demùm honesto inhonestum obvelare tentarunt. Sed 1. ab iis quærit Arnobius, unde habeant Deorum suorum historiam sensu allegorico fuisse scriptam, cùm nullum authoribus ipsis consilium fuerit ea quæ scriberent velandi? Temerarios esse, qui eos consecuti sunt, quòd hominum oculis aperta esse nollent, quæ nunquàm velata fuerant. 2. Penes quemlibet esse quam velit allegoriam Deorum historiæ affingere. *Cum enim è rebus occlusis, omnis ista, quæ dicitur, allegoria sumatur, nec habeat finem certum, in quo rei quæ dicitur sit fixa atque immota sententia, unicuique liberum est in id, quod velit attrahere lectionem & affirmare id positum, in quod eum sua suspicio & conjectura opinabilis duxerit.* At, inquit, forsàn respondebitis vestras omnes historias sub allegoriis non latere. *Præclara*, inquit, *subtilitas, cùm quæ pars allegoriis contineatur, ab aliis distingui nequeat, nec certò statui possit infectum, quod actum est. Quidquid profertur ex Deorum vestrorum historiis, & pudendum est, & Deos penitùs dedecet: Licet enim Martis*

& Veneris concubitus, vitiorum excidium, si vobis credatur, designet; duo certè menti objicit, alterum vestrâ quidem sententiâ honestum, alterum verò fœdissimum, quæ omnia tolerari nequeunt, cùm quidquid Religionis est in omnibus etiam verbis, rebusque minimis, nonnisi honestam & venerabilem speciem animis exhibere par sit.

Euseb. lib. 2. de Præp. in prooemio. Deorum historiam spirituali interpretatione non posse sic exponi, probat; quòd qui primi de Diis scripserunt, summâ simplicitate Deorum naturam cultumque commendarint. Manetis historici Ægyptii authoritate utitur. Expositionem naturalem quam Philosophi fabulis affingebant, non meliùs Deorum historiam vindicare, lib. 3. de Præp. c. 1. demonstrat, quòd in expositionibus illis sibimetipsis contrarii essent, & nihil incertius, nihilque fictitius esset quàm quod magno molimine proferrent; Plutarchus, inquit, Junonem modò terram, modò oblivionem, aliàs noctem, & matrimonium facit. Cap. 2. concludit Deum à rebus concretis distinctum non novisse Gentiles: Et c. 13. Si uni Deo adhæsissent, huic purum & idoneum cultum certissimè exhibuissent.

S. Greg. Naz. easdem rationes eloquenter congerit Orat. 3. quæ est 1. in Julianum, ostenditque Ethnicorum allegorias vanas penitùs esse, nec ea quæ de Diis perhibentur videri Ethnicis fabulosa, cùm illa tantis impensis in templis proponerent; idque ut verum certissimè haberi, quod tantis laudibus, totque honoribus divinis soleat à populis coli.

Respondebant Ethnici à Christianis damnari non posse Gentium ceremonias, nec expositiones allegoricas. Quandoquidem apud Christianos ceremoniæ, nec-non expositiones allegoricæ usurparentur.

Reponit S. Greg. à Christianis usurpatas ceremonias nihil continere nisi quod esset laudabile, externâ specie veritatem adumbrare, & speciem externam nihil quidquam referre, nisi quod honestatem, & decorum saperet; Quod verò velarent non modò eximium esse, sed mirandum omninò velutique præclarum corpus aptissimis ornatum vestibus; *Nec enim*, inquit, *ullo modo res divinas sub specie turpi delitescere, Diisque adscribere quæ homines sibi imputari non paterentur.* Et in signis sacris addit requiri, ut ad significandum idonea sint, & ab omni dedecore, seu inhonestâ specie removeantur, ita ut eruditis possint placere & longè absint à nocumento infirmis ferendo. Quod Gentilium ceremoniis vitio jure & merito vertebatur, ut quæ non nisi indigna quibus fides haberetur occultarent. Quæ verò sensibus objiciebant, scelera referebant, & sic incitamento erant spectatoribus ad scelera, scleribusque authoritatem oppresso pudore conciliabant. Quod iterum probat Orat. 23. Item S. Greg. Nyss. Orat. 10. Hasque expositiones allegoricas ab Idololatris recèns excogitatas pro recentis Idololatriæ figmento subjungit esse habendas.

CONCLUSIO V. Virtutes humanæ Deorum nominibus non sunt insigniendæ; hæc erat altera obtegendæ & excusandæ Idololatriæ excogitata ratio.

1. Arnob.

1. Arnob. l. 3. ait, Virtutes humanas Diis non esse tribuendas, nec Deorum nominibus appellandas, nec honoribus divinis prosequendas: *Quis dixerit Deum fortem, constantem, frugi, sapientem? Quis probum? quis sobrium? quis imò aliquid nosse? quis intelligere? quis providere? quis ad fines officiorum certos actionum suarum decreta dirigentem? Humana sunt hæc bona, & ex oppositione vitiorum existimationem meruerunt habere laudabilem; quis est autem tam obtusi pectoris, tam bruti, qui humanis bonis Deum esse dicat magnum? aut ideò nominis majestate præcellere, quòd vitiorum careat fœditate? Quidquid de Deo dixeris, quidquid tacitæ mentis cogitatione conceperis, in humanum transilit & corrumpitur sensum: nec habet propriæ significationis notam quod nostris dicitur verbis atque ad negotia humana compositis; unus est hominis intellectus de Dei naturâ certissimus, si scias & sentias nihil de illo posse mortali oratione depromi.* Et o. 4. Idem probaturus, ab Ethnicis, & præcipuè à Romanis quærit, num pietatem, concordiam, & alias virtutes, quibus altaria erigerent, vim divinam habere, & in cœlis commorari censerent? Si enim nomina nuda sunt, quæ Deos reverâ non designent, Deos irridere est, figmenta ipsis æquare: quòd si Deos esse existiment, quomodò id probent, postulat. *Nos enim, nisi fortè communem tollitis nobis, atque eripitis sensum, nihil horum sentimus, ut cernimus habere vim numinis, neque in aliquâ contineri sui generis formâ: sed esse virtutem viri, salutem salvi, honorem honorati, victoris victoriam, concordis concordiam, pietatem pii, memoriam memoris, feliciter verò viventis ac sine ullis offensionibus felicitatem.*

2. Statuit Lactant. lib. 1. cap. 20. Virtutes extra hominem in honore haberi non posse: cum ab illo avelli non possint, nec sint uspiam ab homine separatæ; verumque honorem virtuti exhiberi, cum ipsa possideatur; si autem sunt extra hominem: *Quid opus est ea colere quibus careamus? Virtus colenda est, non sacrificio aliquo, aut thure, aut precatione solemni: sed voluntate solâ atque proposito; nam quid est aliud colere virtutem, nisi comprehendere animo & tenere, quod unusquisque, simul ac cœpit velle, consequitur. Hic solus virtutis est cultus: nam religio & veneratio nulla alia nisi unius Dei tenenda.* Quod ab homine separari nequit, nec ab eo avulsum existere, id Deus censeri nequit, nec divino honore donandum, cujusmodi sunt virtutes humanæ, &c. Addit veros virtutis esse cultores, qui eâ præditi sunt; *colunt enim thure & summis digitis quæ sensibus intimis colere debuerunt.*

CONCLUSIO VI. Plures Deos velut plures ministros uni Deo subditos divinis honoribus colere fas non erat. Qui tertius est error eorum, qui Idololatriam hâc pietatis specie obvelabant.

1. Qui divinis honoribus afficiuntur, vel omnem divinitatis habent rationem, vel tantummodò aliquem ejus gradum; omnem autem rationem divinitatis non obtinent Dii minores; non enim essent plures: Neque etiam quemdam duntaxat divinitatis gradum, qui divinum cultum mereatur, sunt consecuti; nam ut rectè docet Tertull. contra Hermog. c.

7. *Divinitas gradum non habet, utpotè unica.* Ergò solus unus Deus divino cultu est colendus: cum cultus divinus nonnisi Deo sit exhibendus.

Arnob. lib. 1. Eosdem Ethnicos refellens, qui Jovem, ut supremum; Deos verò alios, ut ipsi subditos, asserebant; probat Jovem inter Deos principatum illum obtinere non posse; cum & ab avis & atavis sit oriundus: ergò & fictitius est ille primarius Deus: ergò & fictitia minorum illorum Deorum multitudo: cum divinitas una sit & indivisa.

CONCLUSIO VII. Refellitur sententia subtiliorum Ethnicorum, qui Deum unicum colere se profitebantur: sub reliquorum verò Deorum nominibus, virorum illustrium memoriæ debitum deferre honorem, ut ad eorum æmulationem posteros excitarent.

Idoneis honoribus quidem honoranda virorum illustrium memoria; divinus autem, qui illis habetur honor, penitùs non convenit. Deus enim solus, ut jam dictum est, adorandus est: nec homines adeò sunt instituti, ut aliorum hominum adorationi proponantur: Sicut enim Reges aut Cæsares subditis suis Regum aut Cæsarum nomen & honorem deferri nolunt; ita nec Deus etiam patitur suum nomen ac cultum communicari. Sic Theoph. Antioch. lib. 1. Nec penes homines est mortuorum animabus Deorum aut Dæmonum nomina attribuere, easque divino honore dignas habere, quòd vitæ suæ merito quamdam authoritatem à supremo Deo præstandorum hominibus hìc vitam agentibus officiorum consecuti sint facultatem. Ita etiam Clem. Alexandr. lib. 6. Strom.

Objiciebant Ethnici cultum, quem minoribus Diis aut hominibus illustribus exhiberent, à Christianis incusari non posse: cum ipsi alium à summo Deo, nempè Christum, divino honore colerent.

Respondet huic objectioni Origen. l. 8. contra Celsum, summum esse inter Deos & Christum discrimen. Primò quia Scripturæ Sacræ eumdem Patri & Christo debitum cultum docent. 2. Quia Pater & Filius, ex iisdem Scripturis, unum sunt, seu unus & idem Deus, &c. 3. Quia Filius est æternus, qui est ipsa veritas.

CONCLUSIO VIII. Creaturis inanimatis, ut Soli & syderibus divinus cultus non est exhibendus. Hæc est ex Idololatriæ speciebus altera, quæ quidem olim Solis adoratio & temporibus Mosis invaluerat, ex cap. 4. Deut. ℣. 19. & Job. 31. ℣. 26. & 27. fuitque inter primas Idololatriæ species, ex Sap. 13. ℣. 2.

In refellenda hac opinione non est immorandum: cum nemo non videat creaturas irrationales, sensu & vitâ destitutas divino cultu ipsis hominibus longè esse indigniores.

CONCLUSIO IX. Nec Statuis (quod apud antiquos solemne erat) divinus honor debetur. Hæc est alia Idololatriæ species.

Priusquam ad probationes veniamus, de origine & Statuarum inauguratione paucis est agendum.

Statuis & Statuarum cultui originem dederunt Patris Filio orbati lu-

ctus Sap. 14. ℣. 15. hominum longè dissitorum desiderium, & eorumdem ex iis regionibus allatæ statuæ.

Ex Lact. lib. 2. c. 11. Prometheus Jovis temporibus fuit primus simulachrorum adinventor, ut qui de pingui & molli humo hominis formam finxerit; ejusdemque ævo Statuis primùm templa constitui, & novi Deorum cultus esse cœperunt. Euseb. lib. 1. de Præparat. c. 9. Statuas recentes esse probat, & propagatam Statuarum arte Idololatriam, quod & habetur Sap. 14. ℣. 18.

Divinitatem consequi existimabantur Statuæ ex ornatu, consecratione, & ex arbitrio hominum. Minut. Felix in Octavio. *Ecce funditur, fabricatur, sculpitur, nondùm Deus est. Ecce plumbatur, construitur, erigitur, nec adhuc Deus est: Ecce ornatur, consecratur, oratur, tunc postremò Deus est, cùm homo illum voluit & dedicavit.* Arnob. lib. 7. de semetipso sermonem habens. *Si quandò conspexeram rubricatum lapidem, & ex olivi unguine sordidatum, tanquam inesset vis præsens adulabar, affabar, & beneficia poscebam: Nihil sentiente trunco, & eos ipsos divos, quos esse mihi persuaseram, afficiebam contumeliis gravibus, cùm eos esse credebam ligna, lapides, atque ossa, aut in hujusmodi rerum habitare materiâ.* Lib. 6. refert Ethnicorum responsionem, qui se nec colere materiam, nec pro Diis Statuas habere profitebantur, *se se in his Deos colere, quos dedicatio*, ut habet, *infert sacra; & fabrilibus efficit inhabitare simulachris.*

Duplex fuit de Statuis Ethnicorum sententia. Subtiliores, de quibus Arnob. lib. 9. & Cels. apud Orig. lib. 6. & 7. Statuas divino non affici cultu asseruerunt, earumque usum fuisse institutum ad Dei exhibendam præsentiam, & ad cultum numinis certo ritu constituendum. Ita Julianus Apostata in operibus editis: *Nam Statuas*, inquit, *ipsas, & aram nec non æterni custodiam ignis, & ut uno verbo dicam, cætera omnia, id genus Deorum præsentiæ signa majores nostri constituerunt: Non ut ista Deos esse credamus; sed ut ipsos per illa veneremur. Etenim quoniam nos in corpore degentes consentaneum corpori cultum adhibere Diis oportebat, iidem porrò corporis sunt expertes, primum illi nobis simulachrorum genus ostenderunt, nempè secundum à primo Deorum ordinem, qui circum cælestes orbes assiduè volvitur; sed cùm ne istis quidem corporeus cultus attribui possit: nam suâptè naturâ nullius rei indigent; tertium in terris simulachrorum genus est inventum, ad quod cultum nostrum accommodantes, Deos nobis propitios reddemus.* Sic, inquiebat, qui elaboratam Imperatoris effigiem venerantur, eam ipsum esse Imperatorem non existimant, licet Imperatoris nomine appellent. Alii autem Ethnici, quorum numerus erat amplissimus, plebemque fermè omnem complectebatur, pro veris Diis Statuas habebant, aut in iis Deos versari & delitescere, Sap. 13. ℣. 17. Baruch. 6. ℣. 40. censebant; ut etiam ex infrà citandis fiet compertum.

Utraque tùm rudiorum, tum subtiliorum de Statuis sententia refellitur.

1. Absurdam fuisse omninò Statuas esse Deos existimantium sententiam, iisque divinum honorem deferentium, docet Sap. 13. ℣. 10. *Infelices autem sunt, & inter mortuos spes illorum est, qui appellaverunt Deos opera manuum hominum, aurum & argentum, artis inventionem, & similitudines animalium, aut lapidem inutilem opus manus antiquæ, &c.* Et ℣. 13. formam suam & soliditatem artifici debere Statuas, & esse sine animâ, nihilque conferre posse: *Assimilet illud imagini hominis, aut alicui ex animalibus illud comparet, perliniens rubricâ, & rubicundum faciens fuco colorem illius, & omnem maculam quæ in illo est perliniens: & faciat ei dignam habitationem, & in pariete ponens illud, & confirmans ferro, ne fortè cadat, prospiciens illi, sciens quoniam non potest adjuvare se; imago enim est, & opus est illi adjutorium. Et de substantiâ suâ, & de filiis suis, & de nuptiis votum faciens inquirit. Non erubescit loqui cum illo, qui sine animâ est: & pro sanitate quidem infirmum deprecatur, & pro vitâ rogat mortuum, & in adjutorium inutilem invocat: & pro itinere petit ab eo, qui ambulare non potest: & de acquirendo, & de operando, & de omnium rerum eventu petit ab eo, qui in omnibus est inutilis.* Et c. 5. ℣. 17. probatur. Ipsis operibus suis præstare artificem, quia vivit ipse, & ejus opera vitâ destituuntur. Idem probatur ex Baruch. 6. Quia nec loqui possunt Statuæ, nec boni quidquam conferre, nec avertere mala, nec latronum manus effugere. Quia in illis nihil occurrit, quod aut artificibus, aut sacerdotibus, qui statuas coronis aureis, & aliis vestibus exornant,, non sit tribuendum.

2. Arnob. lib. 6. ab Ethnicis quærit, num Deos in cœlis esse existiment, an extra cœlos? Si primùm; eos ergò esse ad quos dirigendæ sint preces, & sic Statuas inutiles esse: Si verò dubitent, num à cœlo Dii absint, rerum incertarum Statuas non esse erigendas. Demonstrat autem vanam hanc Ethnicorum subtiliorum esse rationem, nempè ideò Statuas confici, ut præsentia quædam numinis per simulacra exhiberetur; *& quia Deos videre non datum est: eos sic coli, iis & munia officiosa præstari, hoc qui dicit & asserit, Deos esse non credit: nec habere convincitur suis Religionibus fidem, cui opus est videre quod teneat, ne inane fortè sit, quod obscurum non videtur. Deos, inquitis, per simulacra veneramur.* Addit esse incertum, num hæ Statuæ veras Deorum formas exhibeant; imò certò alterius & diversæ figuræ proponi; nam ad humanam formam sol orbicularis excuditur: & sæpiùs absurda penitùs est eorum forma. v. c. Jupiter Ammon cornua gerens, & Venus omninò nuda, oculis proponuntur; vestibus tantummodo mutatis, Dei nomen mutatur nihil verò magis à ratione alienum, quàm coram opere suo prosterni.

Contendebant subtiliores Ethnici Statuarum beneficio Deos præsentes sisti, utpotè quòd Statuas inhabitarent; & licet in illis non includerentur, earum rudiori populo religiosum timorem incuti, & debitam Diis venerationem suaderi.

Reponit Arnob. fieri non posse, ut Bacchus v. c. qui sub specie humanâ oculis objectus sit, tot & tam variis in locis adesse existimetur.

2. timorem religiosum Bacchi Statuâ non inferri; nihil enim, quod non ad hilarem compotationem induceret, Bacchi simulachrum exprimebat. 3. Illis Statuis adeò non comprimi vitia: cùm vel ipsum innocentiæ nomen penitùs obscuratum & oppressum esse constaret. Scitè nos monet Lactant. lib. 2. c. 2. absurdum penitùs fore, ut amicus unam amici imaginem attento animo intueretur, dum amicus ipse adesset; si ergò ubique interesse Dii credantur, coram eorum Statuis non utique orandum est, sed ad Deos solos attendendum. Denique, ut prudentissimè observat Athenagoras in Apolog. (& quod plurimùm valet ad confutandum subtiliorum Idololatrarum commentum) Cultus ille censurâ eximi non potest, qui in errorem naturâ suâ inducit; plures autem & penè infiniti, Deorum materiam à Diis, qui spiritualiter inesse aut designari existimantur, minimè secernunt; non dijudicant plerique quid materia sit: Quid Deus: & quantum utrimque intervalli pateat.

Hæc nullatenùs ad cultum imaginibus à Concilio septimo delatum pertinere facilè animadvertet, qui hanc Ethnicorum sententiam, & Ecclesiæ Catholicæ de cultu sacrarum imaginum doctrinam animo complexus fuerit, quam in Tract de Incarn. exponemus. Nec enim pro Deo, aut pro Sanctis, imagines illas habent Christiani, aut aliquid posse conferre, aut aliquâ virtute pollere censent; nec ab illis aliquid auxilii quærunt, vel in ipsis fiduciam figunt & collocant: Sed qui exhibetur eis honos, ad prototypa quæ repræsentantur, refertur; ad conspectum earum imaginum, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Christum adoramus: & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneramur. Conc. Nic. 2. Act. 3.

Undè summam diligentiam jubentur adhibere Pastores, ut ab alio sensu, & existimatione, & superstitioso cultu populum alioquin rudiorem suis institutionibus avocent: & doceant alio fine imagines non proponi, nisi ut in Sanctorum memoriam nos revocent, ad eorum imitationem, simulque ad meritum exhibendum eis honorem sint incitamento. Sess. 25. Conc. Trid.

Conclusio ult. Cultus quilibet apud Ethnicos solemnis, seu qui pro objecto haberet Deos Gentium, aut animas defunctorum, aut homines, dum viverent, &c. Fuit semper horrendus, inhonestus, absurdus, inhumanus & impius; & proindè, quidquid in ejus gratiam proferant Gentiles, excusandæ Idololatriæ causâ, nihil penitùs conficiunt.

1. Cultum qui apud Ethnicos invaluit, horrendum, & insanum fuisse S. Clem. Alex. Admonit. ad Gent. probat, Quòd eorum ceremoniæ essent fœdissimæ; cum partes humani corporis præ pudore minimè nuncupandas impudenter Ethnici colerent; quòd adulteria, hominum constuprationes, homicidia, quæ in theatris ludebantur, in ceremoniis venerationi proponerentur. Demonstrat S. Greg. Naz. Orat. 39. horrendas adeò eorum esse ceremonias & absurdas, ut gravior illis Idololatriæ pœna infligi non potuerit, additque eas ludibrio Gentiles magis exponere quàm ipsos Deos. Ostendit S. Aug. lib. 1. de Civit. Dei c. 32. Ro-

1. Absurdam fuisse omninò Statuas esse Deos existimantium sententiam, iisque divinum honorem deferentium, docet Sap. 13. ℣. 10. *Infelices autem sunt, & inter mortuos spes illorum est, qui appellaverunt Deos opera manuum hominum, aurum & argentum, artis inventionem, & similitudines animalium, aut lapidem inutilem opus manus antiquæ, &c.* Et ℣. 13. formam suam & soliditatem artifici debere Statuas, & esse sine animâ, nihilque conferre posse: *Assimilet illud imagini hominis, aut alicui ex animalibus illud comparet, perliniens rubricâ, & rubicundum faciens fuco colorem illius, & omnem maculam quæ in illo est perliniens: & faciat ei dignam habitationem, & in pariete ponens illud, & confirmans ferro, ne fortè cadat, prospiciens illi, sciens quoniam non potest adjuvare se: imago enim est, & opus est illi adjutorium. Et de substantiâ suâ, & de filiis suis, & de nuptiis votum faciens inquirit. Non erubescit loqui cum illo, qui sine animâ est: & pro sanitate quidem infirmum deprecatur, & pro vitâ rogat mortuum, & in adjutorium inutilem invocat: & pro itinere petit ab eo, qui ambulare non potest: & de acquirendo, & de operando, & de omnium rerum eventu petit ab eo, qui in omnibus est inutilis.* Et c. 5. ℣. 17. probatur. Ipsis operibus suis præstare artificem, quia vivit ipse, & ejus opera vitâ destituuntur. Idem probatur ex Baruch. 6. Quia nec loqui possunt Statuæ, nec boni quidquam conferre, nec avertere mala, nec latronum manus effugere. Quia in illis nihil occurrit, quod aut artificibus, aut sacerdotibus, qui statuas coronis aureis, & aliis vestibus exornant, non sit tribuendum.

2. Arnob. lib. 6. ab Ethnicis quærit, num Deos in cœlis esse existiment, an extra cœlos? Si primùm; eos ergò esse ad quos dirigendæ sint preces, & sic Statuas inutiles esse: Si verò dubitent, num à cœlo Dii absint, rerum incertarum Statuas non esse erigendas. Demonstrat autem vanam hanc Ethnicorum subtiliorum esse rationem, nempè ideò Statuas confici, ut præsentia quædam numinis per simulacra exhiberetur; *& quia Deos videre non datum est: eos sic coli, iis & munia officiosa præstari, hoc qui dicit & asserit, Deos esse non credit: nec habere convincitur suis Religionibus fidem, cui opus est videre quod teneat, ne inane fortè sit, quod obscurum non videtur. Deos, inquitis, per simulacra veneramur.* Addit esse incertum, num hæ Statuæ veras Deorum formas exhibeant; imò certò alterius & diversæ figuræ proponi; nam ad humanam formam sol orbicularis excuditur: & sæpiùs absurda penitùs est eorum forma. v. c. Jupiter Ammon cornua gerens, & Venus omninò nuda, oculis proponuntur; vestibus tantummodo mutatis, Dei nomen mutatur nihil verò magis à ratione alienum, quàm coram opere suo prosterni.

Contendebant subtiliores Ethnici Statuarum beneficio Deos præsentes sisti, utpotè quòd Statuas inhabitarent; & licet in illis non includerentur, earum rudiori populo religiosum timorem incuti, & debitam Diis venerationem suaderi.

Reponit Arnob. fieri non posse, ut Bacchus v. c. qui sub specie humanâ oculis objectus sit, tot & tam variis in locis adesse existimetur.

2. timorem religiosum Bacchi Statuâ non inferri; nihil enim, quod non ad hilarem compotationem induceret, Bacchi simulachrum exprimebat. 3. Illis Statuis adeò non comprimi vitia: cùm vel ipsum innocentiæ nomen penitùs obscuratum & oppressum esse constaret. Scitè nos monet Lactant. lib. 2. c. 2. absurdum penitùs fore, ut amicus unam amici imaginem attento animo intueretur, dum amicus ipse adesset; si ergò ubique interesse Dii credantur, coram eorum Statuis non utique orandum est, sed ad Deos solos attendendum. Denique, ut prudentissimè observat Athenagoras in Apolog. (& quod plurimùm valet ad confutandum subtiliorum Idololatrarum commentum) Cultus ille censurâ eximi non potest, qui in errorem naturâ suâ inducit; plures autem & penè infiniti, Deorum materiam à Diis, qui spiritualiter inesse aut designari existimantur, minimè secernunt; non dijudicant plerique quid materia sit: Quid Deus: & quantum utrimque intervalli pateat.

Hæc nullatenùs ad cultum imaginibus à Concilio septimo delatum pertinere facilè animadvertet, qui hanc Ethnicorum sententiam, & Ecclesiæ Catholicæ de cultu sacrarum imaginum doctrinam animo complexus fuerit, quam in Tract de Incarn. exponemus. Nec enim pro Deo, aut pro Sanctis, imagines illas habent Christiani, aut aliquid posse conferre, aut aliquâ virtute pollere censent; nec ab illis aliquid auxilii quærunt, vel in ipsis fiduciam figunt & collocant: Sed qui exhibetur eis honos, ad prototypa quæ repræsentantur, refertur; ad conspectum earum imaginum, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Christum adoramus: & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneramur. Conc. Nic. 2. Act. 3.

Undè summam diligentiam jubentur adhibere Pastores, ut ab alio sensu, & existimatione, & superstitioso cultu populum alioquin rudiorem suis institutionibus avocent: & doceant alio fine imagines non proponi, nisi ut in Sanctorum memoriam nos revocent, ad eorum imitationem, simulque ad meritum exhibendum eis honorem sint incitamento. Sess. 25. Conc. Trid.

CONCLUSIO ULT. Cultus quilibet apud Ethnicos solemnis, seu qui pro objecto haberet Deos Gentium, aut animas defunctorum, aut homines, dum viverent, &c. Fuit semper horrendus, inhonestus, absurdus, inhumanus & impius; & proindè, quidquid in ejus gratiam proferant Gentiles, excusandæ Idololatriæ causâ, nihil penitùs conficiunt.

1. Cultum qui apud Ethnicos invaluit, horrendum, & insanum fuisse S. Clem. Alex. Admonit. ad Gent. probat, Quòd eorum ceremoniæ essent fœdissimæ; cum partes humani corporis præ pudore minimè nuncupandas impudenter Ethnici colerent; quòd adulteria, hominum constuprationes, homicidia, quæ in theatris ludebantur, in ceremoniis venerationi proponerentur. Demonstrat S. Greg. Naz. Orat. 39. horrendas adeò eorum esse ceremonias & absurdas, ut gravior illis Idololatriæ pœna infligi non potuerit, additque eas ludibrio Gentiles magis exponere quàm ipsos Deos. Ostendit S. Aug. lib. 1. de Civit. Dei c. 32. Ro-

manorum Deos esse pessimos, ut qui ludos Scenicos, utpotè penitùs obscœnos in sui honorem exegissent, dum peste urbs laboraret; Nasicam, qui eos, quòd depravandis hominum moribus tantùm inservirent, abrogasset, divino honore longè digniorem fuisse, quàm Deos illos obscœnitatis tam horrendæ authores. Lib. 2. c. 9. & 12. scribit etiam tàm impudentes fuisse Scenicos Ludiones, ut quominùs de civium famâ detraherent, interpositâ mortis pœnâ, prohibere Senatus fuerit coactus. Hinc colligis Diis sapientiâ præstare Senatores; cùm ipsi Dii adulteria & alia sua scelera in ludis illis omnium conspectui exhiberi vellent, sicque in authoritatem adduci. Puderet hîc referre, quæ in Bacchanalibus aliisque mysteriis fieri solebant.

2. Absurdum fuisse cultum illum, utpotè qui solis fabulis niteretur, probant S. Clem. Alex. Adm. ad Gent. & Minut. in Octav. ubi de eâ, quæ apud Ægyptios quondam vigebat, in honorem Isidis celebritate, in quâ qui aderant, luctus edebant ingentes. *Nonne*, inquit, *ridiculum est, vel lugere quod colas, vel colere quod lugeas.* Quod etiam Romani in Cereris mysteriis, & Galli, quòd Cibele adulterum suum Eunuchum fecisset, à turpi cum ea commercio abhorrentem, factitabant. *Propter hanc fabulam Galli eam (Cibelem) & semiviri sui corporis supplicio colunt, hac jam non sunt sacra, sed tormenta.* Lactant. lib. 10. c. 21. Nihil absurdius esse & insanius scribit cultu illo, qui hominum immolatione contaminaretur. *Quid illis isti Dii amplius facere possent, si essent iratissimi, quàm quod faciunt propitii; cum suos cultores parricidiis inquinant, orbitatibus mactant, humanis sensibus spoliant? quid potest esse his hominibus Sancti?* Lib. 5. c. 20. nihil absurdius, quàm in templis colere quod in theatris luderetur.

3. Inhumanum cultum illum fuisse probatur, quòd homines immolarent, ut ex Lactant. retulimus & Sap. 14. ℣. 23. *Aut enim filios suos sacrificantes, aut obscura sacrificia facientes, aut insania plenas vigilias habentes, neque vitam, neque nuptias mundas jam custodiunt, sed alius alium per invidiam occidit, aut adulterans contristat, & omnia commista sunt, sanguis, homicidium, furtum & fictio, corruptio & infidelitas, turbatio & perjurium, Dei immemoratio, animarum inquinatio, nativitatis immutatio, nuptiarum inconstantia, inordinatio mœchiæ & impudicitiæ.*

4. Cultûs illius impietas probatur ab Euseb. lib. 6. de Præp. c. 4. Quòd Deos, quos colerent, criminum & scelerum authores facerent; omnium autem gravissima impietas sit, Deum scelerum authorem facere.

Ultimò cultus ille ad nihil aliud erat idoneus, quàm ad plebem in errorem inducendam, ut ex Athenag. fuit observatum. Vix enim plebs materiam, à rebus spiritualibus quæ designantur, secernit, nisi summo studio edoceatur. Ex S. Aug. lib. 2. de Civit. c. 10. Ethnicorum cæremoniæ, quæ Deorum scelera proponebant, à Dæmonibus adinventæ fuerunt, *Ut ad scelesta & turpia perpetranda velut ab ipso cœlo tra-*

duci in terram satis idonea videatur authoritas. c. 25. *Ne imitari talia crimina civica trepidaret affectio, sed potiùs humanum scelus divino excusaretur exemplo.* Sic apud Terentium, ut habet c. 7. Adolescens adulterium sibi proponit, quòd Jovem idem scelus perpetrantem in imagine conspexisset. Ex quibus compertum fit quàm grave crimen Idololatria fuerit. Undè meritò Tertull. lib. de Idololat. c. 1. *Principale crimen generis humani, summus sæculi reatus, tota causa judicii, Idololatria.* Et sæpiùs probat omnia scelera Idololatriam continere, homicidium videlicet, cum hominem Diis immolet, & adulterium, cum ipsum laudet. S. Greg. Nyss. Orat. 8. omnium scelerum gravissimum ait esse Idololatriam. *Idololatræ duplici tenentur impietate: priore quidem, quâ eum qui Deus est ignorant, eum, inquam, qui verè est Deus, non agnoscentes: alterâ & secundâ, quâ per eum errorem, eos qui non sunt, esse existimant: & eos Deos nominant, qui non sunt verè; imò verò ne sunt quidem, sed solum nomen obtinent.* Omnium scelerum originem Idololatriæ tribuit. Sap. c. 14. *Infandorum enim Idolorum cultura omnis mali causa est, & initium & finis.* Nec prodest ad Idololatrarum excusationem, quòd in Poetas referantur, & crimina, & mysteria horrenda Deorum; cùm nunquam talia de iis vulgati prohibitum fuerit; &, ut habet Arnob. lib. 4. *Quisquis enim patitur peccare peccantem, is vires subministrat audaciæ: & majoris contumeliæ res est, falsis quemquam notare atque insignire criminibus, quàm vera ingerere atque objectare delicta; quod enim scis dici, quod esse te sentias, morsum habet minorem testimonio tacitæ recognitionis infractum; illud verò acerbissimè vulnerat, quod inuritur innoxio, & quod decus nominis atque existimationis infamat.*

OPPON. 1. Divino honore dignos esse Deos, utporè qui sortis humanæ authores sunt & arbitri; quorum cultus est antiquissimus: qui pœnis, quas ab illusoribus Dii susceperunt, simul & oraculorum, auguriorum, plurimorumque miraculorum authoritate confirmatus est. Ita Cæcilius apud Minut. contendens, præsertìm quòd institutus ille Deorum cultus fuerit, aut ut averterentur mala, quæ irati Dii fuerant interminati: aut ut gratiarum actiones ob beneficia accepta rependerentur. varia autem exempla affert Cæcilius, quibus Deorum majestas & potestas asseratur.

R. 1. S. Aug. lib. 2. de Civit. c. 23. humanæ felicitatis authores Deos non esse: cùm vel ii, qui eorum cultui maximè fuerunt addicti, ut Regulus, Cato, &c. gravissimis malis oppressi perierint; è contrà verò qui eos maximè despexerunt, ut Sylla & Marius, summam potestatem obtinuerint, & prosperâ fortunâ fuerint usi.

Respondet 2. Minutius Felix à Diis Gentes prosperitatem non accepisse, v. c. Romanos imperii amplitudinem Diis non debere, ut quod latrocinio & audaciâ fuerat comparatum; nec pietatis nomine templorum eversionem, Deorum expoliationem, sacerdotum immolationem obvelari posse. Diis victis cum immolarent Romani, Diis ipsis insulta-

bant, inquit, & sacrilegia sua consectabant; sicque Romanos sibi gradum ad authoritatis culmen stravisse non Deorum cultu & veneratione, sed sacrilegiorum impunitate; nec dubium est, ut habet, quin suis præsto fuissent Dii, si quâdam authoritate valuissent.

R. 3. Cum Min. Fel. Idololatriæ minimè patrocinari antiquitatem; cùm & scelerati, & tot libidinibus infames fuerint Dii: eorum quidem defensores fuerunt numero plures; sed furentium multitudo est tantùm communis furoris defensio. Lact. l. 2. c. 8. *Quare cùm sapere, id est veritatem quærere omnibus sit innatum, sapientiam sibi adimunt, qui sine ullo judicio inventa majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur; sed hoc eos fallit, quod majorum nomine posito, non putant fieri posse, ut aut ipsi plus sapiant, quia minores vocantur, aut illi desipuerint, quia majores nominantur.*

R. 4. Minutius Felix ex auguriis in gratiam Deorum nihil posse repeti; cum Regulus & Paulus & plurimi alii, quibus augures fausta portendebant, fuerint infelices: è contra verò, qui auguria neglexerant, ut Cesar, dum in Africam trajiceret, victoriam nihilominus retulerit.

R. 5. Minutius argumento ex oraculis petito: 1. Oracula esse inutilia, ab illisque deceptum Amphiaraum nescivisse se ab uxore proditum iri. Item & Apollinem Pythium nihil aliud quam ambiguè respondisse, & de oraculorum ambiguitate conquestum fuisse Demosthenem. 2. Si ab illis prædicta aliquandò evenerint, illud aut casu contigit, aut operâ spirituum immundorum, qui sub Statuis & imaginibus delitescebant consecratis, *& afflatu suo authoritatem quasi præsentis numinis consequuntur,* inquit, *dum inspirantur, dum fanis immorantur, dum nonnunquàm extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt falsis pluribus involuta, nam & falluntur & fallunt, ut & nescientes sinceram veritatem, & quam sciunt in perditionem sui non confitentes.* Ita S. Cypr. de Idol. vanit. Arnob. lib. 4. Lactant. lib. 4. c. 27. oraculorum vanitatem demonstrat, ostendit eorum authores esse Dæmones eorumque impotentiam evincit inde, quòd silerent & fugerent ubi adesset Christianus. Idem probat Eus. lib. 4. de Præp. c. 1. ubi ait Templorum Sacerdotes à Romanis ad quæstionem adactos scientiam suam esse impostorum artem fuisse fassos; idemque à Philosophis, ut à Chrysippo probatum, & à pluribus aliis, quorum authoritatem refert. Idem probat l. 5. & oracula celeberrima expendens contendit à Deo non fuisse reddita, sed à Dæmonibus; cum cruenta, ambigua, dolosa, obscura, gravissimorumque bellorum causa & origo fuerint; nihil seriò, nihil quod honestati & virtuti conduceret proponerent: imò & partibus injustis, ut Tyrannis, faverent, aliisque viris improbis.

Opponebant Gentiles, ejusdèm esse authoritatis vates suos ac Judæorum Prophetas: & utrisque usum esse Deum, ut providentiæ suæ generalis argumenta præberet, ut sua hominibus aperiret consilia simul & suaderet quàm utilia essent.

Huic objectioni respondet Euseb. lib. 5. de Demonstr. Evang. c. 1. summum intercedere discrimen oracula inter & Judæorum Prophetas, cum oracula

oracula essent Dæmonum opera, nihilque utile docuissent; Judæorum verò Prophetas in hoc unum incubuisse, ut homines à vitiis ad virtutem & ad Dei cultum revocarent. 2. Gentilium vates sine sensu quasi animam efflassent, vaticinia sua proferre solitos, eisque nec perspectum, quid dicerent, nec quid sentirent, hocque modo tenebricosos illos spiritus homines sibi subigere; è contrà verò Deum, cum lux ipsa purissima sit, animum perspicacem & facilè res intelligentem Prophetis infundere; undè quæ prædicerent ipsis perspecta essent: 3. Prophetas illos vitæ sanctimoniâ cæteris hominibus præluxisse; Ethnicorum verò fuisse, qui Deorum suorum mores æmularentur, & idcircò nonnisi scelestissimos fuisse.

R. 4. Minut. Felix argumento ex miraculis petito, cùm dicerentur Dii sanitatem ægris contulisse, & alia patrasse miracula, Dæmones ipsos temperamenti mutatione morbos illos inflixisse, & secedendo visos sanitatem restituere; nihilque, quod naturæ vires superaret, præstitisse; & pro virili hominum animis illudere conatos fuisse.

Opp. 2. Plurima præcepta morum à Diis tradi, & sic non esse traducendos ut pessimos, & divinis honoribus indignos.

R. S. Aug. lib. 2. de Civit. c. 26. Dæmones se ad quorumdam ad virtutem proclivium affectus quandoque attemperasse, ut eos in errorem inducerent; sed virtutis leges occultas tantùm præscripsisse, publicas verò vitiorum corrumpendis populis aptas. *Foris populis strepitu celeberrimo impietas impura circumsonat, & intùs paucis castitas simulata vix sonat .... Quod bonum dicitur, vix aliquos invenit auditores, quod malum geritur omnes convocat spectatores, tanquàm honesta erubescenda sint, & inhonesta glorianda ..... susurrant in occulto verba justitiæ ad decipiendos etiam paucos bonos, frequentant in aperto invitamenta nequitiæ ad possidendos innumerabiles malos.*

Opp. 3. Quâ ratione plures in Deo Personas Christiani adorant, eâdem ratione plures Deos, qui ex eâdem Dei substantiâ aliquam divinitatis partem sibi vindicarent, colebant Ethnici; quæ erat de Diis Gentium opinio, ut notatum suprà concl. 4. aut saltem subtiliorum Idololatrarum sententia.

R. S. Greg. Naz. Orat. 37. admitti non posse Gentilium sententiam, qui unicam divinam naturam pluribus Diis communem, sicut unicam naturam humanam in pluribus hominibus agnoscere se profiterentur; nam primò naturæ illius humanæ communis idea, seu unitas in solâ mente subsistit: cum individua illius naturæ communis à se invicem penitùs sint diversa quoad tempus, vires, & affectus; imò in nobis ipsis varietas quædam inest: cum & mens & corpus sibi invicem obsistant, & in perpetuâ sint mutatione. Sic Gentium Dii potentiâ, ordine, affectu, &c. à se invicem differunt, ut pluribus suprà probatum est, & ipsi assentiuntur Ethnici; non ita autem de tribus divinis Personis statui potest, cum unam & eandem naturam individuam habeant, & ejusdem sint penitùs authoritatis, &c.

bant, inquit, & sacrilegia sua consectabant; sicque Romanos sibi gradum ad authoritatis culmen stravisse non Deorum cultu & veneratione, sed sacrilegiorum impunitate; nec dubium est, ut habet, quin suis præsto fuissent Dii, si quâdam authoritate valuissent.

R. 3. Cum Min. Fel. Idololatriæ minimè patrocinari antiquitatem; cùm & scelerati, & tot libidinibus infames fuerint Dii: eorum quidem defensores fuerunt numero plures; sed furentium multitudo est tantùm communis furoris defensio. Lact. l. 2. c. 8. *Quare cùm sapere, id est veritatem quærere omnibus sit innatum, sapientiam sibi adimunt, qui sine ullo judicio inventa majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur; sed hoc eos fallit, quod majorum nomine posito, non putant fieri posse, ut aut ipsi plus sapiant, quia minores vocantur, aut illi desipuerint, quia majores nominantur.*

R. 4. Minutius Felix ex auguriis in gratiam Deorum nihil posse repeti; cum Regulus & Paulus & plurimi alii, quibus augures fausta portendebant, fuerint infelices: è contra verò, qui auguria neglexerant, ut Cesar, dum in Africam trajiceret, victoriam nihilominus retulerit.

R. 5. Minutius argumento ex oraculis petito. 1. Oracula esse inutilia, ab illisque deceptum Amphiaraum nescivisse se ab uxore proditum iri. Item & Apollinem Pythium nihil aliud quam ambiguè respondisse, & de oraculorum ambiguitate conquestum fuisse Demosthenem. 2. Si ab illis prædicta aliquandò evenerint, illud aut casu contigit, aut operâ spirituum immundorum, qui sub Statuis & imaginibus delitescebant consecratis, *& afflatu suo authoritatem quasi præsentis numinis consequuntur,* inquit, *dum inspirantur, dum fanis immorantur, dum nonnunquàm extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt falsis pluribus involuta, nam & falluntur & fallunt, ut & nescientes sinceram veritatem, & quam sciunt in perditionem sui non confitentes.* Ita S. Cypr. de Idol. vanit. Arnob. lib. 4. Lactant. lib. 4. c. 27. oraculorum vanitatem demonstrat, ostendit eorum authores esse Dæmones eorumque impotentiam evincit inde, quòd silerent & fugerent ubi adesset Christianus. Idem probat Eus. lib. 4. de Præp. c. 1. ubi ait Templorum Sacerdotes à Romanis ad quæstionem adactos scientiam suam esse impostorum artem fuisse fassos; idemque à Philosophis, ut à Chrysippo probatum, & à pluribus aliis, quorum authoritatem refert. Idem probat l. 5. & oracula celeberrima expendens contendit à Deo non fuisse reddita, sed à Dæmonibus; cum cruenta, ambigua, dolosa, obscura, gravissimorumque bellorum causa & origo fuerint; nihil seriò, nihil quod honestati & virtuti conduceret proponerent: imò & partibus injustis, ut Tyrannis, faverent, aliisque viris improbis.

Opponebant Gentiles, ejusdèm esse authoritatis vates suos ac Judæorum Prophetas: & utrisque usum esse Deum, ut providentiæ suæ generalis argumenta præberet, ut sua hominibus aperiret consilia simul & suaderet quàm utilia essent.

Huic objectioni respondet Euseb. lib. 5. de Demonstr. Evang. c. 1. summum intercedere discrimen oracula inter & Judæorum Prophetas, cum oracula

oracula essent Dæmonum opera, nihilque utile docuissent; Judæorum verò Prophetas in hoc unum incubuisse, ut homines à vitiis ad virtutem & ad Dei cultum revocarent. 2. Gentilium vates sine sensu quasi animam efflassent, vaticinia sua proferre solitos, eisque nec perspectum, quid dicerent, nec quid sentirent, hocque modo tenebricosos illos spiritus homines sibi subigere; è contrà verò Deum, cum lux ipsa purissima sit, animum perspicacem & facilè res intelligentem Prophetis infundere; undè quæ prædicerent ipsis perspecta essent: 3. Prophetas illos vitæ sanctimoniâ cæteris hominibus præluxisse; Ethnicorum verò fuisse, qui Deorum suorum mores æmularentur, & idcircò nonnisi scelestissimos fuisse.

R. 4. Minut. Felix argumento ex miraculis petito, cum dicerentur Dii sanitatem ægris contulisse, & alia patrasse miracula, Dæmones ipsos temperamenti mutatione morbos illos inflixisse, & secedendo visos sanitatem restituere; nihilque, quod naturæ vires superaret, præstitisse; & pro virili hominum animis illudere conatos fuisse.

Opp. 2. Plurima præcepta morum à Diis tradi, & sic non esse traducendos ut pessimos, & divinis honoribus indignos.

R. S. Aug. lib. 2. de Civit. c. 26. Dæmones se ad quorumdam ad virtutem proclivium affectus quandoque attemperasse, ut eos in errorem inducerent; sed virtutis leges occultas tantùm præscripsisse, publicas verò vitiorum corrumpendis populis aptas. *Foris populis strepitu celeberrimo impietas impura circumsonat, & intùs paucis castitas simulata vix sonat.... Quod bonum dicitur, vix aliquos invenit auditores, quod malum geritur omnes convocat spectatores, tanquàm honesta erubescenda sint, & inhonesta glorianda..... susurrant in occulto verba justitiæ ad decipiendos etiam paucos bonos, frequentant in aperto invitamenta nequitiæ ad possidendos innumerabiles malos.*

Opp. 3. Quâ ratione plures in Deo Personas Christiani adorant, eâdem ratione plures Deos, qui ex eâdem Dei substantiâ aliquam divinitatis partem sibi vindicarent, colebant Ethnici; quæ erat de Diis Gentium opinio, ut notatum suprà concl. 4. aut saltem subtiliorum Idololatrarum sententia.

R. S. Greg. Naz. Orat. 37. admitti non posse Gentilium sententiam, qui unicam divinam naturam pluribus Diis communem, sicut unicam naturam humanam in pluribus hominibus agnoscere se profiterentur; nam primò naturæ illius humanæ communis idea, seu unitas in solâ mente subsistit: cum individua illius naturæ communis à se invicem penitùs sint diversa quoad tempus, vires, & affectus; imò in nobis ipsis varietas quædam inest: cum & mens & corpus sibi invicem obsistant, & in perpetuâ sint mutatione. Sic Gentium Dii potentiâ, ordine, affectu, &c. à se invicem differunt, ut pluribus suprà probatum est, & ipsi assentiuntur Ethnici; non ita autem de tribus divinis Personis statui potest, cum unam & eandem naturam individuam habeant, & ejusdem sint penitùs authoritatis, &c.

Inst. Posse fieri, ut tres naturæ perfectissimæ sibi identificentur in eâdem personâ; sicut tres personæ in unâ & eâdem naturâ identificantur sibi invicem.

R. Tres personas in eâdem naturâ sibi identificari, nec indè sequi plura perfectissima, plura omnipotentia, seu plures Deos: At verò naturæ plures sibi identificatæ integritatem suam & proprietates servarent; & sic, si essent divinæ naturæ tres, essent absolutissimæ, suam quæque voluntatem haberet, sibi invicem adversarentur, altera haberet quod non alia, & sic nulla esset perfecta, nulla divina: & etiamsi inter se penitùs convenirent, verùm esset ab alterâ posse aliam præpediri, & sic posse sibi invicem adversari. Cætera in Tractatu de Sanctissimâ Trinitate solventur.

Opp. Potuere Ethnici cultum divinum minoribus Diis exhibere, ut quibus rerum creatarum præfecturam & sollicitudinem Deus credidisset & esset partitus: & sic quamdam divinitatis suæ participationem communicatam esse voluisse. Quâ ratione scilicet in Scripturis sacris Angeli, quos Deus hujus orbis administrationi præfecit, Dii vocantur & adorantur: ideò ut habetur Josüe 5. ℣. 15. adoratur Angelus. Et Exodi 3. ℣. 6. & 14. qui alloquitur Moysem vocat se Deum: *Ego sum Deus Abraham*: quod etiam refertur Act. c. 7. ℣. 32. & 33. Angelus autem erat ex S. Stephano ibidem, *Apparuit illi in deserto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi*; adorandus autem ex eo est, quòd Dei nomine ornetur; Dei enim nomen adoratio sequitur; imò ex adoratione, quæ Angelis deferebatur infert S. Aug. cont. Maxim. Arian. l. 3. c. 26. esse adorandum Spiritum Sanctum. *Vides namque à viro justo Angelos fuisse adoratos, & tu non vis adorari Spiritum Sanctum, quem vos quoque omnibus sine ambiguitate præponitis.*

R. Deum solum in Angelis, qui conspiciebantur, à Patriarchis fuisse adoratum, ut qui per eos repræsentaretur; non verò Angelos: & quoties hunc cultum quis Angelis voluit deferre, repulsam passus est. Sic S. Joan. Apocal. c. 22. ℣. 8. *Et postquam audiissem & vidissem, cecidi ut adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostendebat; & dixit mihi, vide ne feceris: conservus enim tuus sum, & fratrum tuorum Prophetarum, & eorum, qui servant verba Prophetiæ libri hujus: Deum adora.* Et Angelus ita monet Manue, *si vis holocaustum facere, offer illud Domino* Judic. 13. ℣. 16. Nomen etiam Dei tribuitur hominibus, *Ego dixi Dii estis* Psal. 81. ℣. 6. Et Moyses Exod. 7. ℣. 1. dicitur Deus Pharaonis; hæc enim tantùm exprimunt singularem quamdam excellentiam à Deo acceptam, ut Psal. 81. Judicum potestatem, & Exod. 7. traditam Mosi in Pharaonem ipsum authoritatem.

S. Aug. utitur argumento *ad hominem*, adversus Arianos: non quòd adorationem Angelis deberi censeat, sed Maximinum eò vult adducere, ut noscat, quam iniquè, quem honorem Angelis deferrent, Spiritui Sancto negarent.

Neque etiàm argumentum ex eo duci potest, quòd Reges aut alios

adorari Scriptura testetur, ut ab Abrahamo Gen. 23. ℣. 7. Filios Heth; à Jacobo. Gen. 33. ℣, 3. & 7. Esau; Josephus à fratribus adorandus prædicatur Gen. 37. ℣. 10. & 42. ℣. 6. & c. 43. ℣. 26. Idem à fratribus adoratur, & ejus virgæ aut sceptri fastigium à Jacobo Gen. 47. juxta 70. Interpretes, & Hebr. 11: ℣. 21. Ideò ex S. Chrys. Hom. 46. in Gen. quòd futuros ex Josephi posteris Reges prævideriт: adorationis enim vocabulo significabatur prostratio, quâ Reges & alii coli solerent; non verò Latriæ cultus, qui soli Deo servatur: sicut nec rebus creatis deferendus honos designatur his verbis Ps. 98. ℣. 5. *Adorate scabellum pedum ejus*, sed Deo earum rerum authori, ut benè monet S. Aug. in hæc verba.

Præter rationem esset adducere Ethnicorum Religionis antiquitatem, Gentium in eâ fovendâ consensum, à parentibus acceptam institutionem, ad excusandos saltem, quos aut rudior animus, aut exercitia penitus aliena ab otio ad veritatis indagationem necessariò avocant: adversùs enim naturalem legem, & omnibus ingenitam unius Dei cognitionem nullâ ratione præscribi potest.

ARTICULUS ULTIMUS.

Confutantur hæretici, qui unitatem Dei impugnarunt.

VARIAM hæreticorum fuisse sententiam art. 1. observavimus, iisque Arianos adjungere potuimus; sed de iis dicetur, ubi de Sanctissimâ Trinitate. Alii porrò hæretici plurimos Deos, duos alii, unum bonum, alterum malum Deum agnoverunt.

Duplicem hunc errorem ab Ethnicis hæretici hauserunt, qui plures Deos invexerunt; ii ex receptâ plurimorum Deorum opinione ita censuerunt; qui verò unum bonum & alium malum induxere, dogma suum ex quorumdam Philosophorum placitis hauserunt, de quibus agit Plutarchus lib. de Iside & Osiride: quæ etiam fuit Zoroastris & Magorum doctrina, ut docent Laërtius, Aristoteles, Hermippus.

Huic duorum principiorum opinioni fundamentum & originem præbuit curiosior perscrutatio, unde malum oriretur, ut docet Tertull. lib. 1. contrà Marcion. c. 2. Cumque mali quædam origo videretur agnoscenda, nec ad Deum bonum ea referri posset, ideò principium mali supremum admiserunt. Eadem quæstio ita Hermogenem torquebat, teste Tertull. lib. contrà eum c. 2. ut æternam materiam, quæ mali principium esset, excogitarit.

Refelluntur 1. hæretici quibus rationibus unitas divina superiùs fuit probata, simul & Deorum pluralitas omninò impossibilis demonstrata, ac præcipuè Veteris Testamenti: authoritate Deut. 6. ℣. 4. & Novi, Matth. 11.

2. Non est potior ratio cur triginta à Valentino, &c. quàm quadraginta, aut cur ab aliis duo, aut tres, quàm quatuor, aut sex Dii

inducantur; Ergo fictitia sunt, quæ ab illis hæreticis proferuntur. Ita Tert. lib. 1. cont. Marc. c. 6.

3. Si esset supremus Deus mali artifex, & Deo summè bono contrarius, infinitâ is esse deberet potestate, & æquali cum Deo summè bono: sic neuter esset infinitè potens, cum neuter posset impedire, quominùs plurima contra suam voluntatem evenirent. Nam ut bonus Deus præstaret invito malo Deo quidquid vellet, ita & malus renitente bono efficeret quidquid liberet, & sic neutrius voluntas impleretur. 2. Si illa duo principia se se invicem oppugnarent, sibique invicem resisterent, & proindè se invicem impedirent, ex mutuâ imbecillitate accideret, quòd Deus unus alterum non destrueret, & proindè non forent Dii, cum & infirmi essent & impotentes. Ita Sanct. Athan. Orat. contrà Gentes.

4. Probat Tertull. contrà Hermog. c. 11. principium mali æternum esse non posse; nec enim superare penes homines & Deum esset: & consequenter inutile foret virtutis studium.

5. Non datur supremum malum: cum malum nihil sit, necquid externum, sed affectio animæ virtuti contraria, cujus solus homo est author; S. Basil. Hom. 2. Hexam. *Quid igitur est dicendum, nempè malum non essentiam viventem, animâque præditam esse; sed affectionem animæ virtuti contrariam, desidiosis, ac inertibus, propterea quòd à bono deciderunt, inditam: Noli itaque malum forinsecùs circumspicere atque inquirere: neque quamdam naturam principem malignitatis imaginare, sed malitiæ quisque suæ seipsum authorem agnoscat.*

Ultimò ex S. Aug. lib. de Moribus Manich. non potest supremum esse malum: cum nihil aliud sit malum quàm boni depravatio, quæ ex eodem S. Aug. c. 6. ad nihilum est via quædam; nihilum autem non existit; ergo malum non potest esse aliquid supremum; non enim existit, nec potest existere: ut enim esset aliquod summum malum, debuisset prius esse aliquod supremum bonum, cujus esset annihilatio & depravatio: Quandòquidem malum non est, nisi ubi fuit bonum quod est corruptum.

Objiciebant 1. plurima esse à malo principio profecta mala, ut venenum, feræ, serpentes.

R. Ibidem S. Aug. c. 8. substantias illas ex se non esse malas; licet enim quorumdam temperamentum lædant, aliis non nocent, imò prosunt: sic plurima sunt etiam venena, quæ prosunt in medicamentis. Addi potest cicutam v. c. alicubi noxiam, alibi utilem: cum in Tauri montibus pro cibo delicato & salubri habeatur. Quæ herbæ noxiæ videntur, pro cibo sunt brutis animantibus, & nobis sæpè in alimentum & medicamentum cedunt. Quæ videntur mala, industriam excitant in secernendis salubribus à venenatis, patientiam nostram exercent, iram Dei & peccati odium manifestant, & ardentiùs Deum orare compellunt, ut prudentiâ nos instruat & per Angelos tueri dignetur.

Inst. Illorum omnium extat supremum aliquod mali principium, quod Isaiæ 45. ℣. 7. dicitur creare malum: *Ego Dominus, & non est al-*

ter formans lucem & creans tenebras : faciens, & pacem & creans malum. Ego Dominus faciens omnia hæc. Matt. 7. ℣. 18. *Arbor mala non potest fructus bonos facere.* Ita Marcio apud Tert. lib. 1. c. 2. Nec quâ in malum ferimur propensio esse à bono Deo potest, seu concupiscentia inordinata.

R. Isaiæ 45. agi de pœnæ malis, quæ Deus justus peccatorum vindex peccatoribus infligit, non verò de malo Deo : Et idem Deus tùm boni, tùm pœnarum illarum & tenebrarum author laudatur, & malorum quæ reverà bonis sunt annumeranda, ut quæ in peccantium commoda cedant. Secundò Matth. 7. de Pseudo-propheta quæstio est, signa præbet Christus, quibus secerni possit, & de singulis peccatoribus universim sancit ℣. 18. *Non potest arbor bona malos fructus facere : omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.* 3. Propensio etiam in malum à malo Deo non proficiscitur, sed ab ipsâ naturâ liberâ; quæ cùm mutabilis sit, pro libito potest hoc vel illud amplecti.

INST. 2. Novi Testamenti Deus summè bonus Veteris Testamenti Deo non adversaretur, ejusque authoritatem destruendam non suscepisset, nisi malus esset, & malorum author.

R. Summam esse utriusque Testamenti concordiam, & novæ Legis Deum se missum à Deo Veteris Testamenti, & Filium ejus, & unum cum illo Deum esse profiteri Joan. 10. ℣. 30. *Ego & Pater unum sumus.* ℣. 36. *Quem Pater sanctificavit & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quià dixi Filius Dei sum ; si non facio opera Patris mei nolite credere, &c.* Matth. 5. ℣. 17. *Nolite putare, quoniam veni solvere Legem, aut Prophetas ; non veni solvere, sed adimplere.*

INST. 3. Veteris Testamenti Deus occidit, Exod. capit. 32. ℣. 27. Levit. capit. 2. ℣. 10. & cap. 20. Num. 11. ℣. 33. & sæpiùs indurat cor hominis Exod. cap. 4. ℣. 21. præcepta dat non bona Ezech. cap. 20. ℣. 25. Novi verò Testamenti Deus nemini mortem infert, omnium miseretur, Leges ad sanctitatem utiles, puras, & admirabiles instituit.

R. Veteris Testamenti Deum vitam ademisse, & Deum Novi Testamenti pariter Ananiæ & Saphiræ mortem intulisse Act. 4. non quidem ita frequenter : quia Lex vetus, ut Israelitas rudes in officio contineret, pœnis carnalibus sæpiùs utebatur. 2. Novi Testamenti Deum indurare pariter non impartiendo malitiam, sed subtrahendo gratiam in pœnam peccati quod præcessit : itâ S. Aug. Ep. 105. Tertiò Legis Veteris præcepta dici non bona, non quòd ad malum vel minimùm impellant, sed quòd ex se sanctitatem non conferant, & ad concupiscentiam stimulandam sint incitamento. Rom. 7. ℣. 7. *Quid ergo dicemus ? Lex peccatum est ? Absit ; sed peccatum non cognovi nisi per Legem, nam concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret : Non concupisces ; occasione autem acceptâ peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Quia autem sanctitatem Lex vetus non conferebat, ideò

Rom. 8. ℣. 3. dicitur infirma. Et Heb. 7. ℣. 18. *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus & inutilitatem, nihil enim ad perfectum adduxit Lex.*

QUÆSTIO TERTIA.

Quid sit Deus, seu in quo sita sit natura Dei.

PERICULOSAM & laboriosam esse quæstionem, *quid sit Deus*, docet S. Aug. lib. 1. de Trin. c. 3. *Neque periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec infructuosius invenitur.* Et quia in investigatione simili difficillimum est homines cavere sibi omninò ab errore, si quid eis erga Deum amoris vel timoris est, ad initium fidei & ordinationem est redeundum.

ARTICULUS I.

Utrùm in hac vitâ quid sit Deus noße poßit homo.

ERRORES.

AETIUS & Eunomius circa seculi quarti medium eò temeritatis, aut potiùs ineptiæ prolapsi sunt, ut Dei naturam aut essentiam assererent se animo complecti & perspectam habere.

CONCLUSIO. Non potest homo in hâc vitâ nosse quid sit Deus.

Dei natura cognosci non potest; cùm nec Scriptura, nec ratio, nec res creatæ nobis Dei Essentiam manifestam faciant: imò Dei naturam ab homine cognosci non posse tradant Scripturæ: infirmior sit humana mens, quàm ut ad Dei cognitionem assurgere possit; hancque cognitionem Deus homini, ut meritorum præmium, in cœlis duntaxat tradendam pollicitus fuerit. Hæ sunt rationes, quibus utuntur SS. Basilius, Greg. Naz. & Greg. Nyss. adversus Eunomium. In re non difficili multas congerere probationes est superfluum; quas ab antiquis acceptas eruditissimi Patres attulerunt, paucis exscribemus.

Theoph. Antioch l. 1. S. Iren. l. 4. c. 37. S. Clem. Alex. l. 5 Strom. Novatian. l. de Trin. c. 1. Arnob. lib. 1. nec Deum posse dici, nec cogitari quid sit, etiam quascumque perfectiones ei tribuendo, docent.

S. Basil. l. 1. contrà Eunomium pedetentim hæreticum illum refellit. 1. ait majoris esse superbiæ asserere, perspectam sibi esse Dei substantiam, quàm solium suum super astra velle collocare, quod tentavit superbiæ spiritus, Isai. 14. ℣. 14. 2. nihil esse, quo in naturæ Dei notitiam adduci possit homo; non ratione hominibus communi; ea enim tantùm docet, Deum existere, non verò quid sit Deus; non Scripturis, docent enim naturam Dei comprehendi non posse; non rebus creatis:

quibus tantùm veluti gradibus utimur, ut ad sapientiæ & Dei & bonitatis cognitionem assurgere possimus. 3. Si fidem obtinere velit Eunomius in iis quæ superioris naturæ sunt, rerum inferiorum naturam nos edoceat; cum autem nec quæ sit terræ substantia, nec quæ formicæ natura, &c. noverit, quomodò sibi rerum sublimiorum cognitionem posset vindicare? 4. Deus Patriarcharum Deus dici voluit, quòd eximiæ virtutis essent: nomen autem suum eis exhibere noluit. At Eunomius non solùm Dei nomen sibi perspectum asserit, sed & naturam Dei optimè cognitam. 5. Si verum proferret Eunomius, falsum esset quod Lucæ 10. ℣. 22. & 1. Cor. 2. ℣. 11. traditur: nempè divinæ naturæ cognitionem soli Filio & Spiritui sancto competere. Idem argumentum urget Epist. 160. Novum addit Epist. 401. nempè si Dei notitiam in hac vitâ possemus assequi, falsò nobis polliceri Apostolum claram Dei notitiam in vitæ innocentis præmium.

S. Greg. Naz. Or. 1. *Quantùm percipitur Deus, tantùmdem semper se subducit, amantesque sui ex eo quod fugit, ac velut jam comprehensus se proripit, ad superna illicit.* Et Or. 34. Si Dei notitiam assequi hîc possemus, summis & sanctissimis viris concederetur. Et quidem in nostram utilitatem cedit, quod quidditatem, ut vocant, Dei ignoremus: tùm quia parvi à nobis fieret, si eam facilè assequi possemus, ita enim sumus comparati, ut quæ facilè consequimur, eadem spernamus: tùm etiam ut summo labore cognitionem illam tanquam alterius vitæ mercedem conemur nobis comparare. 3. Addit corpus nostrum instar nubeculæ cognitionem Dei nobis eripere: undè scriptum est, *posuit tenebras latibulum suum*, Psal. 16. ℣. 12. vixque à corporeis rebus avellimur, ut mentis aciem in res spiritales intendamus. Idem Orat. 38. fusè probat menti soli Deum se conspiciendum præbere, & quidem perexiguè, ac perobscurè: non ex his, quæ in ipso sunt, sed quæ circà ipsum, ad unum quoddam veritatis simulacrum priusquàm teneatur deducens, & priusquàm intellectu percipiatur, seipsum fugâ proripiens, ut vel sic animum collustret, desideria nostra magis ac magis accendat, eâque ratione nos mundet.

Iisdem argumentis utitur in orationibus cont. Eunom. S. Greg. Nyss. & Orat. 12. observat doctrinæ traditæ inhærendum esse, ne Dei naturæ loco in mente idola substituamus; authores sacros quædam nomina Dei tradere, non quæ Dei naturam designent, sed quæ Deum à creaturis secernant: & ita finitam esse hominum in hâc vitâ scientiam, ut nec quid ipsi sint, noverint: *Quemadmodum surdis, signis & manuum gestibus quid agere debeant, indicamus: non quòd propriâ ipsi voce careamus, sed quià minimè audientibus inutilis futura est ea, quæ fit verbis enarratio: sic cum humana natura quodammodo surda sit, neque quidquam paulò sublimius percipiat, Dei gratiam dicimus multipliciter ac variis modis in Prophetis loquentem pro captu nostro, & pro eo, quod familiare nobis est Sanctorum Prophetarum linguas conformantem, per hæc nos ad sublimium cognitionem velut manu deducere: non ut secundum*

propriam munificentiam institutionem faciat ; quomodo enim in exiguo magnum caperetur ? sed quia ad parvitatem nostram se divina vis abjicit. Undè appositè addit, sicut Sol interjecto aëre temperatum lumen suum & radios & calorem effundit, ne vehementi[illegible] eorum, appulsu sensus nostri obtundantur ; ita Deum, qui nobis, non sibi loquitur ; ad intelligentiam nostram eloquii sui sermonem attemperasse : imò nostris sæpè usum verbis, ne humanus noster sensus læderetur. Quod etiam observat S. Hilar. lib. 8. de Trin. Undè sæpè humilia & concreta, imò & quæ Deum quodammodo dedeceant, ut ambulare, irasci, &c. de Deo efferuntur ; ut etiam ex iis pateat, quæ de Deo dicuntur, non esse Deo digna.

OPP. 1. Eunomius, si homo non novit Dei substantiam, adorat quod nescit ; at ex ipso Christo Joan. 4. ℣. 22. non decet Christianos adorare quod ignoratur.

R. S. Basil. Epist. 400. Satis esse ad veram Dei adorationem, si Deum existere noverimus : non necesse verò à nobis ejus essentiam contineri animo.

INST. 1. Eunomius. non potest de Dei existentiâ constare, quin constet de ejus essentiâ : quia nihil potest dici de ente simplicissimo, quod ad illius essentiam non spectet.

R. Ibid. S. Basil. in Deo multa spectari posse, operationes nempè, proprietates, &c. quæ varios conceptus inferunt ; undè licet sit simplicissima Dei entitas, quæ de Deo apprehenduntur, adæquatè non concipiuntur, nec perfectè omninò.

INST. 2. Ingenitum esse, Dei essentiam continere : nosse verò nos quid sit ingenitum.

R. S. Basil. vocabulum illud, ingenitum, Dei essentiam non designare, sed à Deo amovere tantùm imperfectionem ; cùm denotet Deum esse à se, non ab alio, seu modum Dei existendi singularem significet. sed de hoc nomine aliàs fusiùs.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quæ de Deo noverimus, seu quæ sint attributa Dei, & quis inter illa ordo.

IN unaquâque re spectanda occurrunt duo. 1. ipsa rei natura, 2. proprietates quæ ex ipsâ re emanant, & velut qualitates adhærere videntur, remque unam ab aliis secernunt ; sic in Deo spectare duo licet, ipsam Dei naturam, & propietates quæ ipsum Deum ab omni alio ente distinguunt ; sed quia jam infirmam nostram naturam essentiæ Dei apprehendendæ imparem esse probavimus, ideò sola nobis supersunt expendenda attributa, quæ divinam naturam designare & afficere videntur, quæ S. Basil. lib. 1. contrà Eunomium vocat qualitates, & Tert. lib. 1. cont. Marc. naturales proprietates, Theologi vulgò ATTRIBUTA. Hîc

autem

autem quæstio non est, de proprietatibus relativis, seu personalibus.

Attributa vulgo dividuntur in affirmativa, seu positiva, quæ perfectiones Deo inexistentes designant, seu aliquid positivum; ut bonum esse, justum, &c. Et in negativa, quæ imperfectiones à Deo removent, ut esse ingenitum, immensum, &c.

Jamverò quæritur, quæ ex attributis illis præstantiora sint: seu quæ præstantiorem ideam Dei menti ingerant.

CONCLUSIO. Attributa negativa videntur positivis esse potiora; seu perfectior est Dei cognitio, quæ per negationem, quàm quæ per affirmationem habetur. Perfectiorem enim Dei cognitionem illa ingenerant, quæ Deum sub infinitâ ratione menti subjiciunt: quæ nec aliorum adminiculo habent opus: quæ SS. Patribus magis idonea videntur. Ejusmodi autem sunt attributa negativa.

1. Attributa negativa omne nomen transcendunt, & ad infinitum excogitandum nos evehunt; positiva verò aliquid definitum & circumscriptum designant: negationum enim vis est infinita, ut vocis, non homo; affirmationum verò est definita & circumscripta, ut vocis, homo: unde causam non definitam magis consentaneum est negationibus exprimere. Affirmationes rem velut in partes secant; negationes verò ab iis quæ terminis inclusa sunt ad id quod nullis finibus coërcetur, mentem extollunt & evehunt.

2. Illa præstat via, quæ juvat aliam, & ab eâ non juvatur. At via cognoscendi Deum per attributa negativa juvat eam quâ cognoscitur per attributa positiva; cum enim hæc ex quadam perfectionum, quæ in homine aut Angelis eminere videntur, comparatione ducantur, concipi vix possunt, quin aliquid materiæ admixtum habeant, nec totam Dei potentiam & sapientiam delineant: at quod in tali conceptu imperfectum est, tollitur & amovetur per attributa negativa; designant enim perfectiones illas ratione perfectissimâ Deo inesse.

3. Tantùm negationis via ad Deum cognoscendum affirmativam præstat, ut S. Greg. Nyss. constanter asserat, per sola attributa negativa Deum cognosci lib. de vita Mosis: ut & S. Aug. enarr. 2. in Ps. 26. Immò S. Dionys. lib. 2. Hierarch. divinæ naturæ non congruere affirmationes docet; cum totum quod est in Deo, supersubstantiale sit, & omnem hominis captum excedat.

OPP. Cognoscere Deum per negationem, non est eum cognoscere: præstatque cognoscere rem per ea quæ rei insunt, quam per ea quæ non insunt; privatio enim alicujus in ente perfectionis cognoscendæ non est principium. 2. Ipsum esse notius est, quam non esse; nam per se cognoscitur esse: non esse verò per esse aliquo modo cognoscitur: nec diceretur quis hominem nosse, si sciret tantùm eum non esse lapidem, lignum &c. si notum non haberet, aliquo modo, quid esset homo. Insuper homo naturâ suâ ad speculandum Deum ordinatur; sed circa Deum speculatio versari non potest, nisi quatenùs mentis objectum est Deus; objectum autem intellectus, non est aliud quam quidquid in Deo est; quidditas igitur Dei ab homine cognosci potest: nec in votis esset

ejus cognitio, nisi percipi posset. At negationes nec sunt in Deo, nec ejus quidditas.

R. 1. Attributa negativa non designare meras privationes, sed eminentiam quamdam & excessum; cum autem excessus illi intelligentiam nostram longè superent; hinc ad has negationes confugere compellimur. 2. Per privationem per se non patere viam ad rei cognitionem, sed per accidens; sic negatur aliquid de Deo, vel ratione rei significatæ; ut cum dicitur non esse lapis, &c. vel ratione imperfectionis adjunctæ, ut cum enuntiatur Deus non bonus; non quòd à Deo removeatur bonitas; sed quia eminentiâ quâdam bonus est, seu superbonus, seu ipsa bonitas. Ex priori negatione profecta cognitio ab errore avocat, ne credatur Deus esse quod non est; sed non demonstrat quid sit Deus, quia meram negationem infert: posterior verò negatio hoc non tantùm efficit, sed prætereà ducit ad Dei quidditatis cognitionem; nam in Deo ponit perfectionem contrariam, & imperfectionem omnem repellit; sic v. c. dicitur Deus non esse bonus, ne credatur bonus per participationem & inhærentiam, & ut agnoscatur ipsa bonitas per essentiam. 3. In homine quidem est appetitus Deum videndi, sed non in hâc vitâ; expletur ille, modò in alterâ vitâ hanc cognitionem assequatur.

INST. Ab affirmativâ cognitione juvatur negativa, cum eam supponat: ut enim dicatur Deus non esse mortalis, priùs necessariò Deus est cognoscendus, ut attributi illius (mortalis) ideâ Dei naturam destrui palàm fiat. Ergò est priùs cognoscenda perfectio, quæ cum mortalitate consistere non potest.

R. Priùs quidem necessariò esse cognoscendam imperfectè Dei naturam, v. c. Ens esse perfectissimum, & proindè non esse morti obnoxium; aliquod autem distinctum attributum mortalitati repugnans cognoscere non oportet: sic, ut hominem non esse hinnitivum in aperto habeam, est satis, si de rationali ejus naturâ mihi constiterit: nec ad perfectionem cum hinnitu rectà pugnantem investigandam compellor.

ARTICULUS TERTIUS.

Quæ sit distinctio inter attributa divina.

DISTINCTIO multiplex est, alia realis, rationis altera. Distinctio realis iterum duplex, major & minor; realis major est inter illa, quæ sine se invicem esse possunt, qualis inter hominem & vestem: vel inter illa quæ relativè opponuntur, qualis distinctio personas inter divinas. Realis minor, vel modalis, est inter illa quorum unum existere quidem potest sine alio, sed non vicissim; qualis intercedit inter modos, & eorum subjecta.

Altera quidem distinctio cuilibet mentis operationi prævia supponitur à Scotistis, & formalis vocatur, seu actualis, inter entitates à parte rei distinctas, quæ unam eandemque existentiam habeant, & sine se invi-

cem existere non possint, nec subjectis, aut suppositis distinguantur.

Distinctio rationis, iterum duplex: alia rationis ratiocinantis: altera rationis ratiocinatæ, seu virtualis, aut fundamentalis. Nullum habet sui fundamentum, prior, sic distinguitur Petrus à Petro, quandò dicitur, Petrus est Petrus: vel cum distinguimus Paulum à Saulo, qui tamen idem est homo. Posterior verò distinctio in re supponit fundamentum: ut cum res in se simplicissima & præstantissima varios habet effectus. Sic anima rationalis in se una, multiplex videtur esse, vegetans scilicet, sensitiva, & rationalis: & ideò, in varios conceptus dividitur: Tunc enim rei simplicis, quæ pluribus æquipollet præstantia, rem eamdem in plura dividendi fundamentum menti subministrat.

Aëtius & Eunomius, ut omnem personarum distinctionem à Deo excluderent, simulque suaderent sibi cognitam esse divinam naturam, distinctionem in personis divinis admitti nolebant; totam quippe Dei naturam ingeniti nomine complectebantur: atque adeò divinam simplicitatem extollere & prædicare solebant, ut attributa relativa, putà Paternitatem, &c. Et positiva, veluti sapientiam, &c. mera duntaxat esse vocabula contenderent: nec proindè aliam à distinctione rationis ratiocinantis in Deo admittendam esse distinctionem, quæ tamen distinctio nulla est, ut patebit rem tantisper consideranti.

Gilbertus Porretanus circa ann. 1141. ex Canonico Pictaviensi ad ejusdem Ecclesiæ Episcopatum promotus, Philosophiæ & Theologiæ professione publicâ clarissimus, Anno 1147. ab Eugenio III. ad Concilium Parisiense citatus fuit: quia, ut refert Gaufredus Clarevallis Monach. Epist. ad Cardinalem Albanensem, Ecclesiæ Pictaviensis Archidiaconi duo in Gallias adventanti Eugenio occurrerant de Episcopi sui doctrinâ conquesturi. Ad Concilium in solemnitate Paschali habendum quæstionem remisit Eugen. Huic Synodo adfuit S. Bernard. Porretani errores hi vulgabantur ex discipulorum scriptis excepti: scilicet divinitatem non esse Deum: seu formam esse in Deo, quæ non esset Deus. Archiep. Rothomag. & Episc. Ebroicensis consilio in hâc se fuisse sententiâ negavit Gilbertus. Quia autem res, seu quæstio valdè obscura videbatur, & plurimi Porretano favebant, ad Concilium Rhemis habendum quæstionem remisit Eugen. Otho Frisigens. Episcopus Friderici I. Patruus lib. 1. c. 50. & 51. ab erroribus vindicat Porretanum, tùm authoritate S. Aug. tùm quòd, ut habet c. 53. assercre solitus esset de Personis divinis sermonem se non habere, sed tantùm de quâdam Personarum divinarum excellentiâ.

In Concilio Rhemensi anno 1148. ex eodem Othone Gaufredus Archiep. Burdigalensis, Milo Morinens. Suggerius Abbas S. Dionys. Sanct. Bernard. Porretano adversabantur, & è Curiâ Romanâ multos, ipsosque Cardinales suspectos habuerunt, quòd ex iis complures expostularent truncata esse veterum Patrum testimonia contra Porretanum opposita. Undè S. Bernard. ut rem brevi conficeret, à Porretano quæsiit, num divina sapientia, essentia, & magnitudo, esset Deus: an for-

ma distincta quâ Deus esset, aut posterius quid? à Porretano probatæ propositiones mox fuerunt exscriptæ. Exegit Porretanus, ut S. Bernardi confessio scriptis quoque mandaretur, divinitatem nempè esse Deum. Cum verò plurimùm hinc & inde subsequentibus diebus disputatum esset, dixissentque Cardinales, à se proposita fuisse audita, & se judicium daturos esse, inquit Gaufredus. *Judicabimus*, inquiebant Cardinales, *qualiter debeant definiri; quod verbum eatenùs movit corda multorum, ut sequenti die apud S. Bernardum convenirent Archiepiscopi decem, Episcoporum quoque, atque Abbatum ac Magistrorum plurima multitudo: & quia judicium sibi solis reservasse videbantur, quos noverant ferè omnes errantis potiùs quam erroris fautores; providere oportere, cum capitulis illis Gilberti Episcopi, suæ & fidei symbolum mitti, ut scirent pleniùs undè judicarent: Scripserunt ergo capitula totidem quàm expressiùs potuere; illius verbis suam confessionem contrariam in omnibus & per omnia proponentes; quam de communi omnium convenientiâ non sine multâ deliberatione dictatam judicaturis facerent exhiberi; nec tamen verebantur ne contrarium aliquid judicarent, sed credebant nonnullos eorum ad hoc tendere, ut sine aliquâ definitione Concilium solveretur. Propter quod eidem Scripturæ, quam vobis novissimam mittimus, inquiunt, scripta sunt nomina singulorum, qui aderant, Archiepiscoporum, Abbatum, & Magistrorum, de consensu & convenientiâ universorum, & electæ sunt tres personæ, Episcopi duo reverendissimi Hugo Altissiodorensis, & Milo Morinensis, & Suggerius Abbas S. Dionysii, qui eamdem scripturam D. Papæ, & Cardinalibus præsentarent & dicerent eis. Pro vestrâ reverentiâ sustinuimus minùs dignos acceptione sermones, donec tandem audivimus, quod de eis judicare velletis. Offerimus ergo & nos nostram confessionem, ut non de parte, sed de partibus judicetis. Tenetis confessionem hominis illius scriptam, convenit ut & teneatis nostram. Verumtamen ille vobis sub hoc tenore tradidit suam, ut paratus esset corrigere, si quid aliud vobis videretur: nos ejusmodi conditionem penitùs excludentes, sic vobis nostram offerimus, ut noveritis quod in hoc sumus, in hoc perseverabimus, nihil penitùs mutaturi. Quibus sine cunctatione D. Papa respondit, & universis qui miserant eos, renuntiare præcepit, quòd ab eâdem confessione eorum in nullo prorsùs Romana Ecclesia dissentiret. Etsi stare visi fuerant aliqui pro personâ, sed non stabant aliquatenùs pro doctrinâ: indè fuit, quod in insigni palatio cui nomen est Thaus, universa Ecclesia conveniens, & interrogatus Episcopus Pictaviensis, capitulis singulis liberè renuntiavit, hæc eadem verba locutus, si vos aliter creditis, & ego: Si aliter dicitis, & ego: Si aliter scribitis, & ego. Ibidem D. Papa authoritate Apostolicâ de assensu totius Ecclesiæ quæ convenerat, capitula ipsa damnavit, districtè præcipiens ne eumdem librum legere, vel transcribere etiam sic reprobatum quis auderet, nisi priùs eum Romana Ecclesia correxisset. Cumque responderet Episcopus, ego corrigam ad arbitrium vestrum; non vobis, ait, hæc correctio committetur,* [illegible]

Matthæus Parisiensis refert capitula quatuor in Concilio Remensi definita: & proinde hæc sunt quæ ab Episcopis Gallicanis oblata sunt, & quæ doctrinam continent Porretani capitulis contrariam. Primum est. *Credimus simplicem naturam divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu Catholico posse negari, quin divinitas sit Deus, quin Deus sapiens sit sapientiâ quâ Deus est, &c.* Exegit autem, ut refert etiam Gaufredus in Epist., à Porretano Catholicæ fidei professionem Eugenius; ut superiùs fuit observatum.

Refert Otho eodem lib. apud Eugenium conquestos fuisse Cardinales, quòd à S. Bern. & ab Episcopis Gallicanis, qui capitula illa confecerant, contemptui habiti viderentur; ab illisque monitum fuisse Summum Pontificem Romanæ Curiæ dignitati esse consulendum, solamque Romanam Sedem de fide judicium ferre posse.

Quidam ab errore Gilbertum vindicabant, asserebantque non talem illum inter attributa & essentiam distinctionem admittere; sed solam rationis ratiocinatæ, quam Theologicam vocabant; sed ex superioribus constat, nullum esse excusationis illius fundamentum, & simul æquam fuisse Arnaldi & Calonis Archidiaconorum Pictaviensium ad Eugen. delationem. Ex duobus aliis capitibus idem repeti potest; nempe ex S. Bern. mox citandis contra Porret. scriptis, & ex Radevico, qui historiæ Othonis, quæ deerant adjecit; & lib. 1. c. 11. Othonem scribit Doctorum virorum arbitrio scripta sua subjecisse, si quidquam scripsisse probaretur pro Porretani sententiâ, quod piorum aures læderet.

Abbas Joachimus ad ann. 1173. Petrum Lombard hæreseos incusavit, quòd asseruisset summam rem quamdam esse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; & illam non esse generantem. Et visus est idem Abbas, ut refert Matthæus Parisiensis, unitatem non veram & propriam, sed quasi collectivam in Trinitate admittere, qualis est quæ inter Fideles & Ecclesiam. Abbatis autem libellus an. 1215. in Concilio Lateran. sub Innocentio III. damnatus est.

Conclusio I. Distinctio rationis ratiocinatæ, ac virtualis, inter attributa & essentiam divinam est admittenda.

1. Quia illa distinguuntur plusquam ratione ratiocinante, quorum unius notio non includitur in notione alterius, seu quorum unum absque altero cogitari potest; ejusmodi sunt attributa Dei. S. Basil. lib. 1. cont. Eunom. probat aliam simplicitatis, potentiæ alteram esse notionem. *Quid enim ridiculum non est, si quis procreandi vim ipsam dicat esse essentiam, aut providentiam rursus essentiam, itidem præscientiam, ac denique efficientiam, omnem essentiam esse statuat? Quod si omnia ista ad unum significatum pertineant, necesse est ut idem inter se valeant nomina, ut in polyonimis evenit, cum Simonem & Petrum & Cepham eumdem hominem dicimus.* Manifestæ insaniæ esse addit propriam unicuique nomini significationem negare.

Eam S. Greg. Nyss. lib. 1. & 12. cont. Eunom. S. Basilii sententiam ab Eunomii calumniâ vindicans, idem in Deo contingere probat,

quod in plerisque aliis rebus : quæ cum reverâ unum quid sint simplicissimum, multiplicem tamen notionem ob multiplices proprietates intuentibus ingerunt : quod in grano tritici est cernere ; licet enim unum sit, variè tamen sub variis rationibus spectari potest : ergo res in se una non desinit variis conceptibus dividi. Aliam esse rationem in Deo incorrupti, aliam ingeniti docet : ingenitum nempè, significare Deum nullam habere causam : incorruptibilem verò, à nullâ causâ posse destrui, nec notionem unius in altero contineri, seu incorruptibilis in conceptu ingeniti.

2. Personales proprietates ab essentiâ divinâ ratione etiam ratiocinatâ distinguuntur; quia licet unum quid cum eâ sint, variè tamen concipiuntur. S. Greg. Nyss. in lib de communi notione. *Pater eatenùs non est Deus, quatenùs differentiam à Filio servat : alioquin Filius non esset Deus; nam si ideò, quia Pater est, idem Pater Deus est : cum Filius non sit Pater, non erit Deus Filius; Quod si Filius est Deus, non quia Filius est, similiter & Pater, non quia Pater, Deus est : sed quia talis est substantia, unus est Deus Pater & Filius.* Quod S. Basil. tradiderat l. 1. adv. Eunom. Ergò si Pater, quâ intelligitur Pater, non est Deus, alia est reverâ notio Patris à divinâ naturâ. Idem lib. 2. Personarum proprietates, formas, characteres, notas vocavit : *Hæc est natura proprietatum in identitate substantiæ distinctionem ostendere.* Denique S. Aug. lib. 8. de Trin. c. 4. ait : *Aliud Deum esse, aliud Patrem esse; sunt quidem unum in se paternitas & essentia : nefas tamen dictu Patrem paternitate esse Deum, paternitate sapientem, &c.*

Distinctio autem illa rationis, quæ essentiam inter & attributa occurrit, repetitur ex rei eminentiâ : aut ex variis affectibus, qui Deo tribuuntur & cum nostris componuntur : aut ex pluribus Dei operibus, quæ Deus in nobis efficit, aut quibus ad creaturarum administrationem uti concipitur : & sic hæc distinctio petitur ab extrinseco.

Opp. 1. Attributa Dei una & eadem res sunt; nam, ut habet apud S. Greg. Nyss. Eunomius, ingenitum est idem attributum cum immortali : alioquin Deus, quâ ingenitus est, non esset immortalis, quod falsum est; si enim quâ ingenitus, non esset immortalis, esset mortalis : at non potest dici mortalis; simul enim esset mortalis & immortalis.

R. 1. Ingenitum, quâ ingenitum, seu explicitè spectatum non esse immortale, quamvis ingenitum implicitè spectatum sit immortale, prout implicita est ingeniti & immortalis notitia. Licet autem non concipiatur statim quid immortale, cum ingenitum in mentem venit : non indè sequitur ingenitum habendum esse mortale : aliud enim est unum ab altero, cui conjunctum est, separatim contemplari : aliud affirmare illud ab eo separatum esse : seu aliud est rem concipere præcisione abstractiva, aliud concipere præcisione negativâ; qui concipit ingenitum v. c. præcisione abstractivâ, nec negat, nec affirmat illud esse mortale, aut immortale; qui verò diceret ingenitum non esse, aut mortale, aut immortale, negativâ præci-

ſione illud apprehenderet; & proindè neceſſe non eſt, ut qui concipit ingenitum, apprehendat illud, ut mortale, vel immortale.

Equidem attributa omnia ſunt unum quid realiter: ſed nihilominùs variam habent intelligibilitatem, variaſque definitiones: quæ quidem varia intelligibilitas nihil addit Deo intrinſecum: & ideò extrinſeca eſt, niſi intrinſeca dicatur ratione ſundamenti, ſeu eminentiæ divinæ, quæ nonniſi variis conceptibus à nobis apprehendi poteſt; licet autem Dei juſtitia v.c. virtute ſit multiplex, ſeu variis præſtet, puniat & remuneretur, non multiplex dicenda eſt: cum in promptu ſit eamdem virtutem apprehendere, quæ multa & diverſa poſſit efficere.

Inſtari poteſt 1. ex S. Baſil. Epiſt. 8. quæ de Deo dicuntur proprietates, eſſe tantùm varia nomina, quæ idem ſignificent. *Omnes Deo convenientes tam notiones, quam voces, ejuſdem ſunt inter ſe dignitatis: quòd nullum habent in ſubjectâ rei ſignificatione diſcrimen; non enim ad rem aliam ſubjectam velut manu deducit intelligentiam noſtram appellatio boni, ad aliam item ſapientis & potentis & juſti; ſed quæcumque dixeris nomina, unum idemque per omnia ſignificatur; ac ſi Deum proferas, eumdem oſtendiſti, quem & cæteris vocabulis intelligis.*

R. S. Baſilium & alios Patres, qui eamdem loquendi formam adhibuerunt, diſtinctionem virtualem non excluſiſſe: cum eam adversùs Eunomium tam conſtanter ſtabilierint, ut ex ſuperioribus compertum eſt. Undè cum ita loquuntur, nihil aliud intendunt, quàm omnes Dei proprietates, ſeu attributa relativa, aut abſoluta, cum ſeorſim ſumuntur, unam divinam naturam deſignare, ſeu ſubjectum, cui adſcribuntur, Deum eſſe. Indè inferunt, ut Epiſt. citatâ S. Baſil. Spiritum Sanctum Deum eſſe: cum omnia vocabula, ſeu attributa quæ de Deo dicuntur, Spiritui Sancto in Scripturis tribuantur.

Inſt. 2. Divinæ perfectiones non poſſunt ſine ſe invicem agnoſci: quia habent eandem intelligibilitatem, ut loquimur in ſcholis, ſeu veritatem: quæ quidem veritas non poteſt eſſe multiplex; alioquin non eſſet infinita in genere veritatis: non enim omnem veritatem includeret.

R. Veritatem eſſe duplicem in Deo: aliam tranſcendentem, ſeu entis proprietatem, quæ omnibus attributis competit, ut eſſe unum, &c. aliam quæ ſit veracitas, ita ut habeat quodlibet attributum ſingularem ſuum conceptum. Veritas tranſcendens divina in veritatis genere infinita prorſùs eſt; veracitas verò, cum ex noſtrâ intelligendi ratione ducatur, mentis noſtræ vires non excedit, nec attributorum rationes niſi diviſas aſſequitur.

Inſt. 3. Sequeretur inde, eamdem entitatem ſimpliciſſimam cognoſci poſſe & non cognoſci: quod non minus implicat, quàm rem unam & eamdem exiſtere ſimul & non exiſtere.

R. Unam & eamdem entitatem virtute multiplicem cognoſci poſſe, & non cognoſci ſub diversâ ratione, præſertim Dei attributa, ob divinam ſimplicitatis eminentiam, & intellectus noſtri infirmitatem. Nec

eadem est ratio cognitionis saltem abstractivæ alicujus rei, ac ipsius rei existentiæ: nam existentia pertinet ad rem secundum se totam, & ut in se est; cognitio verò saltem abstractiva respicit objectum sub ratione diversâ consideratum.

Opp. Illa distinctio esset intrinseca, & proindè realis.

R. Intrinsecam esse fundamentaliter, extrinsecam autem formaliter: nec se tenere ex parte rei, sed nostri, ob summam Dei eminentiam, ut jam explicuimus.

Inst: Si hoc fundamentum valeret, eadem virtus distingueretur à seipsâ virtualiter, quia æquivalet multis, v. c. Justitia, quia punit & remuneratur.

R. Non sequi: nam in promptu est apprehendere eam justitiam v. c. quæ modò pœnas infligat, prœmia modò rependat; nostræ verò mentis tenuitatem arguit distinctio illa, quam ponit inter attributa Dei, quòd rem numeris omnibus absolutissimam varios in conceptus partitur, institutâ cum rebus imperfectis comparatione, ut eam aliquatenus assequatur conceptu.

Opp. 3. Ab essentiâ divinâ non magis distinguuntur quæ sunt in Deo absoluta, quàm quæ relativa, quæ ne ratione distinguuntur ab essentiâ, ex Conc. Remensi Eug. III. præside: *In Theologiâ inter essentiam & personam, ratio non distinguat.*

R. Concilium Remense, verbis in objectione relatis errorem Gilberti Porretani proscribere, qui, ut ex variis S. Bernardi locis colligitur, asserebat relationes divinas esse Deo veluti extrinsecùs affixas: ac idcircò ab essentiâ Dei ratione, non tantùm Mathematicâ, sed etiam Theologicâ distinctas; hoc est admittebat, distinctionem quamdam realem inter essentiam & personas, quam rationis Theologicæ distinctionem dicebat: quod unum proscripsit Remense Concilium.

Conclusio II. Attributa divina absoluta, seu relativa aut personalia non distinguntur ab essentiâ divinâ distinctione reali majori, vel minori seu modali.

1. Ita definit Concilium Remense mox relatum in formulâ fidei, quam Gallicani Præsules obtulerunt. *Credimus simpliciter naturam divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu Catholico posse negari, quin divinitas sit Deus & Deus divinitas.* Ac subindè nonnisi eâ divinitate quæ est Deum esse.

Sic postmodum Conc. Later. IV. c. 2. cont. Joach. Abb. juxta doctrinam à S. Aug. expositam de fide: *Quod una quadam summa res est incomprehensibilis quidem & inæstimabilis divina essentia, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres simul Personæ, ac singulatim qualibet earumdem: & ideò indè Trinitas est solummodò, non quaternitas: quia qualibet trium Personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura divina.* Quam doctrinam Catholicam exponit ita S. Bern. contra Porretan. Serm. 8. in Cantic. *Si divinitas non est reipsâ Deus, erit aliquid quod non est Deus, aut nihil . . . . Quod si aliquid est quod non est Deus: aut minor erit Deo, aut major, aut pars; At quomodo minor, quâ Deus est? Restat ut aut majorem facias, aut parem: sed si*

major, ipsa est summum bonum, non Deus; si par, duo sunt summa bona, non unum: quod utrumque Catholicus refugit sensus.

Deus ergò necessariò est sua justitia, &c. nam si non est justitia, differt à suâ justitiâ; si enim esset sua justitia, non differret ab eâ, nihil enim ab eo quod est, seu à seipso differt; si à justitiâ differret, non esset ex se justus, sed per justitiam à se distinctam, &c. Implicat igitur Deum concipere, quin justus sit à suâ justitiâ.

Ultimò in Deo omnis distinctio realis, vel ex relatione, vel ex aliquâ oppositione oritur. Inter autem essentiam & attributa relativa non est relatio, neque oppositio; nec etiam inter essentiam & attributa absoluta; quòd omnia in divinis sint unum, ubi non est relationis oppositio.

CONCLUSIO III. Non est admittenda distinctio formalis Scotistica inter attributa, & essentiam divinam.

1. Quæ rationes distinctionem realem ab essentiâ divinâ removent, eædem formalem etiam distinctionem excludere videntur. Quia inter ea quæ sunt à parte rei sejuncta, seu inter duas entitates ante omnem mentis operationem à se invicem distinctas, distinctio realis esse videtur. Deinde si attributa distinguerentur formaliter & à parte rei ab essentiâ divinâ, aliquo sensu Catholico dicere liceret, Divinitas Deus non est: quod in Concilio Remensi reprobatum est. Denique nec in Deo admitteretur simplicitas summa: nam longè major ea est quæ distinctionem virtualem solam agnoscit.

OPP. 1. Pro distinctione reali. Distinguuntur realiter ea quorum sunt diversa objecta, & diversæ operationes. At objectum intellectûs divini v. c. est veritas, objectum voluntatis est bonum aut malum: intellectus intelligit, voluntas autem vult. Ergò, &c.

R. Hæc dici posse de potentiis finitis, quæ non contineant eminenter aliarum potentiarum facultates, quales sunt visus, & auditus v. c. id verò esse falsum de potentiis infinitis, cujusmodi sunt intellectus & voluntas divina. Rationalis anima eadem animæ vegetativæ & sensitivæ operationes elicit, quòd eminenter contineat animæ sensitivæ & vegetantis virtutes: similiter Deus non variis actibus, sed unico actu vult, & intelligit. Porrò licet non dicamus intellectum velle, & voluntatem intelligere, id non arguit in Deo intellectum inter & voluntatem distinctionem; sed intellectûs nostri defectum, qui varios in conceptus partitur, quæ rebus variis æquivalent. Immò juxta opinionem eorum qui voluntatem inter & intellectum humanum reale non ponunt discrimen, eadem facultas diversos actus elicit. 2. Omnipotentia divina varia certè opera producit, & nihilominus à se ipsâ est indistincta.

INST 1. De quibus contradictoria dicuntur, realiter distinguuntur: essentia divina dicitur communicari posse: paternitas verò communicari non posse.

R. Virtualem distinctionem parem esse, ut quæ contradictoria videntur, de Deo dici possint; cum enim aliquid unum, est virtute mul-

tiplex, multis æquivalet: sicut autem de multis diversa possunt efferri, ita possunt & de eo quod ipsis æquivalet; undè tunc contradictioni locus non est; nam contradictoria desinunt esse talia, cum non sub uno & eodem sensu enuntiantur. Idem dicendum de illis, quæ varias definitiones habent, ut de actione & passione, licet sint una & eadem res.

INST. 2. Si paternitas realiter non distinguitur ab essentiâ divinâ, paternitas & filiatio erunt formaliter quid unum; sunt enim formaliter quid unum in uno tertio, nimirum in essentiâ divinâ.

R. Quæ sunt eadem uni tertio esse eadem inter se, si sint absoluta, & se invicem non excludant: non verò si sint relativa & se invicem excludant. Paternitas ergò & filiatio non sunt quid idem inter se, licet identificentur essentiæ divinæ; cum sint personalitates, seu relativæ subsistentiæ, & se invicem excludant. Pater enim nec esse, nec concipi potest Filius.

2. Responderi potest: Quæ sunt eadem uni tertio adæquatè sumpto, esse quoque eadem inter se; secùs, si sint tantum eadem uni tertio inadæquatè sumpto. Porro attributa relativa sunt solùm quid idem cum essentiâ divina inadæquatè spectatâ: non autem adæquatè; hoc est non sunt quid idem cum essentiâ divinâ pro omnibus suis significatis acceptâ v. c. Paternitas divinâ non est quid idem cum essentiâ, pro Filio vel Spiritu Sancto sumptâ. Quod & illustratur exemplo Petri, qui non est quid idem cum homine pro omnibus humanæ naturæ individuis accepto. Addi potest adhuc cum præstantissimis Theologis, præfatum axioma habere duntaxat locum in rebus creatis, non in Deo: in quo propter infinitatem, potest eadem numero natura in tribus personis realiter distinctis subsistere.

INST. 3. Quæcumque sunt æqualia uni tertio, sunt etiam æqualia inter se. Ergò similiter quæ sunt eadem uni tertio quomodòcumque, sunt quoque eadem inter se.

R. Non esse eandem rationem axiomatis utriusque Philosophici: quia constat apud omnes æqualitatem consistere in indivisibili: quocircà necesse est ea quæ sunt æqualia uni tertio, esse necessariò æqualia inter se; licet non oporteat inferre, illa quæ sunt eadem uni tertio, esse semper eadem inter se.

OPP. 2. Non sufficit distinctio virtualis ut possit essentia videri sine attributis intuitivè: igitur nec ut possit communicari non communicatâ Paternitate; quia istud est intrinsecum, aliud autem extrinsecum.

R. Non posse videri unum attributum sine alio, quia de ratione visionis est intuitivæ, ut adæquata sit, & perfectissima: alioquin videretur, & non videretur Deus intuitivè: de ratione verò personæ est, ut non possit communicari, quia relativè opponatur. Imò quæ relativè opponuntur, non possunt videri sine se invicem.

INST. Oppositio omnium summa debet constituere maximam distinctionem; posse communicari & non communicari, omnium oppo-

sitionum summa est, contradictoria scilicet : Ergò debet constituere maximam distinctionem, & proindè realem inter Paternitatem & essentiam divinam.

R. Licet ea oppositio sit omnium maxima, quia est inter ens & non ens, non proinde constituere realem distinctionem.

Q. Num essentia & existentia in Deo distinguantur vel ratione.

R. Non distingui, adæquatè saltem; quia essentia Dei non potest concipi indifferens ad existere & non existere; nam, ut probatum fuit 1. Quæstione, nemo concipit quid Deus sit, quin statim existere Deum apprehendat. Aliquatenùs tamen distinguuntur inadæquatè : alius est enim conceptus essentiæ quatenùs est essentia, seu prima radix operationum & proprietatum : alius est existentiæ conceptus, quo aliqua res extra causas intelligitur; eâ ratione fit ut habitualem essentiam secernat animus ab actuali essentiâ: non verò essentiam actualem ab existentiâ actuali, qualis est divina.

ARTICULUS QUARTUS.

Quid in Deo sit quod videatur primum habere locum differentiæ.

HIC non quærunt Theologi, quænam reverâ sit perfectio, quæ Dei essentiam referat, cum profiteantur ignotam sibi eam esse; sed in hoc insistunt disputando, ut, quid ad Dei essentiam nobis proponendam videatur magis conferre, doceant. alii autem stant pro actuali divinâ intellectione, alii pro aliis perfectionibus divinis. Nos verò pro Dei independentia.

CONCLUSIO Summum esse, seu esse à se & necessariò, aut omnimoda independentia locum differentiæ in Deo obtinere videtur.

1. Illa perfectio pro gradu essentiæ divinæ specificativo, ut loquuntur, est habenda, si quæ sit definienda, quam tradere videntur Scripturæ, & Sancti Patres Scripturarum Interpretes: nam ex S. Hil. lib. 5. de Trinit. *Nobis loquendum non aliter de Deo, quam ut ipse ad intelligentiam nostram de se locutus est.* Ita autem de se ipso Deus Exod 3. ℣. 14. interrogatus à Mose, quis esset? respondit : *Ego sum qui sum*, & ipse Moses ad Israëlitas : *Qui est, misit me* : Eadem vox repetitur, quæ existentiam significat, per modum videlicet prædicati, ut demonstretur in Dei substantiâ idem subjectum esse cum attributo, ita ut Deus existat per existentiam, quæ eadem sit cum ejus essentiâ. Verba ergò hæc : *qui est*, idem sunt ac qui est existens, seu necessariò existens, à se subsistens, & cujus beneficio cætera existunt; sic verè solus propriè existit. Ita S. Hier. in 3. c. Ep. ad Ephes. *In Exodo*, inquit Dominus, *Ego sum qui sum : Et hæc dices filiis Israël, qui est misit me ad vos : numquid solus Deus erat, & cætera non erant? utique Angeli, cœlum, terra, & maria, & ipsi*

Moses cui Dominus loquebatur, & Israël, & Ægyptii ad quos, & contra quos Princeps & adversarius mittebatur, erant; & quomodo nomen commune substantiæ sibi proprium vindicat Deus? illâ, ut diximus, causâ, quia cætera, ut sint, Dei sumpsere beneficio: Deus verò qui semper est, nec habet aliundè principium, & ipse sui origo est, suæque causa substantiæ: nec potest intelligi aliundè habere, quòd subsistit.

Sic anteà S. Clem. Alex. 1. Pedag. c. 8. docuerat nomen illud ὁ ὢν Deo maximè esse proprium. *Quoniam illud exprimit qui reverà solus est, qui erat, & est, & erit; quibus significandis temporibus unum nomen impositum est, qui est.*

2. Illud esse à se est quid primum in Deo, & radix omnium Dei perfectionum, ut immutabilitatis, & ipsius intellectionis actualis. Immutabilitatis quidem ex S. Aug. lib. de fide c. 4. *Quod enim verè est, incommutabiliter manet: quoniam quod mutatur, fuit aliquid quod jam non est: & erit quod nondùm est,* Et Tract. in Psal. 121. in hæc verba: *Cujus participatio ejus in idipsum. Quid est quod est? quod æternum est. Nam quod semper aliter atque aliter est, non est: quia non manet: non omninò non est, sed non summè est.* Est etiam radix ipsius actualis intellectionis, seu sapientiæ divinæ, & infinitatis & reliquarum perfectionum: Quod autem in Deo primum occurrit animo, undè cætera manant, debet à nobis concipi ut Essentia Dei. Intellectio verò actualis, & infinitas, menti nostræ non se se offerunt, ut quod est primum in Deo, sed ut quod emanat ex alio. S. Chrysost. Orat 1. de incomprehens. Dei naturâ, *non à Sapientiâ substantia est, sed ex substantiâ sapientia est.* Et S. Dionys. lib. de divinis nominibus c. 5. *Ante alias omnes ipsius partipationes ipsum esse producitur, estque ipsum per se esse antiquius, quàm ipsissimam esse, & ipsissimam esse vitam similitudinem divinam, ac cætera, quæ sic entia participant, ut ante omnia ista ipsum esse participent; imò verò illa per se omnia, quæ entia participant, ipsum per se esse participant: neque ullum est ens, cujus non sit essentia & duratio, ipsum esse: quamobrem jure principalius omnibus aliis, tanquam ens Deus ex dono cæteris omnibus suis donis antiquiore prædicatur. Hoc enim ipso quod est ante omnia & supra omnia, est omnibus antecellens atque ipse superans, totum ipsum per se esse priùs, & ipsemet esse id omne, quod quoquomodo est produxit. Itaque principia rerum omnia esse participantia & sunt & primum sunt, deinde principia sunt.* Et reverâ intellectio actualis, & infinitas nostro concipiendi modo supponunt aliud, ex quo dimanant: priùs enim à nobis intelligitur esse quàm operari; priùs ergo Deus apprehenditur ut existens, quàm actu intelligens, aut infinitis ornatus perfectionibus.

Tandem Essentiæ divinæ rationem non habet intellectio actualis. Nam 1. non distinguere videtur Deum à creatis rebus, cum actualem intellectionem communicari creaturis non implicet. 2. Nec est potior ratio, cur intellectio actualis dicatur Essentia Dei quàm volitio? tam enim convenit Deo actu velle, quàm actu intelligere. 3. Intellectio actualis

non est radix omnium Dei attributorum; quis enim dixerit Deum v. c. esse immensum, quia actu intelligit?

Opp. 1. Istud non potest differentiæ rationem in Deo obtinere, quod non exprimit naturam Dei: nec quid dicit positivum, sed negationem & modum duntaxat quo Deus non est, seu amovet tantùm imperfectionem à Deo, nempè quòd Deus à nullo sit factus: Esse à-se, seu esse ingenitum tale est, ex SS. Basil. Greg. Naz. & Greg. Nyss. contra Eunomium.

R. Patres illos meritò probare vocem, ingenitum, totam Dei naturam non exhibere: quod Eunomius existimabat. 2. Esse à se & non ab alio duo designare: nempè exclusionem principii à quo Deus sit: & perfectionem existentiæ, quæ ita Deo conveniat, ut alteri competere non possit. 3. Attributa negativa, non esse meras negationes, sed affirmationes, quæ Dei perfectiones per excessum quemdam significant.

Inst. Illud attributum independentiæ, seu esse à se, non distinguit Dei essentiam à cæteris attributis, & includitur in conceptu formali cæterorum attributorum; nam v. c. misericordia divina in conceptu suo formali est independens, seu non est ab alio: & sic non habet locum differentiæ.

R. Misericordiam divinam esse independentem, seu non esse ab alio tanquam à principio & à causâ; sed concipi esse ab alio tanquam à fundamento; nam supponere videtur bonitatem summam, & bonitas summa supponit esse ens à se: non autem esse à se præsupponit principium, nec causam, nec fundamentum.

Opp. 2. Illa perfectio est differentia Dei, quæ est omnium summa: talis est intellectio actualis; utpotè entis actualis summa & prima perfectio.

R. Eam non esse omnium divinarum primam perfectionem; cùm non sit aliarum perfectionum principium: imò ens perfectissimum tanquam fundamentum supponat. Intelligit ergò Deus ratione perfectissimâ, utpotè perfectissimum ens.

Inst. Pro viventis perfectissimi differentiâ haberi debet vitæ ratio absolutissima: vivere autem in Deo, est intelligere perfectissimè; è contra verò independentia nihil vitale, seu quod ad vitam pertineat menti subjicit.

R. Intelligere actu esse quidem gradum perfectissimum: sed non primum, nec esse cæterorum radicem; independentiam, seu summum esse, existendi rationem præstantissimam significare, & proindè vitalem intellectu suo comprehendere. Addimus ex S. Hilar lib. 1. de Trin. in hæc verba, Ego sum qui sum: *Admiratus sum tam absolutam significationem quâ natura divinæ incomprehensibilem cognitionem, aptissimo ad intelligentiam humanam sermone loqueretur. Non enim aliquid magis proprium Deo, quàm, esse, intelligitur: quia idipsum quod est, neque desinentis est aliquandò, neque cœpti.*

Moses cui Dominus loquebatur, & Israël, & Ægyptii ad quos, & contra quos Princeps & adversarius mittebatur, erant; & quomodo nomen commune substantiæ sibi proprium vindicat Deus? illâ, ut diximus, causâ, quia cætera, ut sint, Dei sumpsere beneficio: Deus verò qui semper est, nec habet aliundè principium, & ipse sui origo est, sueque causa substantiæ: nec potest intelligi aliundè habere, quòd subsistit.

Sic anteà S. Clem. Alex. 1. Pedag. c. 8. docuerat nomen illud ὁ ὢν Deo maximè esse proprium. *Quoniam illud exprimit qui reverà solus est, qui erat, & est, & erit, quibus significandis temporibus unum nomen impositum est, qui est.*

2. Illud esse à se est quid primum in Deo, & radix omnium Dei perfectionum, ut immutabilitatis, & ipsius intellectionis actualis. Immutabilitatis quidem ex S. Aug. lib. de fide c. 4. *Quod enim verè est, incommutabiliter manet: quoniam quod mutatur, fuit aliquid quod jam non est: & erit quod nondùm est,* Et Tract. in Psal. 121. in hæc verba: *Cujus participatio ejus in idipsum. Quid est quod est? quod æternum est. Nam quod semper aliter atque aliter est, non est: quia non manet: non omninò non est, sed non summè est.* Est etiam radix ipsius actualis intellectionis, seu sapientiæ divinæ, & infinitatis & reliquarum perfectionum: Quod autem in Deo primum occurrit animo, undè cætera manant, debet à nobis concipi ut Essentia Dei. Intellectio verò actualis, & infinitas, menti nostræ non se se offerunt, ut quod est primum in Deo, sed ut quod emanat ex alio. S. Chrysost. Orat 1. de incomprehens. Dei naturâ, *non à Sapientiâ substantia est, sed ex substantiâ sapientia est.* Et S. Dionys. lib. de divinis nominibus c. 5. *Ante alias omnes ipsius partipationes ipsum esse producitur, estque ipsum per se esse antiquius, quàm ipsissimam esse, & ipsissimam esse vitam similitudinem divinam, ac cætera, quæ sic entia participant, ut ante omnia ista ipsum esse participent; imò verò illa per se omnia, quæ entia participant, ipsum per se esse participant: neque ullum est ens, cujus non sit essentia & duratio, ipsum esse: quamobrem jure principalius omnibus aliis, tanquam ens Deus ex dono cæteris omnibus suis donis antiquiore prædicatur. Hoc enim ipso quod est ante omnia & supra omnia, est omnibus antecellens atque ipse superans, totum ipsum per se esse priùs, & ipsemet esse id omne, quod quoquomodo est produxit. Itaque principia rerum omnia esse participantia & sunt & primum sunt, deinde principia sunt.* Et reverâ intellectio actualis, & infinitas nostro concipiendi modo supponunt aliud, ex quo dimanant: priùs enim à nobis intelligitur esse quàm operari; priùs ergo Deus apprehenditur ut existens, quàm actu intelligens, aut infinitis ornatus perfectionibus.

Tandem Essentiæ divinæ rationêm non habet intellectio actualis. Nam 1. non distinguere videtur Deum à creatis rebus, cum actualem intellectionem communicari creaturis non implicet. 2. Nec est potior ratio, cur intellectio actualis dicatur Essentia Dei quàm volitio? tam enim convenit Deo actu velle, quàm actu intelligere. 3. Intellectio actualis

non est radix omnium Dei attributorum ; quis enim dixerit Deum v. c. esse immensum, quia actu intelligit?

Opp. I. Istud non potest differentiæ rationem in Deo obtinere, quod non exprimit naturam Dei : nec quid dicit positivum, sed negationem & modum duntaxat quo Deus non est, seu amovet tantùm imperfectionem à Deo, nempè quòd Deus à nullo sit factus : Esse à se, seu esse ingenitum tale est, ex SS. Basil. Greg. Naz. & Greg. Nyss. contra Eunomium.

R. Patres illos meritò probare vocem, ingenitum, totam Dei naturam non exhibere : quod Eunomius existimabat. 2. Esse à se & non ab alio duo designare : nempè exclusionem principii à quo Deus sit : & perfectionem existentiæ, quæ ita Deo conveniat, ut alteri competere non possit. 3. Attributa negativa, non esse meras negationes, sed affirmationes, quæ Dei perfectiones per excessum quemdam significant.

Inst. Illud attributum independentiæ, seu esse à se, non distinguit Dei essentiam à cæteris attributis, & includitur in conceptu formali cæterorum attributorum ; nam v. c. misericordia divina in conceptu suo formali est independens, seu non est ab alio : & sic non habet locum differentiæ.

R. Misericordiam divinam esse independentem, seu non esse ab alio tanquam à principio & à causâ ; sed concipi esse ab alio tanquam à fundamento ; nam supponere videtur bonitatem summam, & bonitas summa supponit esse ens à se : non autem esse à se præsupponit principium, nec causam, nec fundamentum.

Opp. 2. Illa perfectio est differentia Dei, quæ est omnium summa : talis est intellectio actualis ; utpotè entis actualis summa & prima perfectio.

R. Eam non esse omnium divinarum primam perfectionem ; cùm non sit aliarum perfectionum principium : imò ens perfectissimum tanquam fundamentum supponat. Intelligit ergò Deus ratione perfectissimâ, utpotè perfectissimum ens.

Inst. Pro viventis perfectissimi differentiâ haberi debet vitæ ratio absolutissima : vivere autem in Deo, est intelligere perfectissimè ; è contra verò independentia nihil vitale, seu quod ad vitam pertineat menti subjicit.

R. Intelligere actu esse quidem gradum perfectissimum : sed non primum, nec esse cæterorum radicem ; independentiam, seu summum esse, existendi rationem præstantissimam significare, & proindè vitalem intellectu suo comprehendere. Addimus ex S. Hilar lib. 1. de Trin. in hæc verba, Ego sum qui sum : *Admiratus sum tam absolutam significationem quâ natura divinæ incomprehensibilem cognitionem, aptissimo ad intelligentiam humanam sermone loqueretur. Non enim aliquid magis proprium Deo, quàm, esse, intelligitur : quia idipsum quod est, neque desinentis est aliquando, neque cœpti.*

QUÆSTIO QUARTA.

De simplicitate Dei.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Deus sit corporeus.

ERRORES.

IDOLOLATRÆ omnium primi sibi Deum corporeum finxere, & ut observatum à nobis fuit cum de Idololatriâ agebamus, ita addicti sunt homines sensibus, ut vix ab iis divelli possint: Hinc corpus Deo affingere pronum est: quod ita explicat S. Aug. lib. 1. de utilitate credendi c. 1. *Nimis in hæc corporalia progressi atque lapsi nihil aliud putant, quàm quod istis quinque notissimis nuntiis corporis sentiunt: & quas ab iis plagas atque imagines acceperunt, eas secum volvunt, etiam cum conantur recedere à sensibus; & ex eorum mortiferâ & fallacissimâ regulâ, ineffabilia penetralia veritatis rectissimè se metiri putant.*

2. Ex Philosophis quidem Epicurei ex S. Greg. Naz. & Stoici Deum corporeum esse existimaverunt, ut habet Plutarch. de placitis Philosophorum c. 7. & Cic. lib. 1. de nat. Deor. Stoicos qui Deum ignem esse statuebant, refellit.

3. Ex Judæis Saducæi Deum esse corporeum credidere: Nam ex Actis c. 23. ℣. 8. Omnem eos spiritum negasse manifestum est. Arnob. lib. 3. objectionem solvit Ethnicorum petitam ex hac Judæorum sententiâ.

4. Inter Christianos non defuere qui sunt in eumdem errorem lapsi, ut Melito Sardens. Episc. ann. 155. Ab Origene damnatur hic error Hom. 1. & 3. in Genes. Et ut refert Q. 20. in Exod. Theodoretus. Cæterùm Melito Sardensis nec ab Euseb. lib, 4. Hist. cap. 26. nec à S. Hier. lib. de Scriptor. Eccles. nec ab aliis veteribus hujus accusatur erroris: quin imò & ab Euseb. & à S. Hieron. mirificè commendatur.

5. Manichæi in eâdem fuere sententiâ, ex S. Aug. l. contra ep. Fundamenti c. 23. scilicet Deum esse corpus infinitum, & quadrum, superiori parte apertum, & hians inferiori, &c.

6. Ex Theodoreto lib. 4. Hæretic. fabul. & lib. 4. Histor. c. 10. Audæus Syrus Deum esse corporeum docuit, his inductus verbis Gen. 1. ℣. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, &c.* Ita quoque S. Aug. lib. de Hæres. c. 50. Audæi discipulos vocat Vadianos, Latinâ forsan S. Epiphanii versione deceptus: observatque S. Epiphanium ab hæresi vindicasse Audianos, quòd eorum ignorantiæ parceret. Sed reverâ S. Epiph.

Hæreſ. 70. de Audæo & ejus diſcipulis differens, nullâ in re eos à Catholicâ Fide docet diſſenſiſſe; duriùs quidem hæc verba, *Faciamus hominem ad imaginem, &c.* eſſe interpretatos, utpotè qui imaginem Dei in corpore poſitam eſſe contenderent. Ibidem adhuc docet Audæum, & ejus diſcipulos de Trinitate præclarè ſentire: quod procul dubio non ſcriberet, ſi Deum eſſe corporeum Audiani aſſeruiſſent: Trinitatis enim myſterium ſtare non poſſet cum opinione quæ Deo corpus affingeret; coævus autem S. Epiphanio erat Audæus: undè ejus ſententiam optimè noverat.

7. Antropomorphitas, ſeu qui Deum reverâ corporeum extitiſſe crederent, in Ægypto tempore Arcadii & Honorii, ſeu circa finem quarti ſæculi fuiſſe refert Socr. lib. 6. c. 7. hancque ſententiam varios in Ægypto motus Epiſcopos inter & Monachos ejus opinionis fautores excitaſſe, Theophilumque Alex. à Monachis coactum fuiſſe eundem errorem, quem damnaverat, profiteri. Idem habet Sozom. l. 8. c. 11.

Priuſquam definiamus quid ſit ſentiendum, operæ pretium eſt ſupponere illud ſimplex dici quod omni compoſitione caret, ſeu partibus inter ſe nexis: ſeu quod non habet diverſas entitates, ut loquitur Novat. lib. de Trin. c. 6. Corpus verò ſumi 1. pro quantitate, ſeu pro tribus dimenſionibus, aut alterutrâ. 2. pro materiâ ad formam diſpoſitâ. 3. pro toto aliquo quod ex partibus homogeneis, aut heterogeneis conſtat.

Compoſitio autem multiplex eſt. 1. Phyſica, conſtans materiâ & formâ; Logica, ex genere & differentiâ; Metaphyſica, ex eſſentiâ & exiſtentiâ, potentiâ & actu. Alia compoſitionis ſpecies eſt ex ſubjecto & accidente, vel ex multis accidentibus inter ſe diſtinctis, & eidem ſubjecto inhærentibus.

CONCLUSIO. I. Deus corporeus non eſt, quocumque ſenſu ſumatur corpus.

1. Quia verè ſpiritus eſt, & ubique terrarum, immortalis, & inviſibilis, infinitus, & re nullâ indiget; hac priori ratione utitur Chriſtus, Joan. 4. ℣. 24. ut à cultu divino, qui certo loco addictus eſſet, Samaritanos avocaret. 2. Quod corporeum eſt, finitum & indigens eſt; conſtat enim ex partibus: Pars partem finit, & apparatu partium totum indiget, & partes ipſo toto: poſſuntque diſſolvi, cum actu diſtinguantur. Quod etiam hujuſmodi eſt, non omnium primum eſt; pars enim omnis naturâ ſaltem prior eſt toto: admittendum eſſet etiam quoddam ens prius, quod illas partes adunaret; & proindè Deus haberet cauſam ſui priorem, &c. Hæc eſt ferè ratio, quam S. Greg, Naz. Orat. 34. & S. Ambr. Tract. in Symbolum c. 1. fusè proſequuntur.

3. Si compoſitus eſſet Deus conſtaret ex duobus, quorum unum non eſſet aliud, & quorum unum ſe haberet per modum potentiæ, alterum per modum actûs: at nihil eſt hujuſmodi in Deo; nihil eſt enim in Deo, quod non ſit Deus; & ſi quid in Deo eſſet, quod haberet rationem potentiæ, Deus non eſſet perfectiſſimus, nec actu immutabilis, nam actu poſſet aliam perfectionem accipere.

Eadem veritas consensu celeberrimorum Philosophorum, ut Platonicorum, nititur ex S. Aug. lib. 8 de Civit. c. 6. qui & L. de moribus Eccles. Catholic. hunc errorem, ut omnium crassissimum, confutat; Origen. lib. 7. cont. Cels. se nolle immorari profitetur in refellendâ objectione, quam de corporeitate Dei Celsus ex quorumdam Christianorum simplicitate hauserat, cum Scriptura sacra tam apertè Dei simplicitatem adstrueret. Hom. 1. in Genes. ut impiissimam damnat hanc sententiam. Addi possent, quæ contra Gentes urgebant Apologistæ Christiani, ut Arnob. lib. 3. & 4. Deos nempè qui colerentur non esse Deos: cum varii essent sexûs, & proindè corporei.

Opp. 1. In Scripturis dicitur Deus ex partibus constare, nempè oculis, Exod. 33. ℣. 13. Psal. 16. ℣. 2 manu, Psal. 8. ℣. 7. Psal. 10. juxta Hebr. Text. ℣. 12. pedibus, cum ambulare dicitur Genes. 3. ℣. 8. &c. Quæ singula solis rebus corporeis competunt.

R. Novatian. lib. de Trin. c. 5. cum corporis partes Deo tribuuntur, non exhiberi Deum sicuti est: sed plebis intelligentiæ modum loquendi attemperari. *Ut igitur hæc sic de Deo dicantur: non Deo, sed populo potiùs imputetur. Sic etiam cum tabernaculum construi, aut templum ædificari imperat Deus, in alterutro Deus includi non est censendus; non igitur mediocris est Deus, sed populi mediocris est sensus:* Et infra; *Efficacia divinæ per membra monstrantur, non habitus Dei, nec corporalia lineamenta ponuntur: nam & cum oculi describuntur, quòd omnia videat, exprimitur; & quando auris, quòd omnia audiat, proponitur; & cum digitus, significantia quædam voluntatis aperitur: ut cum nares, precum quasi odorum perceptio ostenditur: & cum manus, quod creatura omnis sit author probatur: & quando brachium, quod nulla natura contra robur ipsius repugnare possit edicitur: & quandò pedes, quod impleat omnia, nec sit quidquam, ubi non sit Deus, explicatur. Neque enim sunt ei aut membra, aut membrorum officia necessaria, ad cujus solum, etiam tacitum arbitrium, & adsunt, & serviunt omnia.* Ergò Deus eâ ratione repræsentatur, ut hominum imbecillitati consulatur: Quod etiam suprà, & præsertim ex S. Greg. Nyss. fuit observatum; ne autem in errorem inducamur, quæ ad corpus pertinent, à Deo removere solent Scripturæ. Undè cum Deus sumptis variis rerum formis apparuisse dicitur, hanc speciem, non esse Dei naturam admonent, ut nubem, ignem, &c. Sic lib. 3. Reg. c. 19. ℣. 11. dicitur; *non in spiritu, non in commotione Dominus.* & Job c. 10. ℣. 4. *Numquid oculi carnei tibi sunt? &c.* Sic monent David Psal. 49. & 88. Salomon lib. 3. Reg. c. 8. ℣, 27. Isai c. 66. ℣. 1. Deum nec templo, nec terrâ, nec cœlis contineri. Samuel, Sacrificio sui destituta sacrificia quælibet Deo non esse grata lib. 1. Reg. c. 15. ℣. 29. Apost. Rom. 11. ℣. 29. Pœnitentiam non decere Deum, *Neque enim homo est, ut agat Pœnitentiam.* Et alibi immutabilem esse Deum, nec nomen proprium habere, ut Prov. 3.

Opp. 2. Genes. 1. Ad similitudinem Dei factus est homo: Ergò cùm homo sit corporeus, consequens est Deum esse quoque corporeum.

Resp.

Resp. S. Aug. lib. 1. de Doctr. Christ. & in Psal. 48. imaginem Dei non esse in homine, secundùm corpus, sed secundùm intellectum & rationem: vel, ut habet S. Chrys. Hom. 8. in Genes. imago Dei in homine, est ratione dominii, & principatûs quem habet in cæteras creaturas; quamobrem ubi Deus dixit Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, statim addidit, *ut præsit piscibus maris, & volatilibus cæli.*

Dicunt quidam non ideò corporis ideam à Deo esse amovendam, quod sit sine partibus; quia pariter materia prima non esset corporea, ut quæ non habeat partes: non attendunt autem, & materiam primam habere partes entitativas, & fieri partem componentem: proindéque in potentiâ esse, ut compositionem ingrediatur.

CONCLUSIO II. Non datur in Deo compositio ex genere & differentiâ.

Probatur 1. Quæ compositio ex genere & differentiâ fit, necessariò infert potentiam & actum, speciei vel individui rationem & ideam: at hæc procul à Deo sunt removenda. Sic S. Cyrill. Alex. Dial. 2. de Trin. *Quandoquidem nulla res omninò cum ipso est, aut ante ipsum, sed neque differentia inesse potest aliqua Deo:* In 31. Thesauri apud Euth. tit. 3. *Videmus*, ait, *id omne, quod differentiam recipit, esse compositum, non simplex: Quare cum simplex, minimèque compositus Deus omnium confessione sit, non potest in Deo vera occurrere differentia.*

2. Ubi est compositio ex genere & differentiâ, ibi est aliquid quod se habet per modum potentiæ, nempè genus; & aliud per modum actûs, nempè differentia: atqui hæc in Dei notione locum non possunt habere. Ita apud Socr. Evagrius Monach. lib. 3. c. 7. *Omnis propositio, aut genus habet quod prædicetur, aut speciem, aut differentiam, aut proprium, aut contingens, aut ex istis compositum; nihil autem jam dictorum de Sanctâ Triade accipiendum est, sed silentio arcanum illius adorandum.*

3. Si Deus constaret ex genere & differentiâ: vel esset species; vel individuum: non potest esse species; possent enim esse plures Dii, velut esse possunt plura speciei individua: Nec individuum esse potest; individuum enim cum aliis ejusdem speciei individuis convenit; quod nequit dici de Deo.

4. Genus aliorum generum, aut differentiarum perfectiones non continet: & differentiæ certis limitibus rem, quam afficiunt, coërcent. Quæ omnia longè amandanda sunt à Deo; cùm Deus omnes omninò perfectiones contineat, & sit infinitus.

OPP. 1. Ex genere & differentiâ compositio simplicitati Dei non officit: ut enim se habet distinctio rationis inter attributa & essentiam respectu simplicitatis divinæ; ita se habet compositio ex genere & differentiâ; hæc enim compositio tantùm rationis est.

R. Ex distinctione rationis, quam in Deo concipimus, nostram imbecillitatem argui, simul & divinam eminentiam illustrari: è contra verò

illâ ex genere & differentiâ compositione, aliquam in Deo imperfectionem induci, ut mox fuit probatum.

INST. 1. Ubicumque est rationis distinctio, ibi quoque reperitur rationis compositio: quandoquidem compositio hæc ex eâ distinctione necessariò sequitur, non secus ac compositio realis ex distinctione reali sequitur.

R. Ad quamlibet compositionem, sive realem, sive virtualem, necessariò quidem exigi distinctionem: quoniam omnis compositio est plurium distinctorum unio: sed aliquid insuper requiritur ad compositionem, quod rationem habeat potentiæ. Porrò nihil est in Deo tale: cum ipse Deus sit actus purissimus, atque simplicissimus: *Simplex esse*, inquit Boëtius in prosa de Trinitate, *simplex posse, simplex velle, simplex nosse, cuncta sunt simplicia.*

INST. 2. Ratio prioris & posterioris non officit Dei æternitati: ergo nec compositio rationis officere potest ipsius simplicitati.

R. Non reperiri in Deo rationem prioris & posterioris secundùm naturam, & durationem; benè verò secundùm originem. Hæc autem prioritas, quæ divinas inter Personas intercedit, omnium judicio æternitati Dei non officit: sed est alia ratio de compositione rationis respectu simplicitatis; quia cum supponeret potentiam ex parte Dei, tolleret in eo rationem actûs purissimi ac simplicissimi.

INST. 3. Non est potior ratio, cur genus & differentia quamdam in Deo inducant imperfectionem, quàm ex categoriis tres, nempè substantia categorica, actio, & relatio. At hæ conveniunt Deo, ex S. August. qui Serm. 38. de Temp. categoriis distinctis decem, addit tres ex illis, nempè substantiam, actionem, & relationem propriè convenire Deo. Nec ità detorqueri possunt ea verba, ut nihil aliud intendisse dicatur, quàm nomen substantiæ Deo propriè adaptari: nec enim asseruisset categorias tres Deo propriè convenire, si de nomine, non de re ipsâ per nomen significatâ agere voluisset; nomen enim qualitatis v. c. tàm propriè Deo convenit, quàm nomen substantiæ; tàm propriè Deus dicitur bonus, quàm dicitur substantia. Et idem S. Aug. lib. 5. de Trin. c. 10. ait, Deum esse bonum sine qualitate: non verò asserit eum esse substantiam sine substantiâ. In eâdem verò sententiâ est S. Joan. Damasc. in c. 7. lib. Institutionis Dialecticæ, ubi substantiæ genere Deum contineri docet, & divinam naturam esse speciem, quæ divinas personas velut individua complectatur.

R. S. Aug. lib. 5. de Trin. c. 10. asserere hæc nomina Deo competere analogicè solùm; *Non translatè*, inquit, *ac per similitudinem: sed propriè, si tamen de illo propriè aliquid dici ore hominis potest.* Et lib. 7. de Trin. c. 5. concludit *Manifestum esse Deum abusivè substantiam vocari.* Sic etiam S. Joan. Damasc. eodem modo est exponendus, ita ut ea nomina generis & speciei metaphoricè & abusivè tantùm sumat, nec possit dici Deus contineri sub ente categorico: cum entia illa, seu prædicamenta ad certas perfectiones per differentias suas contrahantur. Adde Deum non posse esse speciem respectu trium per-

ſonarum, quia ſpecies non eſt aliquid unum numero pluribus commune; ſubſtantia verò divina una numero eſt communis tribus perſonis.

Conclusio III. Non datur in Deo compoſitio realis ex eſſentiâ, & exiſtentiâ: aut ex eſſentiâ, & perſonalitatibus divinis.

Cum eſſentiam & exiſtentiam, vel ipsâ ratione indiſtinctas eſſe probaverimus; ſequitur nullam fieri compoſitionem; cùm compoſitio ſit multorum, aut ſaltem duorum diſtinctorum conjunctio.

Nullam ex eſſentiâ & perſonalitatibus divinis compoſitionem exurgere probant, 1. S. Baſil. Epiſt. 14. ad Cæſareenſes: ſcribit enim Deum unum eſſe naturâ & numero, & in eo eſſentiam & perſonalitates non eſſe realiter diſtinctas, ideóque compoſitionem non conſtituere. Ita etiam Gregorius Nazianz. Orat. 15.

2. Compoſitionem non faciunt quæ ſunt una & eadem res. At ejuſmodi ſunt Eſſentia divina & perſonalitates, quæ tantùm ratione differunt. S. Bern. lib. 5. de conſid. ad Eugen. c. 8. ſic habet, *Perſonarum proprietates non aliud quàm perſonas: ipſaſque non aliud quàm unum Deum, unam divinam ſubſtantiam, unam divinam naturam, unam divinam & ſummam majeſtatem, fides Catholica confitetur. Numera ergo, ſi potes, aut ſine ſubſtantiâ perſonas, quæ ipſa ſunt: aut ſine perſonis proprietates, quæ ipſæ ſunt: aut ſi dividere quis conetur vel perſonas à ſubſtantiâ, vel proprietates à perſonis, neſcio quomodo Trinitatis ſe profiteri cultorem poſſit, qui in tantam rerum numeroſitatem exceſſerit.*

Naturam divinam nihil differre à tribus perſonis probavimus, & iterùm probamus ex S. Athan. lib. de Syn. & de Decr. Nicænæ Synod. *Etenim ſiquidem Deum aliquis putat eſſe compoſitum, ut in ſubſtantiâ accidens aliquod, aut extrinſecùs circumfuſum velut amictum habere, quo tegitur; vel eſſe quædam circa ipſum ejus complementa ſubſtantiæ: adeò ut cum nos Deum dicimus, aut nominamus Patrem, non ipſam ſignificemus inviſibilem & incomprehenſam illius ſubſtantiam; ſed quippiam eorum, quæ circum ipſam ſint: reprehendant Synodum, quæ ex Dei ſubſtantiâ eſſe Filium ſcripſit, &c. ſed ſi Deus aliquid eſt ſimplex, ut eſt reverâ: manifeſtum eſt, cum dicimus Deum, & nominamus Patrem, non aliquid appellare, quod circa ipſum ſit; ſed ipſam ejus deſignare ſubſtantiam.* Nullum igitur reale diſcrimen intercedit, naturam divinam inter, & proprietates perſonales.

3. Perſonalitates divinæ, ut inter ſe conveniunt, in unius compoſitionem venire non poſſunt; cum ſint una res, nempè unus Deus: Prout verò à ſe invicem differunt, non poſſunt etiam in unum coaleſcere; ſunt enim relativa oppoſita.

Opp. Ex S. Baſil. lib. 2. contra Eunom. complexionem eſſe in divinitate ex ſubſtantiâ & proprietatibus; *Proprietates, ſeu notæ quædam & formæ in ſubſtantiâ conſideratæ dividunt quidem id, quod commune eſt propriis characteribus: eandem tamen ſubſtantiam non dividunt: exempli causâ, communis eſt quidem divinitas, proprietates verò quædam ſunt, Paternitas & Filietas: ex utriuſque porrò complexione, videlicet commu-*

nis & proprii, veritatis in nobis comprehensio nascitur. Eadem habet S. Cyrill. Dial. 2. de Trin. nempè Patris naturam simplicem geminatam esse, utpotè compositam ex Patre & ingenito.

R. S Basil. non admittere complexionem, quæ ex duobus realiter distinctis, communi scilicet & proprio exurgat: sed eum distinctionem rationis, quæ inter divinitatem & proprietates personales intercedat, adversus Eunom. exponere. Ingeniti namque proprietatem & substantiam in unum confundebat Eunomius; & geniti ingenitique discrimen in rationem substantiæ transferre studebat: ut non solùm diversas, sed etiam contrarias substantias in Patre & Filio induceret. Porrò complexionis vocabulum non adhibuit S. Basil., ut compositionem quamdam innueret, quæ potentiam & actum comites haberet; sed explicuit: unum scilicet in Deo occurrere, quod esset proprium personis, & quod eis esset commune: quòd enim neget in Deo esse admittendam compositionem, licèt occurrant in eo personæ tres, quia una est in tribus essentia, patet ex his verbis lib 2. contra Eunom. *Quod si tanquam substantiæ partem, ingenitum caperemus; haberet locum ea ratio, quâ dicitur compositum esse, quod ex diversis constat.* Et postea *Habet autem vita consequens, & annexum ingenitum nomen. Compositionis expers is est, qui simplex substantia: non enim proprietatis ipsius indices modi, simplicitatis rationem impedient.*

INST. Quod ex communi constat & ex proprio, compositum est; in Deo aliquid commune est, scilicet essentia, & aliquid proprium, nempè personalitas. Imò est potentia, & actus; seu quod perficitur, nempè essentia; & quod perficit, scilicet proprietates personales; quia de ratione personalitatis est complere, & ipsæ personalitates divinæ essentiam divinam complent: sic essentiam Dei v. c. determinat Filiatio ad esse Filii.

R. Id verum esse, cum illud commune & illud proprium non sunt quid idem realiter; at in Deo relationes & essentia divina sunt quid unum realiter. Essentia divina utpotè simplicissimus actus, potentiæ instar spectari non potest, cum & perfectionem quamlibet etiam relativam eminenter contineat. Unde nova illi per personalitates divinas perfectio non advenit: Et idcircò nullâ ex parte cum essentiâ compositionem constituunt divinæ personæ; non ex parte essentiæ, cum non sit distinctio realis; nec ex parte correlativorum, cum simul nequeant conjungi.

CONCLUSIO IV. Deus non componitur ex substantiâ & accidente.

1. Accidens dicitur, quod de novo substantiæ accedit, & proindè quod substantiâ posterius est, & à substantiâ distinctum: in Deo nihil prius, nihil posterius, nihilque ab eo distinctum; quidquid in Deo est, substantia Dei est; Deus est ipsa bonitas, sapientia; non est per bonitatem à se distinctam bonus; alioquin esset ex parte bonus, & ex parte non esset; substantia Dei non esset ex se bona: sed diceretur bona, quatenùs afficeretur qualitate: quod implicat in Deo; quod enim

ita bonum est, per participationem assequitur bonitatem. S. Aug. lib. 5. de Trin. c. 10. & alibi sæpiùs: *in rebus quæ participatione magnitudinis magnæ sunt, quibus & aliud esse, aliud magnas esse, sicut magna domus, &c. In his ergo rebus aliud est magnitudo, aliud quod ab eâ magnitudine magnum est, & prorsùs non hoc est magnitudo, quod est magna domus: sed illa est vera magnitudo, quâ non solùm magna est domus, quæ magna est; & quâ magnus est mons quisquis magnus est, sed etiam quâ magnum est quidquid aliud magnum dicitur, ut aliud sit ipsa magnitudo, aliud ea quæ ab illâ magna dicuntur. Quæ magnitudo utique primitùs magna est, multòque excellentiùs, quàm ea, quæ participatione ejus magna sunt. Deus autem, quia non eâ magnitudine magnus est, quæ non est quod est ipse, ut quasi particeps sit ejus Deus, cum magnus est; alioquin illa erit major magnitudo, quàm Deus; Deo autem non est aliquid majus. Eâ igitur magnitudine magnus est, quâ est ipse eadem magnitudo.*

2. Quod est in Deo, est idem cum ipso: aut certè vel est substantia, aut accidens ab eo distinctum. Non potest in Deo esse aliqua substantia distincta; Deus enim ex pluribus substantiis constitueretur; & proindè plures essent Dii, quod implicat. Nec accidens est distinctum: Deus enim esset mutationi obnoxius, & posset perfici novo adveniente accidente.

3. In Deo si sit accidens: vel illud ab extrinseco accepit, vel à se; vel illud posset amittere, vel non. At hæc omnia arguerent in Deo, & dependentiam à causâ, & imperfectionem, & mutabilitatem.

Ultimò. Quod perfectissimum est & immutabile, non potest esse subjectum accidentis; nam non potest esse in potentiâ, nec perfectionem novam suscipere: Deus autem perfectissimus est, & immutabilis. Ita S. Aug. lib. 5. de Trin. c. 4.

OBJ. Multa de novo Deo accidunt: nam ex Tert. lib. contra Hermog. c. 3. Deus Domini titulum ab æterno non habuit; cum enim inferret Hermog. materiam ab æterno esse admittendam, alioquin Deum mutationi obnoxium futurum fuisse; quippè qui tunc solùm Dominus esse cœpisset, cùm materia fuisset producta: hac consequentiâ admissâ, Tertullian. addit Deum dictum fuisse Dominum, ex quo subditos, in quos dominium suum exerceret, habuit; *Nam ex quo esse cœperunt in quæ potestas domini ageret, ex illo per accessionem potestatis & factus & dictus est Dominus.* Idem libro de Resurrect. carnis cap. 14. ait Justitiam advenisse Deo. *Accipe igitur & causam, qui apud Deum discis tam optimum quam & justum, de suo optimum, de nostro justum; nisi enim homo deliquisset, optimum solummodò Deum nosset ex naturæ proprietate: at nunc etiam justum eum patitur ex causæ necessitate, tamen & hoc ipso optimum Deum & justum.*

R. Attributa illa, *Dominus, Judex*, posse spectari, vel per ordinem ad potentiam divinam, & eo sensu æterna esse; vel per ordinem ad res creatas, & sic esse temporalia; neque ideò mutationem, seu perfe-

ctionem recentem advenire Deo : nam recèns adveniunt relationes, & tamen mutationem non arguunt in re, quæ referri incipit; sed in eâ, quæ incipit esse talis : sic v. c. non mutatur paries albus, cum incipiunt plures parietes dealbari, sed mutantur illi parietes, qui dealbationem illam consequuntur. Ita mutatæ sunt res creatæ, ubi creatæ sunt, & Dei imperio subjici cœperunt, sed non mutatus ipse Deus, qui eas creavit, ex S. Aug. lib. 5. de Trin. c. 16.

Conclusio ultima. Non datur in Deo compositio virtualis, nec formalis.

1. Quia omnis compositio infert necessariò rationem potentiæ & actûs : quæ in Deo admitti non potest ullatenùs, quandoquidem imperfectionem in Deum induceret : & sicut in Deo admitti non potest dependentia, contingentia, & mutabilitas virtualis; ita etiam nec compositio virtualis.

2. Dicit compositio omnis participationem, & quidquid est compositum, id essentialiter non est tale, v. c. non potest admitti compositio in Deo ex æternitate & essentiâ ; sequeretur enim Deum non esse actu & essentialiter æternum; ipsaque æternitas prior esset Deo, quem æternum constitueret.

Deinde si in Deo occurrerent quædam actu distincta, ex quibus compositio constitueretur, constaret Deus ex iis, quæ possent separari, quod implicat.

Denique S. Aug. lib. 6. de Trin. c. 6. & 7. *Tandem Deus est suum esse, & omnium maxima Deo tribuenda est unitas.* Major est autem unitas negans compositionem omnem.

Obj. Est in Deo ratio principii & principiati.

R. Esse inter personas, non inter essentiam & attributa, per conceptum saltem fundatum in Deo : alioquin attributum non æquivaleret essentiæ.

ARTICULUS ULTIMUS.

Quid de simplicitate Dei censuerit Tertullianus?

De Dei simplicitate non rectam fuisse Tertull. sententiam censuerunt quidam, ex S. Aug. de Hæres. Hanc autem suspicionem à viro de Ecclesiâ tam benè merito procul amovendam censemus.

Conclusio. Tertullianus, Deum esse corporeum, seu ex materiâ & formâ constitutum non existimavit.

Probatur. Qui Deos Gentium pro Diis non esse habendos censuit, præsertim quòd essent homines corporei : qui naturam Dei ità describit, ut cum dicat spiritum, & simplicitatem omnium summam Deo tribuat : qui Trinitatis Sanctissimæ dogma, quod cum Dei corpore nullatenùs potest consistere, contra hæreticos constanter propugnavit, ille à sententiâ, quæ Deo corpus affingit, alienus longè fuit. At Tertull. adversus Gentium Deos pugnavit felicissimè in Apol. c. 10. ostenditque 1. pro Diis homines non posse coli, qui proindè corpore constarent.

2. Idem Tert. Apol. cap. 17. ait Deum unum à Christianis coli, corporum & spirituum creatorem ex nihilo; invisibilem, incomprehensibilem, immensum, & proindè sine corpore: quod enim corpore constat, in loco contineri necesse est: Deum autem in loco esse, negat ipse in libro contra Praxeam c. 5. *Ante omnia Deus erat, solus ipse sibi & mundus, & locus, & omnia.* Et c. 14. dicit Patrem esse invisibilem pro plenitudine majestatis.

3. Simplicitatem omnium summam Deo tribuit lib. de Bapt. c. 2. Nam opponit simplicitatem operum divinorum, seu sacramentorum sine sumptu, eorum magnificentiæ in effectu; demitti scilicet docens in Baptismo hominem in aquam, & inde æternitatem consequi; Idolorum verò solemnia de apparatu authoritatem sibi conciliare; hincque fidem nostram quæ Deo simplicitatem tribuit, Ethnicorum errori opponit: *Proh! misera incredulitas, quæ denegas Deo proprietates suas, simplicitatem & potestatem.* Simplicitas igitur sicut & omnipotentia pertinent ad essentiam Dei. Cum Dei naturam exprimit, ut lib. 1. contra Marcio. ità definit lib. 1. cap. 3. *Deum summum esse magnum, & formâ, & ratione, & vi, & potestate:* Deum negare qui illi hæc aufert. Quomodo autem Deus erit quid summum, & formâ, & ratione, nisi corporis expers fuerit? Longè enim præstantior est simplicitas corpore.

4. Nec potest consistere dogma de Trinitate, prout ab eo exponitur, cum doctrinâ de Dei corpore: hinc ubi de eo agit mysterio, non modò Deum spiritum vocat, sed ea profert, quæ cum corporearum naturarum ideâ consistere non possent: ut quòd Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sint spiritus, unus Deus, unius substantiæ & naturæ. In Apol. cap. 21. ita de Christo disserit. *Hunc ex Deo prolatum didicimus, & prolatione generatum: & idcircò Filium Dei, & Deum dictum ex unitate substantiæ; nam & Deus spiritus: & cum radius ex Sole porrigitur, portio ex summâ; sed Sol erit in radio; quia Solis est radius; nec separatur substantia, sed extenditur; ita de spiritu, spiritus; & de Deo, Deus, ut lumen de lumine accensum.* Deus ergo ex ipso procedens, Deus de Deo est, ita spiritus de spiritu est. Idem cap. 21. lib. de pudicitiâ sic habet, *Nam & Ecclesia propriè, & principaliter ipse est spiritus, in quo est Trinitas, unius divinitatis Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.* Denique in lib. contra Praxeam totus est, ut probet unius & ejusdem substantiæ esse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum c. 2. *Unius autem substantiæ, & unius statûs, & unius potestatis, quia unus Deus ex quo, & gradus isti, & forma, & species in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti deputantur.* Quâ ratione autem fieret, ut tria corpora unum corpus essent, & unus Deus; & quo pacto idem Deus esset spiritus, & esset alius à Gentium Diis, quos corporis non expertes venerabantur Ethnici, & quos ideò ut crassiores arguit Tertull. & irridet?

Opp. 1. Tert. Deum dicit corpus, licet sit spiritus: Deum ergò reverà corporeum existimat. Id patet ex lib. contra Prax. c. 7. ubi de Dei Filio

agit, in effigie Dei constituto. *In quâ effigie Dei? utique in aliâ, non tamen in nullâ. Quis enim negabit Deum corpus esse, etsi Deus spiritus est? Spiritus enim corpus sui generis in suâ effigie. Sed & invisibilia illa quacumque sunt, habent apud Deum, & suum corpus & suam formam, per quæ soli Deo visibilia sunt.*

R. Tertull. nomine corporis intelligere substantiam veram & realem, prout inani opponitur, ut refellat Praxeam hæreticum, qui Dei Verbum à Patre non distinguebat, ac rem inanem esse contendebat: ut ergò Dei Filium esse solidum quid probaret, & sui generis effigiem quamdam habere, Deum corpus vocavit: per corpus autem nihil aliud intelligere se significat, quam substantiam: statim enim subjicit: *quantò magis quod ex ipsius substantiâ missum est, sine substantiâ non erit? quacumque ergò substantia sermonis fuit, illam dico personam, & illi nomen Filii vindico.* Per corpus innuere solebat substantiam realem: undè lib. de Carne Christi c. 11. Hæreticos, qui mortalem esse animam asserebant, simulque invisibilem, eique corpus detrahebant, confutans, docet nihil posse invisibile esse, nisi non sit: nihil verò posse existere, nisi habeat sui generis corpus. *Nihil enim habens invisibile, quomodo potest invisibile dici? sed ne esse quidem potest, nisi habens per quod sit: cum autem sit, habeat necesse est aliquid per quod est: si habet aliquid per quod est, hoc erit corpus ejus; omne quod est, corpus est sui generis: nihil est incorporale, nisi quod non est.* Undè per corporeum, nihil aliud intellexit, quàm quod reale dicimus.

INST. 1. Nomine corporis intelligit verum corpus, quod Deo tribuit; Spiritum enim Sanctum instar corporis aquis Baptismi superfusum, lib. de Bapt. c. 4. describit; & c. 10. ait portionem Sancti Spiritus à S. Joanne ad Christum convolasse; & ideò S. Joannem ab eo tempore de Christo dubitasse.

R. Tertull. ibi per Spiritum Sanctum aquis baptismatis superfusum, & à Joanne in Christum translatum, nihil aliud intellexisse, quàm virtutem à Spiritu Sancto aquis fuisse inditam, & Sancto Joanni primò infusam, & à S. Joanne in Christum transiisse. Illam loquendi rationem acceperat ex Num. 11. ℣. 17. ubi de 70. Senibus electis ad sustinendum cum Moyse regiminis onus. Ita Deus ad Moysem: *Auferam de spiritu tuo, tradamque eis.* Et ℣. 25. Ita pariter cùm Spiritum qui dicitur aquis in creatione superfusus, seu aquis incubasse, ipse Tertullianus lib. contra Hermog. cap. 32. ait non fuisse Dei Spiritum, sed Spiritûs Dei efficaciam: *Non ut quidam putant, ipsum Deum significari Spiritum, quia Deus Spiritus; neque enim aquæ Dominum sustinere sufficerent: sed eum Spiritum dicit, de quo etiam venti constiterunt, ut ait per Isaiam.*

INST. 2. Tertull. vera membra Deo tribuit, distincta quidem à membris humanis, quòd ista sint corruptioni obnoxia; & indè infert lib. 2. cont. Marc. c. 16. Justitiam & alios affectus, quos à Deo removebat Marcio, ne Deus corruptioni obnoxius diceretur, in Deo occurrere, non

non quidem corruptorios, ut vocat; quia Deus, hominum instar, membra corruptioni obnoxia non habet. Impugnans autem Marcionem, qui Deum ad Epicureorum mentem sibi fingebat, quasi nullam rerum terrenarum curam haberet, & sibi sufficiens bonis aut malis nostris actionibus minimè moveretur. *Stupidissimus ergò*, inquit lib. 1. cont. eum, *qui non offenditur facto, quod non amat fieri: quandò offensa comes sit frustratæ voluntatis; aut si offenditur, debet irasci: si irascitur, debet ulcisci: nam & ultio fructus est iræ, & ira, debitum offensæ; & offensa, ut dixi, comes frustratæ voluntatis.* Et lib. 2. cap. 16. *Perindè est enim cum Deum quidem judicem admittis, eos verò motus & sensus, per quos judicat, destruis.* Itaque objicienti Marcioni: *Si Deus irascitur, & æmulatur, & extollitur, & exacerbatur: ergò & corrumpitur:* sic respondet. *Stultissimi, qui de humanis divina præjudicant: ut quoniam in homine corruptoriæ conditionis habentur hujusmodi passiones, idcircò & in Deo ejusdem status existimentur. Discerne substantias, & suos eis distribue sensus, tàm diversos, quàm substantiæ exigunt; licet vocabulis communicare videantur: nam & dexteram, & oculos, & pedes Dei legimus; nec ideò tamen humanis comparabuntur; quia de appellatione sociantur. Quanta erit diversitas divini corporis & humani sub eisdem nominibus membrorum, tanta erit & animi divini, & humani differentia sub eisdem his vocabulis sensuum, quos tam corruptorios efficit in homine corruptibilitas substantiæ humanæ, quam incorruptorios in Deo efficit incorruptibilitas substantiæ divinæ.* Mox verò: *& hæc ergò*, inquit, *imago censenda est Dei in homine, quòd eosdem sensus, ac motus habeat humanus animus, quos & Deus; licet non tales, quales Deus: pro substantiâ enim, & status eorum & exitus distant.* Ex supposito constanti Tertullianus colligit, Deo esse artus ab humanis distinctos, corruptionis scilicet immunes.

R. Figuratè tantùm Deo membra tribuisse Tertull. nec in hoc instituisse comparationem, quòd, sicut Deus partes habet, ità etiam affectus: sed solùm, quod eadem nomina variis sæpiùs communicentur: & proindè sicut ex eo quòd partium vocabula Deo tribuantur, non sequitur Deum habere partes; ità, licèt Deo & homini affectus tribuantur, non hinc sequitur Deum habere affectus humanis similes, ut ex his verbis, quæ objiciuntur, fit apertum, *Stultissimi*, &c.

INST. 3. Animam corpoream esse existimavit Tertull. lib de Animâ c. 6. 7. & 8. & lib. de Resurr. carnis c. 17. non aliâ de causâ, quam quòd passionibus sit subdita: Deum autem passibilem facit Tertull. Ita enim lib. 2. contra Marc. c. 16. *Quæ omnia patitur & suo more quo eum pati condecet, propter quem homo eadem patitur æque suo more.*

R. Quidquid Tertull. de Animâ senserit, de Deo non ità cogitavit. S. Aug. lib. 10. de Gen. ad litt. c. 25. Tertullianum non censuisse Deum esse corporeum indè colligit, quòd omne corporeum passibile fecerit. Pati Deum suo more quidem Tertullianus scripsit, ratione scilicet affectuum spiritualium, non verò corporeorum.

Inst. 4. Tertull. Nihil quod ſpiritale eſſet, ſeu materiæ expers admiſit.

R. neg. Nam lib. contra Hermog. qui materiam æternam eſſe contendebat, eamque neque ſpiritualem eſſe, neque corpoream; c. 35. ſic eum refellit. *Quæ eſt iſta ratio recta, quæ nihil recti renuntiat, id eſt nihil certi? niſi fallor enim, omnis res aut corporalis, aut incorporalis ſit neceſſe eſt (ut concedam interim eſſe aliquid incorporale de ſubſtantiis duntaxat, cum ipſa ſubſtantia corpus ſit rei cujuſcumque) certè poſt corporale & incorporale nihil eſt tertium.* Mox probatum eſt ſpiritales ſubſtantias admiſiſſe Tertullianum.

Inst. ult. Ex S. Aug. Hunc in errorem lapſus eſt reverà Tertull. Sic enim Ep. 157. ad Optatum, habet, *Neque hoc Tertullianum ſomniaſſe mirandum eſt, qui etiam ipſum creatorem Deum, non eſſe niſi corpus, opinatur:* quod dementiam vocat S. Auguſt. repellendam ab ore Chriſtiani.

R. S. Aug. lib 10. de Gen. ad Litt. c. 25. ubi aſſeruit rei ſpiritalis exiſtentiam ſibi in animum non potuiſſe inducere Tertullianum, obſervare eum non conſtare ſibi; cum lib. de Anima c. 7. dicat omne corporale eſſe paſſibile. *Neque enim arbitror,* inquit S. Auguſt. *Eum ita deſipuiſſe, ut etiam Dei naturam paſſibilem crederet.* Et lib. de Hær. cap. 86. ait Tertullianum dixiſſe Deum corpus: *Nec tamen hinc,* inquit, *creditur hæreticus factus; poſſet enim quoquo modo putari ipſam naturam ſubſtantiamque corpus vocare; non tale corpus, cujus partes aliæ majores, aliæ minores valeant, aut debeant cogitari, qualia ſunt omnia, quæ propriè dicimus corpora: quamvis ille de animâ aliquid ſentiat: ſed potuit, ut dixi, propterea putari corpus Deum dicere, quia non eſt nihil, non eſt inanitas, non eſt corporis, vel animæ qualitas, ſed ubique totus.* Cum autem S. Aug. Sententiam hanc in Manichæis, ut hæreticam damnaverit, & confutarit; non aliâ de causâ ab hæreſi Tertullianum vindicat, quàm quòd Deum corpus dixerit, ut ipſum inani opponeret.

QUÆSTIO QUINTA.
De Dei immutabilitate.

ARTICULUS.
Utrùm Deus ſit immutabilis, & quidem ſolus?

Stoici, ex Orig. lib. 1. contra Celſ. mutationi obnoxium eſſe Deum aſſerebant; ejus verò felicitatem hinc oriri, quòd non eſſet, qui eum immutare poſſet.

Conclusio. Deus eſt immutabilis, & quidem ſolus.

Probatur 1a pars, quia quæcumque immutari poſſunt, vel ab alio, vel

à se immutantur, secundum esse, formam, vel accidens; secundum esse, si educantur ex nihilo; secundum substantialem formam, ut materia; si secundum accidens, vel secundum locum, quantitatem, vel qualitatem, vel in pejus, vel in melius, vel in æquale, vel etiam secundum electionem; quæ omnia ferè mutationum genera lib. 3. contra Maximinum complectitur S. August. Harum nulli mutationum Deus obnoxius est. Primò Scripturæ omnem omninò à Deo mutationem excludunt: volunt enim eodem in statu permanere semper, eâdemque in unitate, & in se ipso; nec mutari posse ullatenùs. Num. cap. 23. ℣. 19. *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur.* Psalm. 101. ℣. 28. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Malach. 3. ℣. 6. *Ego dominus, & non mutor.* Sap. c. 7. ℣. 27. *Et cùm sit una, omnia potest: & in se permanens omnia innovat.* Jac. 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*

Secundò Deus nec ab alio, nec à se ipso mutari potest: non ab alio; quia nec habet contrarium, nec est aliquid illo potentius, aut majus, aut melius: nec à se ipso; nam vel in melius, vel in deterius, vel in æquale mutaretur: non potest in deterius se ipsum mutare; hoc enim ex boni inscitiâ necessariò oriretur: nec etiam in melius; nam bonum quoddam ei defuisset, quo scilicet indiguisset: Deus autem est omnipotens, & omni perfectione major: nec in æquale; si enim ab uno statu in alium æqualem transiret, deficeret ab aliquo, quod priùs habuisset; adeò ut ejus defectûs compensandi causâ novum quid assequeretur: at illud Deo competere non potest; Deus enim à nullo deficere, nec alicujus boni jacturam facere potest. Ita fermè S. August. Ep. 202. cap. 2.

Tertiò mutatio quælibet fit propter quendam finem; omnium autem finis est Deus, seu summum bonum, proindèque non mutatur: sed omnia moventur, ut ipsum consequantur, aut ad ipsum accedant.

Nec mutari potest Deus secundum electionem: nam, ut probat S. Aug. lib. 12. de civit. Dei c. 14. æterno & immutabili consilio Deus omnia vult: licet ergo incipiat aliquid de novo producere; nova quidem actio est, sed æterna & antiqua voluntas. Unde novus quidem effectus est, qui incipit relationem habere ad Deum: sed nihil novi hæc relatio ponit in Deo. Aliter sentiunt plerumque homines, dum naturam divinam inquirunt; sed graviter hallucinantur, quòd *de suâ humanâ, mutabili, & angustâ, divinam naturam metiantur: .... quia quidquid novi faciendum venit in mentem, novo consilio faciunt; mutabiles quippè mentes gerunt; profectò non Deum, quem cogitare non possunt, sed semetipsos pro illo cogitantes; non illum, sed se ipsos; nec illi, sed sibi comparant: nobis autem non est fas credere aliter Deum affici, cum vacat; aliter, cum operatur.* Dein mutatio profecta ex electione non potest, quin imperfectionem inferat semper; cum ex novo lumine, seu ex mutatâ cognitione ducat originem; remanet enim electio eadem, eodem remanente rationis judicio.

Ult. duplex tantùm excogitari potest immutabilitas; una physica, moralis altera. Prior ex parte substantiæ; altera verò ex parte actuum & decreto-

rum: Deus aūtem primò immutabilis est physicè; nam nec mutari potest ratione additionis, nec detractionis, nec ratione loci, aut temporis. Non ratione loci, quia immensus est: *Magnus enim est, & non habens finem, excelsus, & immensus.* Baruch. 3. Non ratione temporis, quia æternus est: nam semper *idem est, & anni ejus non deficient.* Ps. 101.

Immutabilis est etiam moraliter, ex parte scilicet actuum & decretorum: etenim nisi res ita esset, forent in Deo defectus scientiæ, simul & sapientiæ; scientiæ quidem; adverteret enim aliquid in suis actibus & decretis, quod anteà non advertisset: sapientiæ quoque; quia prudenter non ageret, nec sapienter decerneret: at Deus infinitus est in scientiâ, & admirabilis in sapientiâ; infiniti quippe sunt thesauri scientiæ, & sapientiæ Dei. Hinc exclamat Apostolus Rom. 11. *ô altitudo divitiarum scientiæ & sapientiæ Dei:* res autem creata, cùm non sit summum ens, aliquam ex his, quas attulimus, habeat mutationem necesse est. Quâ ratione utitur S. Augúst. lib. de verâ Relig. cap. 18. & lib. de moribus Manich. c. 11. ubi probat hominum animas non esse Dei substantiæ partes, alioquin, inquit, essent immutabiles: immutari autem eas constat, tùm à se, tùm ab aliis, præsertim quòd, & à Deo creentur, & annihilari possint; quòd crescant & decrescant; & mutentur quoad locum. Quod & expressit Tertull. lib. de Pall. cap. 2.

Secunda pars Conclus. facilè colligitur ex laudatis Verbi Divini locis, & rationibus adductis: solus enim Deus est ens supremum & summum; unde 1. ad Tim. 6. ℣. 10. dicitur solus immortalis.

Opp. 1. Deus variis affectibus est obnoxius: ex Scripturis enim irascitur, pœnitentiâ movetur; diligit modò, modò odio habet; ab otio transit in actum, ut in rerum creatione.

R. 1. Orig. lib. 4. contra Cels. in Deo varios animi affectus non occurrere, quos Scriptura adscribere illi videtur; ideò autem eâ dicendi ratione uti, quia nos ut infantes suscipit instituendos, *ità videtur divina sapientia contexisse scripturas ad auditorum modulum, id sibi decorum existimans, quod illis sit utile:* de quo more Dei alloquentis homines hæc leguntur in Deut. *Accommodavit se tuis moribus Dominus Deus tuus, haud secùs quàm homo pater accommodat se suo filio: nimirùm more hominum Scriptura loquitur ad utilitatem hominum:* Non enim erat in rem plebeïæ multitudinis; si Dei persona induceretur loquens pro majestate suâ. Ita Novat. suprà quæst. 4. art. 1. Conclus. I. ad obj. 1.

Secundò cùm dicitur Deus, mox diligere, mox odio habere; hæc mutationem in Deo non arguunt, sed in ipsis hominibus, aut creaturis, ut docet S. Aug. lib. 22. de Civit. cap. 1. & in Ps. 72. in hæc verba; *Quàm bonus Israël &c. non quòd ullo modo pervertatur Deus: absit; quod est, est: sed quemadmodum Sol oculos puros, sanos, vegetos, fortes habenti tranquillus est & sanus: in oculos lippos, quasi tela aspera jaculatur: intuentem illum vegetat, hunc excruciat, non mutatus, sed mutatum; sic cum cœperis esse perversus, & tibi Deus perversus esse videtur; tu mutatus es, non ille: ergò erit tibi pœna, quod bonis est gau-*

dium. Idem lib. 22. de Civit. c. 1. alio exemplo utitur, nempè legis: nam ut Lex immota manens justis prœmia, reis verò supplicia decernit; ità & Deus semper bonos remunerat, & punit improbos.

3. Nec Deus cessasse aut otiosus quandoque fuisse dicendus est; cum ante mundum conditum tempus non extiterit; nec Deus in tempore sit constituendus, sed extra tempus; nihil enim in Deo prius, aut posterius esse potest: Actio quippe Dei spectari potest dupliciter: vel ut est in Deo; & æterna est; nam ipsa Dei voluntas est: vel quoad effectum; & temporaria quidem est, quòd res creatæ in sui constitutione tempori sint obnoxiæ; at nunquam operans mutatur, nisi cum immanens operatio est nova; si verò nova fit tantùm actio externa, non ideò mutatio quædam operanti advenit. Hinc si Sol in Hemispherio, eodem in situ semper manens, lunâ inter eum & nos interpositâ, terram illustrare desineret; & recedente lunâ, rursùs eam illustrare inciperet; nullam in se mutationem pateretur.

Quare cum Deus indicatur, aliquandò amore, aliquandò odio eamdem prosequi creaturam; nulla est propterea ex parte Dei mutatio, sed tota se tenet ex parte rei creatæ. Proindè amor, & odium non sunt in Deo per successionem; nec sibi mutuò adversantur ratione sui: sed tantùm ratione terminorum quos respiciunt: sicque Deus omnia mutando, remanet immutabilis omninò. *Immutabilis, mutans omnia*, inquit Sanct. August. lib. 1. Confess. c. 4. *Nunquam novus, nunquam vetus, innovans omnia; & in vetustate deducens superbos, & nesciunt. Semper agens, semper quietus; colligens, & non agens. portans, & implens, & protegens: creans, & nutriens, & perficiens. Quæris, cum nihil desit tibi: amas, nec æstuas; zelas, & securus es: pœnitet te, & non doles; irasceris, & tranquillus es: opera mutas, nec mutas consilium: recipis quod invenis, & nunquam amittis; nunquam inops, & gaudes lucris. Nunquam avarus, & usuras exigis: reddis debita, nulli debens; donas debita, nihil perdens.*

INST. 1. Saltem mutatus est Deus cum factus est homo.

R. S. Ambr. lib. 1. de Fide; & lib. de Filii Divinitate contra Arianos cap. 8. Immutatum remansisse Verbum, suâque immortalitate hominem donasse, velut cum Sol nube obtegitur, tunc obvelatur quidem splendor Solis, sed non tollitur. S. Aug. lib. 83. q. 73. docet non magis mutatum esse Dei Filium, cum factus est homo, quàm mutentur membra, cum vestimentis induuntur. Sed de his, ubi de Incarnatione.

INST. 2. Deus alio modo se gessit in Veteri Testamento, alio in Novo: nonnulla in Veteri, ut ceremonias, sacrificia, judiciorum formam constituit; quæ omnia in Novo penitùs abrogavit.

R. S. Aug. Epist. 5. Marcellino, Deum sic moderari universum orbem, quasi unicum hominem regeret; hominemque quemlibet esse velut orbis compendium; & necessariò aliâ ratione erga perfectos, aut adultos; aliâ erga infantes, aut infirmos utendum fuisse; alia præscribi infanti à præceptore; adolescenti alia: quæ ergo varietas inter duo

Testamenta occurrit, non Dei, sed hominum varios status & mutabilitatem arguit: in Lege naturæ, infantiam: in Mosaicâ, adolescentiam: in Novâ, adultam ætatem: sed de his fusiùs, q. 2. de Legibus. Aliæ probationes, objectiones, & responsiones occurrunt q. 4. art. 1. concl. 4. ubi quæritur utrùm sint in Deo accidentia.

INST. 3. Cognitio divina modò eumdem hominem justum, modò peccatorem repræsentat: & proindè intrinsecè mutatur, non tantùm extrinsecè; quia imago vitalis est repræsentans objecta cognita: Instar ergò tabellæ mutatis objectis mutatur.

R. Mutari tantùm extrinsecè cognitionem divinam, prout illius objecta mutationem patiuntur. Ideò autem tabella alia fit, dum Regem, modò sedentem, modò stantem oculis subjicit, aut alium Principem; quia res varias simul, & quæ sibi succedunt, seu eodem tempore & loco continere simul non potest. Deus autem omnia simul & ab æterno perspecta habuit, & habet.

INST. ultimò. Deus suis in decretis est liberrimus: Ergo saltem in actibus liberis est mutationi obnoxius.

R. Deum esse liberrimum suis in decretis ponendis vel non ponendis; ea tamen semel posita revocare nequit, cum sit immutabilis in suis consiliis; nec unquam revocat, ut fusiùs exponetur, ubi de voluntate Dei, q. 12. erit agendum. Extra dubitationem est à productione personarum divinarum procul esse amandandam mutationem omnem: quia Verbi generatio, Spiritusque Sancti spiratio non sunt transitus de non esse ad esse; nec ad existendum ulla præcedit indifferentia: nec, vel minima, occurrit dependentia.

QUÆSTIO SEXTA.
De æternitate Dei.

ARTICULUS UNICUS.
Utrùm Deus sit æternus, & quidem solus?

ÆTERNITAS durationem infinitam, seu quæ nullis terminis claudatur, suo intellectu complectitur; hæc autem interminabilitas, ut ita loquar, spectari potest tripliciter. 1. ratione totius, cum illius duratio non est finita, quocumque modo consideretur, seu, ut loquuntur, à parte antè, seu á parte post; cum autem ut definita concipitur, secundum aliquam sui partem consideratur. 2. Interminabilitas potest occurrere in eo, quod terminis non definitur, sed definiri potest; qualis est duratio Angeli, qui ab æterno creatus esset. 3. Interminabilitas dicitur non solùm possibilitas carendi terminis, sed impossibilitas habendi terminos; quæ creaturis competere non potest, cum illæ è ni-

hilo educi, & in nihilum reduci possint. Hæc autem æternitas propriè dicta est, quam ità definit Boëtius lib. 6. de Consol. Pros. 6. *Æternitas est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio.* In quâ definitione, tùm durationis principium, tùm finis excluduntur, tùm omnis, quoad durationis partes, successio.

Æternitas autem illa differt ab ævo, & tempore; quòd tempus sit mensura rei difformiter se habentis per successionem partium secundum prius & posterius; est enim mensura motûs, per quem res semper se habet aliter & aliter; ævum verò est mensura rei se habentis uniformiter in se, quæ tamen mutationem patiatur, vel secundum locum, vel secundum electionem: quæ etiam res destrui possit, cujusmodi sunt Angeli.

S. Aug. lib. 11. c. 13. ita æternitatem Dei delineat. *Anni tui dies unus: & dies tuus, non quotidie, sed hodie: quià hodiernus tuus non cedit crastino; neque enim succedit hesterno: hodiernus tuus æternitas: ideò coæternum genuisti, cui dixisti; Ego hodie genui te: omnia tempora tu fecisti, & ante omnia tempora tu es.*

CONCLUSIO. Deus est æternus: & quidem solus.

1. Quia duratio Dei in Scripturis eâ ratione exprimitur, quâ designari solet duratio infinita, nunquam desitura, nullis terminis circumscripta. Deut. 32. ℣. 40. *Vivo ego in æternum.* Psal. 9. ℣. 8. *A sæculo, & usque in sæculum tu es Deus*: Psal. 101. ℣. 8. *Tu idem ipse es, & anni tui non deficient.* Quod his expressit verbis Tertull. lib. 1. contra Marcio. *Deus, si est vetus, non erit; si est novus, non fuit: novitas initium testificatur; vetustas finem comminatur: Deus autem tam alienus est ab initio & fine, quàm à tempore arbitro, & metatore.*

2. Si ratio consulatur, dubitari non potest, quin Deus ut æternus à nobis apprehendatur: æternitas enim nihil aliud est, quàm interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio, quæ soli Deo potest competere; quia solus est, qui nec desinere possit, nec incipere; quique sit quoad essentiam, locum, & operationem, solus immutabilis; ab alio enim esse nequit; & omnia, simul, & non successivè, & à se ipso possidet; nihilque ut futurum spectat. Ita fermè S. Aug. lib. de naturâ boni cont. Manich. Atque, ut habet Tertull. lib. 1. contra Marcion. c. 3. naturaliter cognoscimus Deum esse æternum: naturaliter enim novimus Deum esse ens præstantissimum: si autem Deus non esset æternus, posset esse aliquod ens Deo præstantius; utpotè quod æternitatem, perfectionem illam summam, haberet.

Prætereà cum æternitas sit vita tota simul perfecta & intermimabilis: & nihil magis sit totum simul, quàm unitas; nihil magis infinitum, quàm id cui nihil addi potest; nihil perfectius, quàm quod summum est, seu summum bonum; Deus procul dubio non potest, quin æternus, & solus æternus concipiatur; quia in eo solo est unitas, infinitudo, & summum bonum.

Denique licet creaturæ aliquæ ab æterno possibiles supponerentur, divinâ æternitate nunquam æternæ essent; mutationi enim, & quoad operari, & quoad esse, semper essent obnoxiæ.

Æternitas spectata prout includit duplicis negationem termini, scilicet à quo; & ad quem; seu quorum terminorum alter sit initium, alter rei finis, ea, inquam, attributum est negativum: si verò consideretur, ut est interminabilis vitæ possessio perfecta, attributum est positivum.

Potest etiam dici aliquo sensu mensura Dei: sicut enim tempus, rerum in tempore constitutarum mensura dicitur; eò quòd durationem earum in fluxu & successione continuâ metiatur; ita æternitas dici potest quodammodo mensura Dei, quòd includat durationem ejus in modo essendi: sic autem accepta, est permanentia rei in suo esse: nec ullatenùs dicit successionem: nec Dei mensura est, realis aut formalis; sed virtualis tantùm; utpotè cum non sit dependentia mensurati à mensurâ.

QUÆSTIO SEPTIMA.
De Dei immensitate.

ARTICULUS PRIMUS.
Utrùm Deus sit substantialiter immensus, & solus?

ERRORES.

Existimasse videntur Judæi certo loco contineri Deum, & urbe Hierosolymitanâ, aut templo circumscribi. Undè S. Cyrill. Alex. lib. 2. contra Julian. observat Isaiam cap. 41. hunc impugnasse errorem.

Alii censere dicuntur Deum ratione substantiæ rebus omnibus non inexistere; sed per solam potentiam illis adesse, instar solis, qui radiorum suorum beneficio omnia pervadit, licet à terris ratione substantiæ longè sit dissitus.

Deus in omnibus rebus existere potest: per potentiam; quòd ejus potestati sint omnia subdita: per præsentiam; quòd omnium curam providentiâ suâ gerat: & per essentiam; cum nulla creatura sit, cui non immediatè adhæreat.

Conclusio. Deus est in omnibus rebus ratione substantiæ, & solus.

1. Quia qui cœlum & terram implet: in inferis, & in cœlis existit: ultra cœlos extenditur, ut & à quibus capi non possit: & ultra inferos, terram & mare; is omnibus rebus per substantiam inexistit. Ità autem Scripturæ de Deo disserunt.

Jobi c. 11. ℣. 8. Ità Sophar Naamathites. *Excelsior cœlo est; & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? longior terrâ mensura ejus, & latior mari?* Psal. 138. c. 8. *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tuâ fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum*

num, ades. Lib. 3. Reg. c. 8. *Si enim cœlum & cœli cœlorum te capere non possunt, quantò magis domus hæc, quam ædificavi?* Jeremiæ 23. ℣. 24. *Numquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus?* Hinc S. Ambr. lib. 1. de Fide c. 4. & 7. Et lib. de dignit. Animæ cap. 2. S. Chrysost. in Ps. 112. S. Hieron. in c. 66. Isaiæ. S. Aug. Epist. 3. 17. & 57. *Ergò est Deus per cuncta diffusus; ipse quippè ait per Prophet. cœlum & terram ego impleo, &c. Undè fatendum est ubique esse Deum per divinitatis præsentiam, sed non ubique per inhabitationis gratiam.* Item. *Ideò enim ubique esse dicitur, quia nulli parti rerum absens est; ideò totus, quia non parti rerum partem suam præsentem præbet, & alteri parti, alteram partem, æquales æqualibus, minori verò minorem, majorique majorem: sed non solùm universitati creaturæ, verùm etiam cuilibet parti ejus totus pariter adest.*

Deindè si Deus non esset ubique substantialiter præsens, Dei substantia alicubi esset, & non alibi: quibusdam terminis esset circumscripta: motui esset obnoxia; ut quæ aliquandò inciperet in loco esse, in quo prius non erat.

Deniquè Deus agit ubique: & proindè, cum ejus actio non distinguatur ab ejus substantiâ, ubique adest per substantiam.

Deus ita est in loco, ex Sanct. August. Epist. 3. ut loco non contineatur; quia *Deus*, inquit, *Sapientia est:* Sapientia autem latitudine caret: *& quia novit venire non recedendo, novit abire non deserendo quò venerat.* Equidem, ut subjungit, dicitur tamen fieri præsens, cum præsentiæ suæ signa nobis præbet; & abesse, cum auxilia sua videtur subtrahere: sic lux videntibus adesse dicitur, & à cœcis abesse.

Deus autem solus est immensus; quia solius naturæ infinitæ & omnipotentis proprium esse potest esse ubique; quia sola ubique operari potest.

Solent antiqui, adducto animæ, solis, & vocis exemplo, divinam immensitatem exponere; sol enim orbem universum illustrat, & ejus lux ubique licet diffusa remanet indivisa. Pariter, à plurimis indivisim idem sonus auditur: & anima in quâlibet corporis parte tota subsistit & indivisa.

Opp. Deus non est ubique; cum non sit in peccatoribus: dedeceret enim eum esse in locis tam obscœnis, præsertim in Diabolis.

R. Deum in peccatoribus esse, & in Diabolis, ut opera ejus sunt: non quatenùs ab eo per scelus deficiunt; inde quidem non magis læditur majestas ejus, quàm solis splendor, cum loca maximè obscœna perlustrat. S. Aug. Ep. 57. l. 7. ait Deum quidem esse in omnibus æqualiter ratione substantiæ; sed non ubique æqualiter per inhabitationis gratiam, aut ratione donorum: imò etiam inæqualiter in Ipsis justis, quia eorum alii *plus eùm capiunt, alii minus.*

Inst. 1. Ex S. Clem. Alex. l. 5. Strom. Deus non permeat rerum substantiam: sed tantùm earum effector dici potest.

R. Deum non permeare rerum substantiam juxta sententiam Stoicorum, qui Deum corporeum faciebant, & rerum substantiis permixtum; hanc autem Stoicorum opinionem ibi confutabat S. Clem. Alex.

INST. 2. Si Deus necessariò rebus inexisteret, rerum creatarum perfectio illi denegaretur: non paucæ enim sunt creaturæ, quæ in subjecta à se longè dissita possunt agere: sic Rex, sic Sol.

R. Modum illum operandi non esse perfectionis loco habendum; imò ex imperfectione oriri, nempè ex limitatione naturæ; Rex quidem eò potentior, & præstantior habetur, quò in remotiores regiones authoritatem suam extendit & propagat: longè autem præstantior foret, si substantiam suam, & non solam virtutem in omnibus imperii partibus præsentem exhiberet; cum autem circumscriptæ naturæ sit, ideò uno tantùm in loco adesse potest. 2. Res creatæ virtutem suam in remota à se loca possunt immittere, quòd eorum agendi vis distincta sit ab eorum substantiâ; in Deo verò indistinctæ sunt actio, & substantia.

OPP. Deus in cœlis est substantialiter, & totus: igitur extra cœlos non est ratione substantiæ, sed virtutis.

R. S. Chrysost. in Psalm. 112. hâc loquendi ratione sacros uti authores, ut Judæorum animos, Deorum, qui certis locis erant constituti, cultui assuetos, ad veri Dei notitiam sensim erigerent; & ideò se ad eorum captum attemperasse, & in certâ, sed celsissimâ sede Deum collocasse. 2. Ideò cœlum Deo, tanquàm præcipuus & singularis locus, adscribitur; quòd ibi amplior, & longè sit manifestior Dei cognitio; & clarissimi præstantissimique divinæ gratiæ effectus ibi percipiantur: non quòd intra cœli ambitum Dei substantia contineatur.

Q. An Deus sit ubique, tanquàm in loco.

R. Deum non esse ubique tanquàm in loco: sed & solum sibi locum esse. Ita S. Theoph. Antioch. lib. 2. *Nihil enim cum Deo floruit, aut vixit; sed ipse sibi locus erat, nullius indigens, & ante sæcula subsistens.* Tertull. c. 5. contra Prax. Minut. Fel. S. Aug. Epist. 57. Deus non aliter est in mundo, quàm fuerat ante illum conditum constitutus, cum immutabilis sit, & à se ipso non discesserit, idemque permanserit; nec alius à Deo locus sit Deo dignus.

2. Si mundus Dei locus esset, ex S. Aug. in Psal. 121. in hæc verba, *Qui habitas in cœlis*, aliquandò peritura esset ejus sedes, cum cœlum & terra sint transitura.

Deniquè quod loci vices gerit respectu alicujus rei, eam continet, conservat, & circumscribit; mundus autem nihil hujusmodi præstare potest respectu Dei.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrùm Deus sit formaliter in mundo per actionem?

CUM Deus sit ubique, non tanquàm in loco propriè dicto; quia nec exigit ibi existere, nec à re creatâ continetur; quæstio est quomodò fiat formaliter præsens; seu quâ ratione potissimùm in re,

cui inexistit, seu in loco constitui videatur.

Orta indè videtur quæstio, quòd non satis sit apud Philosophos rem adesse, item & locum, ut & res in loco collocetur; sed adhuc requiri à quibusdam *ubi* per quod res formaliter in loco constitui dicatur: Ratio autem formalis ea est, quâ solet responderi quærentibus præsentiæ rei in loco causam magis propinquam & conjunctam.

CONCLUSIO. Deus formaliter in loco est per actionem.

1. Non alia ratio præsentiæ Dei est afferenda, quàm quæ in Scripturis traditur. At ex Psal. 138. ℣. 8. *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades; si sumpsero pennas meas diluculò, & habitavero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Ergò Deus in loco est, quia ducit incedentem, & morantem in loco servat, hoc est quia ibi operatur. Et certè quæ ratio est formalis diversæ Dei præsentiæ, ea est ipsius Dei præsentiæ: ratio verò formalis diversæ Dei in rebus præsentiæ eruitur ex variâ ejus actione; Ergò ratio formalis ipsius præsentiæ in rebuseruitur ex ejus actione in rebus. Discrimen enim quod occurrit inter varias actiones, quibus Deus est in creaturis, ex aliis capitibus repeti non potest, quàm ex vario operandi modo: Si enim quæratur, cur Deus aliter sit in Angelis, Dæmonibus, Viatoribus, & in Beatis; alia reddi non potest ratio, quàm quæ ducitur ex variâ actione quam in illis elicit.

2. Ut probent antiqui Patres divinitatem Gentium Diis non competere, hoc utuntur argumento: Dii isti non operantur in locis: ergò non sunt; ubi enim Deus est, ibi operatur. Item asserunt Deum verum alium esse à Deo Stoicorum; quia non corporaliter omnia continet; sed in omnibus existit operando, seu providendo. Aiunt abusivè rem spiritualem dici in loco; cum propriè dicenda esset operari in loco: & Deum esse in mundo instar substantiæ creantis & moderantis, servantis, & juvantis. Nullam aliam præsentiæ Dei rationem præter ejus operationem sibi in animum induxerunt. Sic autem ratiocinantur.

1. Argumentum tradit Athenag. in Apol. *Itaque efficitur ut, si nihil faciat, neque providet; neque locus ei superest ullus; nusquàm & omninò non extet: unus verò ille à principio & solus mundi opifex Deus relinquatur.*

2. Argumento utitur Orig. l. 2. cont. Cels. c. 6. *Penetrat quidem aspectus Dei ac providentia per omnia; sed non sicut ille Stoicorum spiritus: & continet omnia, quibus per suam providentiam prospicit; at non corporaliter complectitur; cum corpus ambiatur à divinâ potentiâ.*

3. Exponit Sanct. Gregor. Nyss. lib. de Animâ, *Cum natura intelligibilis fuerit in habitudine ad locum, vel ad rem in loco sitam; abusivè dicimus illam ibi esse, præter operationem ejus quod ibi est, locum pro habitudine & operatione sumentes: cum enim dicendum esset, ibi operatur, dicimus ibi est.*

4. Utitur S. Aug. Epist. 57. *Est in mundo Deus, ut substantia creatrix mundi, sine labore regens; & sine onere continens mundum.* Et

INST. 2. Si Deus necessariò rebus inexisteret, rerum creatarum perfectio illi denegaretur: non paucæ enim sunt creaturæ, quæ in subjecta à se longè dissita possunt agere: sic Rex, sic Sol.

R. Modum illum operandi non esse perfectionis loco habendum; imò ex imperfectione oriri, nempè ex limitatione naturæ; Rex quidem eò potentior, & præstantior habetur, quò in remotiores regiones authoritatem suam extendit & propagat: longè autem præstantior foret, si substantiam suam, & non solam virtutem in omnibus imperii partibus præsentem exhiberet; cum autem circumscriptæ naturæ sit, ideò uno tantùm in loco adesse potest. 2. Res creatæ virtutem suam in remota à se loca possunt immittere, quòd eorum agendi vis distincta sit ab eorum substantiâ; in Deo verò indistinctæ sunt actio, & substantia.

OPP. Deus in cœlis est substantialiter, & totus: igitur extra cœlos non est ratione substantiæ, sed virtutis.

R. S. Chrysost. in Psalm. 112. hâc loquendi ratione sacros uti authores, ut Judæorum animos, Deorum, qui certis locis erant constituti, cultui assuetos, ad veri Dei notitiam sensim erigerent; & ideò se ad eorum captum attemperasse, & in certâ, sed celsissimâ sede Deum collocasse. 2. Ideò cœlum Deo, tanquàm præcipuus & singularis locus, adscribitur; quòd ibi amplior, & longè sit manifestior Dei cognitio; & clarissimi præstantissimique divinæ gratiæ effectus ibi percipiantur: non quòd intra cœli ambitum Dei substantia contineatur.

Q. An Deus sit ubique, tanquàm in loco.

R. Deum non esse ubique tanquàm in loco: sed & solum sibi locum esse. Ita S. Theoph. Antioch. lib. 2. *Nihil enim cum Deo floruit, aut vixit; sed ipse sibi locus erat, nullius indigens, & ante secula subsistens.* Tertull. c. 5. contra Prax. Minut. Fel. S. Aug. Epist. 57. Deus non aliter est in mundo, quàm fuerat ante illum conditum constitutus, cum immutabilis sit, & à se ipso non discesserit, idemque permanserit; nec alius à Deo locus sit Deo dignus.

2. Si mundus Dei locus esset, ex S. Aug. in Psal. 122. in hæc verba, *Qui habitas in cœlis*, aliquandò peritura esset ejus sedes, cum cœlum & terra sint transitura.

Deniquè quod loci vices gerit respectu alicujus rei, eam continet, conservat, & circumscribit; mundus autem nihil hujusmodi præstare potest respectu Dei.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrùm Deus sit formaliter in mundo per actionem?

CUM Deus sit ubique, non tanquàm in loco propriè dicto; quia nec exigit ibi existere, nec à re creatâ continetur; quæstio est quomodò fiat formaliter præsens; seu quâ ratione potissimùm in re,

cui inexistit, seu in loco constitui videatur.

Orta indè videtur quæstio, quòd non satis sit apud Philosophos rem adesse, item & locum, ut & res in loco collocetur; sed adhuc requiri à quibusdam *ubi* per quod res formaliter in loco constitui dicatur: Ratio autem formalis ea est, quâ solet responderi quærentibus præsentiæ rei in loco causam magis propinquam & conjunctam.

CONCLUSIO. Deus formaliter in loco est per actionem.

1. Non alia ratio præsentiæ Dei est afferenda, quàm quæ in Scripturis traditur. At ex Psal. 138. ℣. 8. *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades; si sumpsero pennas meas diluculò, & habitavero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Ergò Deus in loco est, quia ducit incedentem, & morantem in loco servat, hoc est quia ibi operatur. Et certè quæ ratio est formalis diversæ Dei præsentiæ, ea est ipsius Dei præsentiæ: ratio verò formalis diversæ Dei in rebus præsentiæ eruitur ex variâ ejus actione; Ergò ratio formalis ipsius præsentiæ in rebus eruitur ex ejus actione in rebus. Discrimen enim quod occurrit inter varias actiones, quibus Deus est in creaturis, ex aliis capitibus repeti non potest, quàm ex vario operandi modo: Si enim quæratur, cur Deus aliter sit in Angelis, Dæmonibus, Viatoribus, & in Beatis; alia reddi non potest ratio, quàm quæ ducitur ex variâ actione quam in illis elicit.

2. Ut probent antiqui Patres divinitatem Gentium Diis non competere, hoc utuntur argumento: Dii isti non operantur in locis: ergò non sunt; ubi enim Deus est, ibi operatur. Item asserunt Deum verum alium esse à Deo Stoicorum; quia non corporaliter omnia continet; sed in omnibus existit operando, seu providendo. Aiunt abusivè rem spiritualem dici in loco; cum propriè dicenda esset operari in loco: & Deum esse in mundo instar substantiæ creantis & moderantis, servantis, & juvantis. Nullam aliam præsentiæ Dei rationem præter ejus operationem sibi in animum induxerunt. Sic autem ratiocinantur.

1. Argumentum tradit Athenag. in Apol. *Itaque efficitur ut, si nihil faciat, neque providet; neque locus ei superest ullus; nusquàm & omninò non extet: unus verò ille à principio & solus mundi opifex Deus relinquatur.*

2. Argumento utitur Orig. l. 2. cont. Cels. c. 6. *Penetrat quidem aspectus Dei ac providentia per omnia; sed non sicut ille Stoicorum spiritus: & continet omnia, quibus per suam providentiam prospicit; at non corporaliter complectitur; cum corpus ambiatur à divinâ potentiâ.*

3. Exponit Sanct. Gregor. Nyss. lib. de Animâ, *Cum natura intelligibilis fuerit in habitudine ad locum, vel ad rem in loco sitam; abusivè dicimus illam ibi esse, præter operationem ejus quod ibi est, locum pro habitudine & operatione sumentes: cum enim dicendum esset, ibi operatur, dicimus ibi est.*

4. Utitur S. Aug. Epist. 57. *Est in mundo Deus, ut substantia creatrix mundi, sine labore regens; & sine onere continens mundum.* Et

Tract. 2. in Joan. *Deus est in mundo, quomodo artifex regens quod facit . . . . præsentiâ majestatis facit, præsentiâ suâ gubernat quod facit.*

3. Alia est existendi ratio in loco naturæ corporeæ, alia naturæ spiritualis: Natura corporea est in loco formaliter; quia coextenditur loco: natura verò spiritualis non est in loco per coextensionem; nec enim in longum & latum extenditur. Quâ ergo ratione censeretur in loco, nisi per operationem? Undè S. Joan. Damasc. lib. 1. Orthodox. Fid. c. 16. *Deus igitur, ut materiæ atque circumscriptionis expers, haudquaquam in loco est: Ipse enim sibi ipsi locus est, omnia implens, ac supra omnia consistens: & tamen in loco esse dicitur, ibique Dei locus esse asseritur, ubi perspicua ejus operatio existit.*

Ultimò. Per id censetur aliquid esse formaliter in loco, per quod tangit rem, cui est præsens, seu ab illâ indistans est. At indistantia rei spiritalis à corporeâ, seu contactus rei spiritalis cum corporeâ necessariò est repetendus ab operatione: Nam 1. duci non potest à formâ modali: vel enim ille modus à Deo realiter distingueretur; vel virtualiter: primum dici non potest, nihil enim in Deo est realiter distinctum: nec posterius etiam in Deo admitti posset; se haberet enim ille modus instar accidentis, quod à Deo separari posset. At de Deo cogitari non possunt ejusmodi commenta: conciperetur enim Deus ut mutationi obnoxius. 2. Nec etiam potest repeti formalis causa præsentiæ Dei in loco ex ipsius substantiâ: non enim datur conjunctio & indistantia rei ab alterâ, nisi ubi datur aliquis contactus: Ergò non satis est, quod adsit ipsa substantia Dei, nisi aliquo mediante rebus creatis conjungi concipiatur. 3. Nec etiam potest repeti causa formalis præsentiæ divinæ, ex quantitatis continuæ contactu, ut compertum est: Deus enim non est corporeus: Superest ergò ut causa formalis præsentiæ Dei in Angelis, aut cæteris creaturis, ex contactu virtutis, seu ex operatione Dei oriatur: sicut enim inter duo corpora non nisi quantitate continuâ mediante fit contactus; ita nec inter res spirituales, vel inter spiritum & corpus nonnisi virtute, seu operatione datur contactus; nam contactus virtutis in rebus spiritualibus contactui quantitativo rerum corporearum respondet, & res spiritualis tangit rem spiritualem aut corpoream contactu opposito contactui rei corporeæ seu molis, contactu nempè virtutis. Præterea id per quod Deus censetur in loco, idipsum & à creaturâ & à Deo est distinctum; quia contingens Deo est; nam ab æterno Deus non erat præsens mundo, cum mundus non extaret; quod autem ut contingens in Deo concipimus, est ipsa actio Dei; non prout est in Deo, sed prout creaturas spectat; quæ actio sic spectata ejusdem est rationis & conditionis cujus est creatura, ut suprà ostensum est, ubi de Dei immutabilitate disseruimus.

Discrimen illud contactum quantitativum inter & spiritualem, seu virtutis, intercedit, quòd prior contactus agentia quidem corporea rebus corporeis præsentia, sed non intra ipsas constituat; unius enim corporis

quantitas non est intra quantitatem alterius: per contactum verò virtutis, agentia spiritualia ita præsentia sistuntur subjecto, in quod agunt, ut sint intra ipsum; quia nempè contactus virtutis ibi est, ubi est effectus: cumque virtus Dei sit illius substantia, ubicumque est talis virtus, ibi est Dei substantia.

Opp. 1. Illud non constituit formaliter Deum in loco, quo non posito, Deus concipitur formaliter in loco. Atqui non posito influxu Dei, imò etiam per impossibile sublato; Deus conciperetur immensus, seu formaliter in loco.

R. Tunc Deum fore immensum in actu primo, seu in se: non in actu secundo; seu non præsentem fore rebus creatis.

Urg. 1. Si ratio formalis existentiæ Dei in rebus esset Dei operatio, idem esset conceptus influxûs Dei in creaturas, & Dei præsentiæ in creaturis.

R. Futurum esse eundem conceptum, si per conceptum præsentiæ Dei in creaturis, formalis ratio per quam Deus fit à creaturis indistans, concipiatur; non verò si attendatur relatio præsentiæ, quæ fundatur in hujusmodi conjunctione & indistantia. Qui ergò Deum operari concipit, simul rationem formalem præsentiæ Dei intelligit; sed non statim apprehendit relationem, quæ ex hujusmodi exurgit præsentiâ: Undè duo conceptus necessariò sunt distinguendi. Sic etiam in rebus corporeis quantitativum contactum ab eo conceptu secernimus, quo unum corpus alteri velut loco suo præsens habetur; nihilominùs quantitativus contactus est ratio formalis, per quam corpus quantum constituitur formaliter in loco. Tria nempè sunt distinguenda: substantia, quæ præsens est in loco: ratio formalis, quâ fit præsens: & relatio præsentiæ inde exurgens.

Urg. 2. Inde sequeretur immensitatem & omnipotentiam divinam non esse attributa distincta.

R. Esse attributa distincta: priùs enim omnipotentia concipitur, quàm immensitas; quia, cum Deus contineatur in loco per operationem, debet operationis illius principium præcognosci; cum ante operationem principium concipiatur. Nostro ergo concipiendi modo omnipotentia Dei immensitate prior est; & proindè immensitas & omnipotentia diversa attributa constituere videntur: omnipotentia concipitur, ut omnis operationis principium: immensitas verò, licet quid unum sit realiter cum omnipotentiâ, concipitur tamen ut principium præsentiæ Dei in loco, & relationis, quam res ad Deum dicit. Nihil etiam implicat eandem actionem à pluribus principiis, à quinque scilicet causis, finali, efficiente, &c. proficisci. Actio ergò, quatenùs actio est, erit ab omnipotentiâ: ut est autem contactus, per quem Deus fit præsens rebus, erit ab immensitate.

Urg. 3. Æternitas, per quam Deus omni tempori coextenditur, non est operatio: ergò, nec immensitas, per quam omni loco extenditur.

R. Disparem in eo esse rationem, quòd æternitas instar mensuræ durationis concipiatur; immensitas verò per modum contactûs: inter

Deum autem & rem creatam, nonnisi contactus virtutis intercedit.

Urg. 4. Corpus quantitate suâ spoliatum, in loco formaliter esse potest; quale est corpus Christi in Eucharistiâ: ergò à pari spiritus citra contactum virtutis, in loco formaliter esse potest.

R. Corpus Christi in Eucharistiâ non esse localiter; sed tantùm per habitudinem ad species sacramentales. Qui modus existendi singularis est, & admirandus: dicitur autem esse in loco corpus Christi; quia nempè præsentibus speciebus præsens est Christus; desinentibus verò, desinit præsentia corporis Christi. Vel etiam dici posset corpus exutum quantitate esse in loco radicaliter; quia quantitas poterit fundare contactum continuum: non autem formaliter.

Opp. 2. Per illud Deus non est formaliter in loco, quod supponit Deum formaliter in loco: At operatio Dei est ejusmodi, quia operatio sequitur esse; Ergò prius est Deum esse in loco formaliter, quàm operari in loco formaliter; ita enim se habet esse secundum quid ad operari secundum quid, quomodo esse simpliciter ad operari simpliciter.

R. Operationem sequi esse simpliciter, non verò quoad hoc; sicut enim corpus absolutè prius est contactu quantitativo, & tamen est in loco, non per se, sed per illum contactum qaantitativum; ità licet Deus priùs esse, quàm operari ad extra concipiatur, non censetur tamen prius esse in rebus, quàm in illis operetur. Quod verò subjungitur verum est, quoad aliqua; non quoad omnia, ut est manifestum.

Inst. Prius concipitur Deus operari, quàm esse in loco: sic prius creare videtur, quam esse in rebus creatis; actio enim via est ad terminum.

R. Non posse concipi Deum agere in tempore, quin constituatur in loco: nec Dei actionem concipi naturâ priorem loco; quia actio, nec naturâ prior est termino, nec relatio prior relato.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrùm Deus sit extra cœlos, seu in spatiis imaginariis, & quomodo?

Conclusio. Deus non est in spatiis imaginariis, seu extra cœlos.

1. Deus non est in nihilo, seu in eo quod non datur: at ejusmodi sunt spatia imaginaria, quæ non dari, seu inane quoddam esse probant S. Gregor. Nyss. lib. 12. contra Eunom. S. Aug. lib. 2. Soliloq. c. 17. *Omninò ipsum quod inane dicitur, ex quo nihil sit, dicitur.*

2. Deus non aliter est extra cœlos, ac erat ante mundum conditum: at nullibi erat; quia tunc nihil erat; sed sibi ipse locus erat: ergò nunc extra mundum non est, sed in se ipso est.

3. Non potior est ratio, cur dicatur Deus in spatiis illis esse, quàm dicatur in temporibus imaginariis extitisse ante mundum conditum. At S. Aug. lib. 1. de Gen. contra Manich. c. 2. ait immeritò quærere Manichæos, quid Deus præstaret ante mundum conditum; cum nulla spatia temporum tunc extarent.

4. Deus non est in creaturis possibilibus: ergò nec in spatiis imaginariis: hæc enim vel supponuntur esse aliquid, vel nihil: non primùm, realia enim spatia fierent. Et vel essent quid increatum, vel quid creatum, non primum, solus enim Deus increatus; non secundùm, nihil enim est creatum, quod mundi limitibus non coerceatur: superest ergò ea nihil esse: at quod reale est, in nihilo, tanquàm in loco, esse non potest.

CONCLUSIO II. Deus dici potest extra cœlos omnipotentiâ suâ, itaut designetur potentia Dei orbis circumferentiâ non circumscribi, & posse alios mundos creare. Undè Jobi 11. ℣. 8. excelsior cœlo dicitur. Ita S. Bern. lib. 5. de Consid. c. 13. *Deus æternitas, Deus charitas est, longitudo sine protensione, latitudo sine distensione. In utroque pariter locales quidem excedit temporalesque angustias: sed libertate naturæ, non enormitate substantiæ: tali modo immensus est, qui omnia fecit in mensurâ; & quamvis immensus, hic tamen modus & ipsius immensitatis.*

OPP. 1. Isa. 40. ℣. 12. dicitur *Deus metiri pugillo aquas, & cœlos palmo ponderare.* Quæ verba, ex S. Hieron. in c. 66. Isaiæ, *Deum forinsecùs & intrinsecùs, & infusum, & circumfusum* demonstrant. S. Hilar. lib. 1. de Trin. *Deus est ultra omnia, & omnia continet.* Et certè, ut Deus actu immensus intelligatur, non satis est omnia loca ab eo occupari posse: quemadmodum, ut actu intelligens perfectissimum esse censeatur, satis non esset omnia ab eo posse intelligi; sed necesse est prætereà ut omnia actu complectatur animo.

R. Dei potentiam orbis ambitu non circumscribi; nec proindè actu extra cœlos esse. 2. Deum cœlos palmo ponderare: id est sine labore cœlos continere, non autem exteriori loco circumdari. S. verò Hieron. mentem suam sic interpretatur, ut pugillum vocet & palmum, humano scilicet more locutus: utitur quoque & mensuris, ut summa Dei potentia verbis nostris utcumque nobis insinuetur. Cum etiam à S. Hilar. dicitur Deus, non modò replere omnia; sed esse extra omnia, de Dei omnipotentiâ loquitur, quæ nullis finibus continetur. Porrò inter intelligendi facultatem & præsentiam Dei in locis, discrimen illud intercedit, quod quæcumque animo teneri possunt, reverâ divinæ menti obversantur; aut quia sunt, aut futura sunt, aut possunt existere: ut autem Deus rei sit præsens, seu ut illam aliquo contactu contingat, necesse est, ut res illa existat. Et sanè corpus, ut possit existere, suam extensionem, sine quâ non esset, omnino postulat. Idem dicendum de re ex nihilo ductâ, ut ei sit Deus præsens; prius enim est rem existere, quam ei Deum fieri præsentem.

OPP. 2. Alterum mundum huic non contiguum creare potest Deus;

quâ hypothesi positâ, aut intra spatia utrumque mundum dirimentia erit Deus, aut non; si primum; ergò in spatiis erit imaginariis: si posteriùs, ergò erit à se ipso divisus, quod implicat.

R. Negando 1. Hypothesim; si enim mundus alteri non contiguus censeretur, esset spatium aliquod inter utrumque mundum, & non esset: esset ex hypothesi: non esset autem; cum nihil esset; & proindè nec spatium. 2. Hæc forsan de Deo concipi possent, si, instar corporum, per substantiæ diffusionem loca occuparet, & per varias sui partes variis locorum partibus responderet. Deus ergò non esset in illo spatio, quod intermedium supponitur; cum nullum esset: sed in seipso, & infinitè diffusus respectu sui esset; quia potest infinita occupare spatia, sicut & creare.

Inst. 1. Nisi Deus esset in spatiis imaginariis, de novo inciperet esse in illo novo mundo, & sic mutaretur.

R. Non inciperet esse per aliquid intrinsecum; sed per aliquid extrinsecum, nempè per operationem: & sic mutatio esset in termino. Ita cum creavit, non mutatus est.

Inst. 2. Nihil seipsum continere potest, sicut nec creare: ergò Deus in seipso non est.

R. Equidem non potest quid à seipso positivè contineri, aut creari; sed potest negativè; quia non est, aut non continetur ab alio.

Inst. 3. Deus hunc mundum potest movere extra spatium, quod nunc occupat; & sic Deus prius spatium deseret, vel non: si primùm, mutabitur: si secundùm, ergò extra mundum erit.

R. 1. Hypothesim non esse admittendam, nisi Deus novum producat spatium intra quod mundus motu locali moveatur. 2. Spatium intra quod Deus esset, à Deo non deserendum fore: nam vel illud reale est, vel imaginarium; si primùm, ergò à Deo conservatur; si secundùm, ergò Deus illum non deseret; quia in illo nunquam erit; cum sit merum figmentum.

Opp. 3. Æternitas Dei omnia tempora etiam fictitia complectitur: ergo à pari immensitas omne spatium etiam imaginarium implet.

R. Deum omnia tempora imaginaria ita complecti, ut in illis non sit, sed in suâ æternitate: ita immensitatem omnia spatia complere, sic tamen, ut Deus non sit in spatiis imaginariis, sed in seipso.

Inst. Ut Deus sit infinitè bonus, debet esse id, quo nihil melius; ergò, ut sit immensus, debet esse in illo spatio, quo majus cogitari non potest.

R. neg. paritatem; sicut enim, ut dicatur omnipotens, non necesse est ut producat omnia possibilia; sed satis est, quod possit producere: ita, ut sit immensus, satis est, quòd possit occupare omnia loca possibilia.

Opp. ult. ex S. Aug. lib. 11. de Civit. c. 5. vaniloquium est dicere Deum absentem ab infinitis locorum spatiis extra mundum.

R. 1. S. Aug. non in eâ sententiâ fuisse, ut spatia imaginaria esse admittenda censuerit: quinimò hanc opinionem lib. 7. Confess. c. 1. 10.

& 14

& 14. rejecit; ibi enim fatetur in apprehendendâ essentiâ divinâ aberrasse se admodùm, quòd existimarit Deum esse substantiam infinitè diffusam, & in infinitis spatiis, & ultra cœlos, & instar substantiæ cujusdam corporeæ; quia pro nihilo tunc temporis habebat, quidquid spatio non continebatur. Porrò c. 10. docet non æquam hanc esse de Deo existimationem; nec Deum esse existimandum ut substantiam diffusam, sed ut lumen immotum, quod omnia superet. Idem lib. de verâ Relig. c. 20. ait: Spatia imaginaria fingi; cum nihil nisi corporeum animo revolvitur. Et c. 43. censet veritatem supremam quantitate corporeâ non esse diffusam; sed ultra omnia loca extendi potestate infinitâ. Item Ep. 57. ad Dardanum ait: *Quasi speciosâ magnitudine opinemur Deum per cuncta diffundi ...... sed ita potius sicut est magna sapientia, etiam in homine cujus corpus est parvum.* Et infrà, quâ ratione Deus sit in loco exponit; *ut substantia creatrix ..... ubique scilicet; quia nusquam est absens: in se ipso autem; quia non continetur ab eis, quibus est præsens, tanquam sine eis esse non possit ..... Sicut autem nec ab illo abest, in quo non habitat, & totus adest, quamvis eum ille non habeat; ita & illi, in quo habitat: totus est præsens; quamvis eum non ex toto capiat.* Undè cum lib. 11. de Civit. cap. 5. asserit vaniloquium esse Deum absentem ab infinitis spatiis sibi fingere, supposito nempè quod Deus infinitis temporis spatiis ab opere abstinere non potuerit; quosdam Philosophos impugnat, qui fuisse à Deo mundum ab æterno creatum contendebant; & ideò infinita temporum spatia fingebant, quibus Deus non operari non potuisset. Quos Philosophos argumento ad hominem S. Aug. refellit. Si infinita, inquit, fingunt temporum spatia, quibus Deus operi incubuerit necessariò: infinita etiam extra mundum spatia cogitent, in quibus Deus necessariò operetur; & sic mundos innumeros cum Epicuro admittant necesse est: *Non enim opinor in hæc vaniloquia esse progressuros*, ut substantiam Dei incorpoream à tantis locorum spatiis absentem dicturi sint; posito nempè, quòd talia spatia, qualia tenerentur admittere, excogitarent: Si verò unum agnoscerent mundum, ut agnoscebant; quærit ab eis, cur Deus in temporum spatiis illis desinat esse. *Quod si dicant inanes esse hominum cogitationes, quibus infinita imaginantur loca; cum locus nullus sit præter mundum: respondetur eis isto modo homines inaniter cogitare præterita tempora vacationis Dei; cum nullum sit tempus ante mundum.*

QUÆSTIO OCTAVA.

De invisibilitate, aut visibilitate Dei.

DEUM esse invisibilem docet Apost. 1. Tim. 6. ℣. 16. *Quem nullus hominum vidit; sed nec videre potest.* Ex aliis Scripturæ locis patet Deum esse invisibilem. Ex Matth. 5. ℣. 8. *Beati mundo corde; quoniam ipsi*

Deum videbunt. 1. Joan. 3. ℣. 2. *Cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.* Expendendum itaque quâ ratione Dei essentia videri possit, & non possit. De intuitivâ visione, non de abstractivâ, quæstio instituitur; seu de eâ visione Dei, prout in se est, non prout ex rebus creatis intelligitur.

ARTICULUS PRIMUS,

Num Deus oculis corporeis videatur, aut videri possit.

CONCLUSIO. Oculis corporeis nec videtur Deus, nec videri potest.

1. Quia si aliquo sensu est Deus invisibilis, ut reverâ est ex 1. Tim. 6. ℣. 16. Maximè quia oculis corporeis impervius est. Deindè 1. Corinth. 2. ℣. 9. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Quod autem Deus præparavit, sui visio est: ergò nec oculis, nec sensibus potest Deus percipi. Præterea 1. Joan. 3. ℣. 2. *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est. In tantum ergò*, inquit S. Aug. Epist. 6. Italicæ viduæ *videbimus; in quantum similes ei erimus; quia & nunc in tantum non videmus, in quantum dissimiles sumus. Inde igitur videbimus, unde similes erimus. Quis autem dementissimus dixerit, corpore nos, vel esse, vel futuros esse similes Deo? In interiore igitur homine ista similitudo est, qui renovatur in agnitionem Dei secundum imaginem ejus qui creavit illum.*

2. Ea est sententia SS. Patrum, S. Justini in Dial. Theop. Antioch. lib. 1. cap. 72. Orig. Hom. 3. in Cantic. lib. 7. contra Cels. ubi oculis corporeis Deum videri posse, ut calumniam Christianis falsò impositam depellit. *Falsò igitur nobis Celsus imponit dicens nos sperare oculis corporeis Deum esse visuros, & auribus vocem ejus audituros, ac manibus sensibilibus ipsum esse contacturos; verùm scimus æquivocè cum corporis oculis appellatos esse à Scripturis sanctis oculos alios.* S. Aug. Ep. 6. mox citatâ plures rationes congerit, ut idem confirmet. 1. *Quod oculis corporeis conspici potest, in loco aliquo sit necesse est; nec ubique sit totum; sed minore sui parte minorem locum occupet, & majore, majorem.* Deus non est ejus naturæ. 2. Si Deus oculo corporis videri posset, aliis quoque sensibus perciperetur: *Sonus ergò Deus erit, ut possit etiam auribus percipi? & halitus erit ut sentiri possit olfactu? & liquor aliquis erit, ut possit & bibi? & moles erit, ut possit & tangi.* 3. Si quæ caro hâc dignitate donari posset, maximè quæ Christi fuit; at non potuit Christi carni præstari, ut oculis corporeis videret Patrem: & qui id asserebant, magis desipere ait, quàm qui carnem asserunt conversum iri in substantiam Dei. *Et hoc futurum esse, quod Deus est, ut sic eam*

saltem videndo Deo faciant idoneam, non tantâ diversitate dissimilem. Epist. 111. Fortunatiano Siccensi Episcopo, istam, quæ Episcopum quemdam moverat, doctrinam, Sanctorum Patrum Athanasii, Gregorii Nazianzeni, Ambrosii, & Hieronymi authoritate confirmat; & sic se nihil novi docuisse; additque Deum futurum esse corporeum, & divisioni obnoxium, si oculis corporis objici possit. Quod verò corporis naturam immutandam fore assererent adversarii, ut ad Dei conspectum evehi posset; de sententiâ illâ pro viribus conatur deducere, probatque primò Deum soli mundo cordi esse aspectabilem, & proindè nec in loco, nec oculis corporeis percipi posse. Tùm c. 17. Deum charitatem esse, veritatem, & sapientiam, quæ corporis oculis non subjiciuntur. *A conspectu corporeo longè alienior erit, & remotior ipse fons charitatis.* Et cap. 22. Si Dei videndi facultas corpori tribui posset, fieret corpus omninò spiritale; sicque resurrectionis nostræ fides tota rueret; ut observat ibidem. Corpus quidem spiritale fiet in resurrectione, non transeundo in spiritum, ita ut totus homo sit spiritus; sed propter ineffabilem facilitatem dicetur spiritale. Addit Epist. 112. *Cum legis: videmus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem; intellige inde nos tunc visuros facie ad faciem, unde videmus nunc per speculum & in ænigmate: hoc autem utrumque interioris hominis munus est; sive cum in istâ peregrinatione adhuc per fidem ambulatur, in quâ utimur speculo & ænigmate; sive in illâ patriâ, cum per speciem contemplabitur. Pro quâ visione positum est facie ad faciem.*

Probatur tertiò ratione. Quod videtur ab oculo corporeo, ab ipso necessariò distare debet. At Deus substantialiter à Beatis distare non potest; cum ubique necessariò sit præsens.

Prætereà potentia vitalis extra fines objecti sui specificativi ferri non potest; intra autem oculi corporei objectum Deus non continetur: objectum enim specificativum oculi est visibile corporeum, seu coloratum, aut lucidum; Deus hujusmodi non est.

Insuper non potest oculus elicere actiones auditûs: ergò nec circa Deum versari potest; cum plus distet Deus ab oculo corporeo, quàm auditus.

Opp. I. Potest elevari facultas extra objectum sui specificativum; ita ignis infernus ad torquendos spiritus, Dæmones scilicet, elevatur: cum igitur determinatio naturæ non impediat, quominus per potentiam obedientialem ignis in spirituales substantias agat; cur oculus corporeus non poterit elevari ad Dei visionem?

R. negando paritatem; discrimen enim hoc intercedit inter ignem, & oculum, quòd oculus sit potentia vitalis, & vitali agat modo: vitalium autem facultatum est ad objectum singulare determinari, ad quod essentialem habitudinem & ordinem dicunt, & extra quod etiam per potentiam obedientialem ferri non possunt: at potentiæ non vitales ejus naturæ non sunt; non enim ad tale in particulari determinantur objectum; undè ignis determinatur tantùm ad ea adurenda & torquenda, quæ calore illius aduri & torqueri possunt: cum verò spirituales substantiæ huic

tormento subjacere possint, ille ignis qui corporea sola naturaliter adureret, habet à potentiâ obedientiali, ut in res incorporeas agat. Ratio autem à priori, cur potentia vitalis extra objecti sui adæquati & specificativi limites ferri non potest; indè petitur, quòd essentiæ rerum mutationi non sint obnoxiæ: si autem potentia vitalis extra objectum suum ferretur, ejus essentia penitùs convelleretur. Quodlibet ens non vitale omnipotentiæ Dei in ratione entis subjicitur, & sic potentiam Dei ad hanc, aut ad illam operandi rationem non determinat: sed facultas vitalis determinat Deum ad eliciendas operationes vitales, & circa objectum ad quod facultas dicit ordinem essentialem: sic quia homo per rationale specificatur; fieri non potest, quin non sit rationalis.

Respondent non pauci, ignem tartareum non agere physicè in Dæmones, sed duntaxat moraliter; sicque penitùs exploditur paritas adducta.

INST. 1. Tàm objectum spiritale intra limites objecti specificativi materialis potentiæ continetur, quàm objectum supernaturale intra limites objecti specificativi potentiæ naturalis: ergò sicut Deus, licet sit objectum supernaturale, videri tamen potest ab intellectu creato; ità & ab oculo corporeo possunt Deus & Angelus videri.

R. Potentiam materialem nonnisi circa materiale versari; potentiam verò spiritualem attingere quidquid continetur intra objecti sui fines; intellectûs autem humani objectum, est omne intelligibile: quod est verò naturale, solis naturæ viribus comparatur: at si sit supernaturale, intellectus fit par ad illud consequendum, modò accedat ejusdem ordinis auxilium.

INST. 2. Deus potest se oculis visibilem facere obedientialiter.

R. non posse, quia se faceret corporeum; nec potest Deus etiam, ut objectum infinitum, supplere defectum proportionis inter objectum & facultatem, quin mutet naturam oculi; esset enim oculus corporeus, & non esset.

INST. 3. Minùs distant materiale & spiritale, quàm finitum & infinitum: ergò cum creatura finita possit videre Deum infinitum, potest materialis facultas objectum spiritale assequi.

R. minùs distare in ratione entis; sed non in ratione habitudinis: ex ratione autem habitudinis, quam habet potentia ad objectum, petitur illius attingendi facultas; non ex diversâ entium naturâ.

OPP. 2. Ex S. Aug. lib. 22. de Civit. Dei c. 29. *Corporei oculi, post resurrectionem, ita spirituales fient, ut Deum ipsum visuri sint.* Invocato Dei auxilio quæstionem hanc tractandam suscipit S. Aug., statuitque 1. quæstionem gravis esse momenti & arduam, num scilicet Beati Deum visuri sint, non solùm in corpore; sed etiam per corpus, sicut nunc videmus solem? 2. ait, si hâc visione donentur oculi, alterius futuros esse virtutis Beatorum oculos. *Longè itaque alterius erunt potentiæ, si per eos videbitur incorporea illa natura, quæ non continetur loco, sed ubique tota est.* 3. Oculorum virtutem non in acutiori videndi facultate sitam fore, quæ ad aquilarum acumen accedat; quod hæc animalia, nihil aliud

quàm corpora spectare possint, *sed ut videant & incorporalia.* 4. Inexpertam nobis esse corporis spiritualis naturam; nec Scripturarum authoritatem occurrere hâc in parte, sed succurrere tantùm; ideò timendas esse cogitationes humanas. 5. Addit quod Philosophorum ratiocinatio, *quâ disputant, ita mentis aspectu intelligibilia videri, & sensu corporis sensibilia, idest corporalia; ut nec intelligibilia per corpus, nec corporalia per seipsam mens valeat intueri: si posset esse certissima, profectò certum eßet per oculos corporis etiam spiritalis, nullomodo poße videri Deum: sed istam ratiocinationem, & vera*, inquit, *ratio, & prophetica irridet authoritas.* Et infrà, *Sicut ergo constat videri corpora spiritu: quid, si tanta erit potentia spiritalis corporis, ut corpore videatur & spiritus? spiritus enim est Deus.* . . . . *Quamobrem fieri potest, valdèque credibile est, sic nos eße visuros mundana tunc corpora cœli novi, & terra nova, ut Deum ubique præsentem, & universa etiam corporalia gubernantem per corpora, qua gestabimus, & qua conspiciemus, quaquà versùm oculos duxerimus, clarissimâ perspicuitate videamus; non sicut nunc invisibilia Dei per ea, qua facta sunt, intellecta conspiciuntur, per speculum in ænigmate, & ex parte; ubi plus in nobis valet fides, quâ credimus, quam rerum corporalium species, quam per oculos cernimus corporales.* 6. Sicut modò cum videmus homines viventes, non credimus eos vivere, sed videmus, *cum eorum vitam sine corporibus videre nequeamus, quam tamen in eis per corpora remotâ omni ambiguitate conspicimus; ita quacunque spiritalia illa lumina corporum nostrorum circumferemus, incorporeum Deum omnia regentem etiam per corpora contuebimur; aut ergò per illos oculos sic videbitur Deus, ut aliquid habeant in tantâ excellentiâ menti simile, quo incorporea natura cernatur: quod ullis exemplis, sive Scripturarum testimoniis divinarum, vel difficile, vel impossibile est ostendere: aut quod est ad intelligendum facilius; ità Deus nobis erit notus atque conspicuus, ut videatur spiritu à singulis nobis in singulis nobis; videatur ab altero in altero; videatur in seipso; videatur in cœlo novo, & in terrâ novâ, atque in omni, qua tunc fuerit, creaturâ; videatur & per corpora, & in omni corpore, quocumque fuerint spiritalis corporis oculi acie perveniente directi.* Ergò ex S. August. 1. per oculos corporeos videri possunt spiritualia, & ipse Deus. 2. Philosophorum rationes, quæ hanc sententiam impugnant, & quibus ipse usus est Epist. 6. Epist. 111. & 112. nullius sunt momenti. 3. Quod addit Sanctus Augustin. de illius visionis ratione, emolliendæ illius sententiæ conducere non potest: constat enim in eâ fuisse sententiâ S. Aug. nempè per oculos corporeos videri Deum posse: apud ipsum verò non constitit, quâ ratione visio illa fieret; sic illius verba visionis modum, non ipsam substantiam spectant. Quòd autem hæc vera fuerit S. August. mens, indè etiam colligitur, quòd Epist. 112. quæstionem hanc se alibi tractaturum, cum spopondisset lib. 2. Retract. cap. 41. in hunc lib. 22. de Civit. cap. 29. quæstionem hanc se rejecisse asserit. Idem etiam habet serm. 102. de diversis cap. 14. *Poterunt*

fortè corporales oculi, cum fuerit corpus spiritale, videre essentiam divinam aliquâ vi occultâ, inexpertâ, & prorsùs incognitâ, nec ullâ æstimatione perceptâ. Et cap. 19. *Si autem caro illa tantam acceperit immutationem, ut possit per eam videri, quod non videtur in loco, omninò ità sit: sed est quærendum undè doceatur: etsi non docetur, nondum negetur; sed certò vel dubitetur; ita tamen, ut carnem resurrecturam non dubitetur.*

R. 1. S. August. locis suprà citatis fidem Ecclesiæ certò tradidisse. 2. visibilitatem Dei per oculos corporeos, tanquàm aliquid & fidei, & rationi contrarium impugnasse; undè, si de mente ejus agatur, certis illis potiùs standum erit momentis, cum solidissima sint; quàm iis sit insistendum locis, in quibus dubitanter, & de iis, quæ contingere possunt, sermonem habet. In locis porrò quæ objiciuntur, nihil certò asserit; & proindè ex illis mens ejus erui non potest, in quibus Philosophicè tantùm inquirit. In aliis autem locis Theologum agit; ex Scripturis, & Patribus sententiam suam acceptam confirmat: imò eodem in capite 29. libro 22. de Civitat. quæ possunt adversùs sententiam nostram proponi, solvit ipse; & multa addit, ex quibus novum robur accedat; v. c. solvit istud ex Job. 19. ℣. 26. *In carne meâ videbo Deum.* Et 42. ℣. 5. *Nunc autem oculus meus videt te.* Et 1. per oculos, cordis oculos intelligi posse tradit. 2. non dixisse Jobum, per carnem, se visurum Deum; sed, in carne; & si dixisset, posse Christum intelligi, qui per carnem in carne videbitur: posse ergò sic accipi, *In carne meâ ero, cum videbo Deum*, quod est resurrectionis Prophetia. 3. probat corporis ministerio non egere Sanctos, ut videant corpora, sicuti nec indiget ipse Deus: nihil igitur concedit corporeis oculis, quod corporis vires excedat; nam scripsit demonstrari posse Beatorum oculis aliquid posse concedi, cujus beneficio incorporea cernatur natura; quâ ratione indulgeretur oculis, quod eorum naturam immutaret, nec integra servaretur natura? Si consequerentur, ut ait, quòd ad animi naturam & dotes accederet. Undè sententiam, ut rationi magis consonam amplectitur, visum iri scilicet Deum à corporeis oculis in corporibus; & hanc rationem, ut faciliorem probatam habet: hoc autem nihil aliud est, quàm oculos corporeos impares asserere, qui Deum ipsum videre possint, & quæ ipsis concedenda sit visio, aliquo modo delineare, per quam videbuntur, quæ in corporibus magnifica conspicientur, undè mens Deum intelliget.



ARTICULUS SECUNDUS.

Utrùm Deus ab intellectu creato, solis naturæ viribus instructo videri possit.

INTER veteres hæreticos non defuere, qui dixerint intellectum creatum nullo egere auxilio ad videndum Deum. Sic Anomæi, quorum Principes fuere Eunomius, & Aëtius. Errorem illum posterioribus sæculis renovarunt Beguardi, & Beguinæ; quos damnavit Concilium Viennense, Præside Clemente V.

CONCLUSIO. Solis naturæ viribus instructus homo Deum intueri non potest.

1. Quia visio Dei tota gratiæ opus est Rom. 6. ℣. 23. *Gratia Dei vita æterna.* Bonorum operum præmium est Joan. 14. ℣. 21. *Qui diligit me, manifestabo ei me ipsum.* Nullum autem bonum opus ex nobis possumus elicere, nec nisi supernaturali accedente auxilio; nec proindè bonorum operum mercedem consequi; nam ut habet Apostol. nec de Deo piè cogitare & sentire, nostris solis permissi viribus possumus, 1. Corinth. 3. ℣. 5. *Non quod sufficientes simus aliquid cogitare ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Joan. 15. ℣. 5. *Sine me nihil potestis facere,* inquit Christus; quod si ergo necquidquam boni hîc præstare possimus auxilio divino destituti, neque actum fidei, neque charitatis elicere; potiori jure credendi locus non est, posse nos videre Deum; cum omnium operationum perfectissima sit visio illa, nisi divinum auxilium concessum fuerit.

2. Hanc Ecclesiæ fidem ita exponit secundo sæculo S. Iren. lib. 4. c. 35. *Visus est per Filium adoptivè: videbitur autem & in regno cælorum paternitaliter: spiritu quidem præparante hominem in Filium Dei; Filio autem adducente ad Patrem; Patre autem incorruptelam donante in æternam vitam, quæ unicuique evenit, ex eo quod videat Deum; quemadmodum enim videntes lumen, intra lumen sunt, & claritatem ejus perspiciunt; sic & qui vident Deum, intra Deum sunt, & percipientes ejus claritatem.* Idem docent S. Ambr. 4. sæculo Lib. 1. in Luc. c. 1. S. Epiph. Hæres. num. 7. *Pro suâ benignitate, ac sapientia & potentia imbecillitatem nostram corroborare ad conspiciendum dignatus est, ut quod invisibile est, & infinitum non sic videt, quà infinitum est; sed quatenùs natura fert ejus, quod assequi non potest; à Deo valens reddita, ut extensis viribus id facere possit.* Fuit æquissima Concilii Viennensis definitio.

OPP. 1. Ex S. Aug. lib. 4. de Civit. c. 27. solam nostram, quæ ex peccato oritur, infirmitatem impedimento esse, ne Deus videatur: ubi ergò sublata est hæc infirmitas, menti statim se intelligendum & videndum objicit Deus.

R. Sublatâ quidem infirmitate, quæ ex peccato oritur, removeri cau-

ſam remotam, quæ auxilii privationem meretur, aut quæ peccati effectus eſt; ſed non ideò cauſam proximam accedere, ſeu auxilium divinum, quod niſi accedat, viſionem Dei nunquam aſſequetur res creata intellectualis: Illud autem auxilium creaturæ innocenti nunquam poſt obitum negatur, aut deeſt. Unde aſſeruit S. Aug. creaturæ innocentis intellectum viſione divinâ continuò illuſtrari.

Opp. 2. Si quæ ratio auxilii ſupernaturalis neceſſitatem adſtruit, maximè quòd cognitum in cognoſcente ſit ſecundum modum cognoſcentis; undè ſecundum modum naturæ eſt cujuſlibet rei cognitio; & proindè, ſi rei cognitæ excellentia cognoſcentis naturam ſuperet, ab eâ non poteſt attingi: hæc autem ratio nulla eſt; nam oculus corporeus cœlum proſpicit; ſuperiorem Angelum novit Angelus inferior, & tamen minùs perfectæ naturæ ſunt. Aliundè intellectus licet ſupernaturali illuſtretur auxilio, ad divinam perfectionem non accedit; & proindè, ſi ratio ſuperior valeret, intellectus quilibet, quocumque etiam donatus auxilio, ad Dei viſionem ſemper eſſet ineptus, minimèque ſufficiens; cum ad idem cum Deo immaterialitatis genus evehi nunquam poſſit.

R. 1. Objectionem hanc non impetere concluſionis noſtræ fundamenta; cum rationem hanc non adduxerimus, ſed momenta alia, quæ videntur certiora: Non enim nobis conſtat, an eâ ratione fiat cognitio. 2. Licet obſcura penitùs eſſet & incognita intellectualis cognitionis ratio, incertumque eſſet, num ea in cognoſcente requiratur materialitas, quæ in objecto cognito occurrit; certum nihilominùs foret creatum intellectum ſupernaturali auxilio deſtitutum imparem eſſe Deo videndo, quod nobis ſufficit.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrùm Deus ſit incomprehenſibilis, ſeu num ab intellectu Angelico, aut humano, quocumque auxilio juvetur, comprehendi poſſit?

RETULIMUS 3. art. 1. hanc impiam fuiſſe ſimul & ſtolidam Aëtii & Eunomii ſententiam, qui cujuſmodi ſit Deus, percipere ſe perfectè; imò corporeas quidem res ſe non ita clarè perſpectas habere profitebantur. Hæc de Aëtio refert S. Epiph. Hæreſ. 76. *Hic enim cum ſuis in eam vanitatis amentiam incidit, ut ſupra mortales omnes Deum ſe non ſolâ fide, ſed naturâ ſecundum ſcientiam noſſe jactaret, quemadmodum alicubi ſupra memini, dicere illos non ſimpliciter fidei aliquâ notitiâ Deum ſibi eſſe perſpectum, ſed perindè ac quiſpiam cognoſcit quidquid oculis cernitur, aut manibus attrectatur, velut ſi in manus aſſumit aliquis lapidem aut, lignum, aut materiæ alterius inſtrumentum: ita audaciſſimus dicebat, tam Deum novi quam me ipſum, imò non tam novi me ipſum, quam Deum.* Hic non quæritur an in hac vitâ perſpectam

ctam Dei cognitionem assequamur; absurdam enim hanc opinionem q. 3. art. 1. confutavimus. Sed num hîc, & in cœlis eâ gratiâ donari possimus, ut non modò Deum ut in se est intueamur, sed ut animis nostris quidquid ad ejus naturam pertinet complectamur. Equidem hîc alter fuit error Eunomianorum. Non enim modò censuerunt ex S. Epiph. se Dei essentiam habere perspectam; sed & animo se assequi quidquid ad eam comprehensionis nomine designatam cognitionem pertinet: comprehensionis autem nomine subintelligimus adæquatam rei notitiam, quæ ex S. Aug. lib. 83. q. 14. Est cognitio in claritate ac repræsentandi ratione æqualis, vel superior objecto suo.

CONCLUSIO. Deus absolutè comprehendi non potest. In hac quæstione probandâ non immorabimur. Præterquam quod enim Eunomiana hæresis 4. sæculo stoliditatis & impietatis unanimi omnium consensu fuit damnata; Scripturæ etiam authoritas, antiquorumque expositiones ita perspectæ sunt, ut vel expositione non egeant. Accedunt adhuc vel ipsis attendentibus rationes, quæ menti, vel omnem scrupuli locum eximant. Job. c. 11. *Forsitan vestigia Dei comprehendes, & usque ad perfectum, omnipotentem reperies* c. 36. ℣. 26. *Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram.* Jerem. 32. ℣. 1. *Magnus consilio & incomprehensibilis cogitatu.* Rom. 11. ℣. 39. *Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus*, 1. Tim. 6. ℣. 16. *Lucem habitat inaccessibilem.* Si igitur nec captu comprehendi, nec reperiri usque ad perfectum, nec vel ejus viæ investigari possint, & nullus ad ejus lucem accessus pateat; non est qui de perfectâ ejus cognitione obtinendâ, quis possit cogitare. Unde SS. Patres, etiam ante Hæresim Eunomii exortam, hanc docuere fidem, probationibusque firmarunt. Sanctus Irenæus libro quarto, capite 37. *Igitur secundum magnitudinem non est cognoscere Deum; impossibile est enim mensurari Patrem.* Sanct. Epiphan. Hæres. 70. Infinitum Deum ait videri, non ut se habet infinitum, *sed quomodo capere natura potest.* Videre nos posse Deum, non verò comprehendere duplici similitudine sic explicat. Veluti si quis per angustum foramen cœlum aspiciat, ac dicat, *video cœlum; non utique mentietur; videt enim reverâ cœlum. Ac si quis dicat, non vides cœlum; nec iste mentietur: tam enim qui ait vidisse non mentitur, quam qui ei dicit non ipsum vidisse, vera loquitur; quippè non vidit illius exporrectionem, neque latitudinem;* subjicit aliud exemplum. *Sanè accidit, ut ex alto montis vertice mare prospiciamus, quod si nos illud vidisse dicamus, non mentimur; neque si contradixerit aliquis, ac vidisse nos negaverit, non ille verum dicet; propterea quod, cum homo sit, quò illius latitudo, aut longitudo, quò altitudo pertingat, quamque alti sint voraginis illius recessus, sed nec & illius effecta, pervidere potest.* S. Aug. ait Deum à nobis non posse comprehendi, quia infinitus est; & seipsum solum comprehendere, quia seipsum complectitur: hominem autem non posse sic Deum attingere, quia finitæ virtutis est. Ita lib. 12. de Civit. c. 18. *Quapropter si quidquid scientiâ comprehenditur, scientis comprehensione*

finitur; profectò & omnis infinitas quodam ineffabili modo Deo finita est, quia scientiæ ipsius incomprehensibilis non est. Et lib. 83. q. 14. *Omne*, inquit, *quod se intelligit, comprehendit se; quod autem se comprehendit, finitum est sibi: & intellectus intelligit se: ergo finitus est sibi; nec infinitus esse vult, quamvis possit; quia notus sibi esse vult*, Serm. 38. de Verb. Domini c. 3. sic habet, *Attingere aliquantulum mente Deum, magna beatitudo est: comprehendere omnino impossibile*; Deus ergò comprehendi non potest; quia mensurari non potest; utpotè infinitus: sed videntium captu videtur, seu non videtur quoad latitudinem, nec totus circumspicitur penitùs, nec scientis cognitione finitur: hæ sunt etiam aliorum SS. Patrum rationes, ut SS. Basilii, Greg. Naz. Greg. Nyss. & cæterorum, qui veritatem Catholicam adversus Eunomianos propugnarunt.

Nec potest intellectus creatus ad eum cognitionis modum evehi, qui essentiæ divinæ infinitam potentiam, aut perfectionem adæquare possit; Deus enim esset: Ergò Deum comprehendere non potest; cum comprehensio sit potentiæ cum objecto adæquatio; utpotè omnium cognitionum nobilissima; & proindè ex omni parte absolutissima; Deus ergò solus sibi æqualis seipsum potest comprehendere, seu sibi ipsi in cognitione adæquari.

Opp. Quod est simplicissimum, qualis est Deus; & visione clarâ, seu intellectivâ videtur, comprehendi necesse est: quidquid enim non videretur, aut Deus esset, aut quid Deo adventitium. Si primum: ergò clara non esset Dei visio; cum quod Deus est, non videretur: secundum autem dici non potest; quia nihil in Deo est, quod non sit Deus: Ergò Deus videtur totus; quia est simplicissimus; videturque totaliter intuitivè, seu sicuti est.

R. Videri Deum totum; quia est simplicissimus, seu nihil esse formaliter in Deo, quod à Beato intuitivè non videatur; non verò ita videri perfectè, seu totaliter à Beato, ut cognitionis perfectio essentiæ Dei adæquetur; & itaut, tam perfectè cognoscatur, quam possit cognosci: aliquid autem videri potest, licet cognitio totum perfectioni ejus non respondeat; sic eædem stellæ oculis & menti aratoris, astronomii, & navis gubernatoris objiciuntur; aliter tamen à rustico, aliter tamen ab astronomo; aliter à navis gubernatore perspiciuntur.

Inst. 1. Ideò Deus intuitivè potest conspici; quia intelligibilis est: igitur comprehendi quoque potest; quia comprehensibilis est.

R. comprehendi quidem posse, sed à seipso solo.

Inst. 2. Vident Beati comprehensionem, quâ seipsum Deus comprehendit.

R. Videre intuitivè; sed non omnibus modis, quibus videri potest, seu comprehensivè; seu ratione eâ infinitâ, quâ Deus seipsum novit. Esto enim homo sit comprehensivus, ut est intellectivus; potest alia animo assequi, non Deum; quia is est Deus, ut à seipso solo comprehendi possit.

Inst. 3. Deus infinitâ ratione conspicitur; quia modi omnes,

quibus Deus visibilis est, & communicari potest, imò & ratio illa infinita, quâ seipsum novit, perspecta sunt Beato: ergò Deus comprehenditur.

R. Videri quidem Deum; sed non infinitè, seu in genere visionis æque perfecto, ac seipsum videt: nec conspici, nisi in communi, omnes & singulares modos, quibus Deus communicari potest.

INST. 4. Ad comprehensionem non requiritur, ut res videatur perfectissimo cognitionis genere, quo videri potest; alioquin Angelus muscam non comprehenderet; quia longè perfectiori ratione eam Deus habet cognitam.

R. Ad comprehensionem satis esse, si rem cognitio, aut æqualis, aut superior attingat: muscam autem cognitione æquali, & superiori assequitur Angelus: per accidens est ad illam agnoscendi rationem, quòd Deus perfectiori modo cognoscat: cum verò Deus animo obversatur, quælibet, & cujuslibet cognitio Deum æquare non potest, nedum superare.

INST. 5. Non est potior ratio, cur tota divinitas naturæ humanæ hypostaticè unita sit, quàm quòd ipsa natura divina uniatur tota objectivè intellectui creato.

R. Naturam divinam humanæ naturæ fuisse unitam; non quidem secundum omnem modum, quo uniri potest; sed secundum humanam capacitatem, quæ finita est; & proindè non infinitâ ratione: ad rationem verò comprehensionis requireretur conjunctio infinita Essentiæ Divinæ in ratione objecti cum intellectu creato; quod implicat.

INST. 6. Cognitio divina, & proindè comprehensiva menti humanæ potest conjungi, sicut Verbi personalitas humanitati; sicque Deus comprehendi potest ab intellectu creato.

R. Non posse fieri conjunctionem illam cognitionis divinæ cum humano intellectu: cognitio enim non potest non proficisci à principio interno quod cognoscit; quid enim cognitio est? mentis scilicet cognoscentis actio: conjunctio autem personæ divinæ cum hominis naturâ nihil ejuscemodi exigit: sed uniri solummodò in ratione termini; & naturam complere perfectiùs longè, quàm per propriam subsistentiam terminaretur: sed & cognitio increata menti creatæ non posset inesse, seu conjungi aliâ ratione, quàm inadæquatè: sic nec Verbi persona unitur naturæ humanæ infinito modo; sed duntaxat finito: undè positâ etiam hypothesi non possibili, nec comprehenderetur Deus: ejus enim natura cognitione illâ non posset circumscribi, vel adæquari. Addo, si daretur lumen gloriæ infinitum (quod meritò negatur possibile) creatus intellectus eo adjutus Deum non comprehenderet; quia lumen illud aliquid esset creatum, ac infinitum duntaxat per participationem, & in aliquo genere.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrùm intuitiva Dei visio possibilis sit, & utrùm illius visionis possibilitas demonstrari possit?

JAM exposuimus quid non possit assequi humana natura circa Dei visionem: superest modò expendendum, an assequendæ intuitivæ Dei visionis spes nobis superesse possit; seu an eam consequi possimus; & quibus argumentis, an Theologicis, an merè naturalibus, illam visionem esse possibilem liceat demonstrare.

Circa primam hanc quæstionem observat S. Gregor. lib. 18. Mor. c. 28. aliquos eo in errore fuisse, ut existimarent Sanctos non intueri ipsam Dei naturam, sed tantùm excellentem quamdam claritatem à Deo manantem. Idem Armenos sensisse testatur Guido Carmel in suâ Summâ de Hæresib. Eumdem etiam professus est errorem Petrus Abailardus, ex S. Bernard. Epist. 190.

CONCLUSIO I. Possibilem esse Dei visionem intuitivam fides docet. Probatur: dari posse aliquid, maximè inde constat, cum jam concessum fuit: cum promittitur ab eo, qui non potest fallere, & qui est omnipotens: sine quo deniquè infelix homo esset. Visio autem intuitiva jam Angelis fuit concessa: filiis Dei promittitur: & sine eâ homo infelix esset, cum sit ejus unica beatitudo.

Angelis fuit jam concessa, Mat. 18. ℣. 11. *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei.*

2. Hominibus in virtutis præmium promittitur, Math. 5. ℣. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Joan. 14. ℣. 21. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Hæc autem visio proculdubiò intuitiva est, & distincta ab abstractivâ, seu obscurâ, quam hîc consequimur, ex 1. ad Cor. cap. 13. ℣. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem.* 1. Joan. 3. ℣. 2. *Cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est.* Apoc. 2:. ℣. 4. *Videbunt faciem ejus.* Cum ergò verba Scripturæ proprio sensu & obvio sint exponenda; & visio futura non sit ænigmatica; proculdubiò est intuitiva, seu Dei conspectus ut in se est. Authoritates SS. Patrum recensere supervacaneum esset: res enim apud ipsos indubitata est; & art. 6. plerasque referre tenebimur. De solis illis Patribus agendum nunc erit in objectionum solutione, de quorum sententiâ dubium movetur.

3. Visio Dei intuitiva unica est hominis beatitudo; hæc enim in alio, quàm in Deo intuitivè viso non potest consistere: nisi igitur possibilis sit Dei visio intuitiva, finem suum anima rationalis non poterit consequi: at benignitati divinæ consentanea non cogitaret, qui de Deo ita sentiret; præsertim cum hominem ad imaginem suam effinxerit, tamque præstantibus beneficiis illum exornarit. Et certè, vel naturam divinam Bea-

ti viderent, vel claritatem aliquam: at in Deo nihil est aliud ejus claritatem videre, aliud illius naturam; ut probat S. Greg. lib. 18. Moral. in Job. cap. 28.

Oppon. 1. Math. 5. & 1. Cor. 13. Non magis tradi visionem Dei intuitivam ut possibilem, & in cœlis concedendam, quàm Gen. 32. ℣. 30. & Num. 12. ℣. 8. ubi dicuntur Jacob, & Moyses vidisse Deum facie ad faciem, seu visione oppositâ ænigmaticæ; nec sufficeret dicere loca illa Gen. 32. & Num. 12. restringi per verba, quæ habentur Exod. 33. ℣. 20. *Non videbit me homo, & vivet* &c. Eâdem enim ratione Math. 5. & 1. Corinth. 13. verborum sensus, coërcerentur. Sicut enim in veteri Testamento docemur Deum videri facie ad faciem, & aliquatenùs non videri, nec conspici posse: ita in novo proponitur Deus aliquandò visibilis in cœlis, scilicet facie ad faciem; & quandóque invisibilis, ut 1. Tim. 1. ℣. 17. & cap. 6. ℣. 16. dicitur *Lucem habitare inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.*

R. Loca Gen. 32. & Num. 12. facilè explicari; cum tam apertè Ex. 33. proponantur, ibique tradatur, quæ visio Moysi fuerit concessa, ut art. 5. fiet compertum: loca verò Math. 5. 1. Cor. 13. & alia non coarctantur verbis 1. Tim. 1. & 6. ita enim apertè intuitiva Dei visio promittitur, ut nec dubitationi ulli locus sit; hæc autem loca 1. Tim. 1. & 6. intelligenda sunt de visione naturali, aut de illâ quæ in hâc vitâ conceditur; itaut Deus videri non possit ab intellectu creato, qui solis naturæ viribus instructus erit; nec etiam intuitivè in hâc vitâ, posito nempè decreto divino, de non concedendâ viatori hujusmodi visione: aliundè quæ in veteri Testamento referuntur, figurativè sunt intelligenda ex Apost.

Opp. 2. Visionem Dei intuitivam impossibilem esse docent S. Basil. lib. 1. cont. Eunom. *Non solùm homines, sed etiam ratione præditam naturam omnem arbitror superare comprehensionem illius; ratione porrò præditam dico naturam, quæ quidem creata sit: nam soli Filio cognitus est Pater, necnon Spiritui Sancto.* S. Greg. Naz. orat. 34. S. Greg. Niss. lib. 12. cont. Eunom. S. Cyrill. Hierosf. Catech. 6. docent Angelos videre Deum, non sicuti est, sed quantùm capere possunt; & Catech. 7. vident Angeli *faciem Dei pro mensurâ quisque ordinis sui; cæterùm pura & liquida Patris visio, propriè Filio, & Spiritui Sancto reservatur.*

R. Patres illos de perfectâ seu comprehensivâ Dei visione loqui, ut ex eorum verbis sit compertum, & ex eorum adversùs Anomæos proposito, seu de eâ cognitione, quæ personis divinis competit: qui etiam loquendi modus frequenter occurrit in aliorum Patrum scriptis, ut S. Epiphan. S. Hieron. S. Cyrill. Alex. Euth. & aliorum, quos ideò qui arguit erroris, hallucinatur graviter.

Inst. 1. Patres non solam divinæ naturæ comprehendendæ potestatem Angelis, Prophetis, & cæteris Sanctis denegant; sed etiam omnem penitùs Essentiæ divinæ visionem intuitivam: imò etiam probationes

omnes, quæ visionem divinam possibilem inducere videntur, confutant, ut S. Chrysost. hom. 14. in Joan. in hæc enim verba, *Deum nemo vidit unquam, unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit; Deum*, inquit, *cujusmodi est in se, non solùm Propheta, sed nec Angeli viderunt, nec Archangeli; sed, si ipsos interroges, audies nihil tibi quidem de substantiâ ipsâ respondentes; verùm gloriam in excelsis tribuentes Deo, & in terrâ pacem hominibus bonæ voluntatis* &c. *Solus ipsum videt Filius, & Spiritus Sanctus: etenim natura creata omnis, quì tandem increatum illum potest videre? nam si qualiscumque virtutis corporis expertis, tametsi facta sit, claram contemplationem capere non possumus, idque sæpe in Angelis ostensum est, multò magis illius ferre non poterimus, quæ & corpore caret, & est increata.* Et posteà *Quod autem videri ipse nequeat, non solùm ab hominibus, sed neque à cœlestibus virtutibus, Paulus ostendit: cum enim dixisset* 1. Tim. 3. *manifestum esse illum in carne; subjecit statim, visum esse Angelis: itaque Angelis etiam ipsis tunc visus est, quando carnem induebat; anteà verò non sic illum videbant; quoniam ipsis etiam non erat aspectabilis substantia.* Verùm subinde objicit sibi Matth. 18. verba Christi, *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est*, ac respondet non sequi videri ab illis essentiam ipsam, sed perindè intelligendum illud esse, atque hæc Math. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt; nempè mentis intuitum, qui ad captum nostrum temperatus est, & notionem Dei, prout eam habere possumus: sic etiam in Angelis ait illud accipiendum esse, scilicet propter puram ipsorum naturam*, nihil ipsos aliud præterquam Deum animo unquam videndum sibi proponere: quò etiam pertinere ait illud Math. 11. *Nemo novit Patrem nisi Filius. Quorsùm istud*, inquit, *an omnes in ignorantia versamur? absit, sed nimirùm nemo novit, ut Filius: Quemadmodùm ergò multi illum viderunt, pro eo ac videndi capaces erant; ejus verò essentiam nemo vidit illorum; sic multi Deum novimus: hujus autem essentiam nemo scit, hoc est, quid tandem ea sit, præter illum solum, qui ab ipso genitus est.* Et in Orat. 3. cont. Anom. de incomp. Dei naturâ, ait Angelosnec investigare Deum, nec videre, nec percipere posse; solumque Filium, & Spiritum Sanctum cognoscere: neque Angelos ipsam Dei sustantiam intueri; sed Deum sese demittere, & eorum infirmitati & captui attemperare; sicque videre Angelos non Dei essentiam, sed aliquid sibi attemperatum.

R. S. Chrys. solam comprehensionem excludere. Cum enim Anomæos impugnaret, qui, ut observatum est, se tam perfectè Deum nosse, ac Deus ipse semetipsum cognosceret, jactitabant; ideò pro viribus insanam illam opinionem impugnaturus, duo aut tria protulit, quæ difficultatem non parerent, si disputationis scopus spectaretur. Nam 1. probandum suscipit Dei visionem, quæ nobis & Angelis conceditur, cum visione, quâ Filius Patrem cognovit, non esse comparandam; cum hæc Dei comprehensio sit; nec talem dignitatem assequi possit nostra cognitio, nemo Patrem novit ut Filius, Math. 11. *Nemo cognovit ipsam Dei*

substantiam, qualis est, nisi solus unigenitus, qui certam notionem & comprehensionem habet, qualem de Patre habere Filium par est. Rationemque addit: *Nam in sinu Patris esse, majus quiddam est, quam videre: qui enim tantùm videt, non certam habet rei visæ cognitionem: qui verò sinu immoratur, omnia ei perspicua sunt, & certa.* 2. Deum ait aspectabilem Angelis fuisse factum, ubi naturam humanam induit; quòd nempè naturæ Angelicæ vires natura humana non excederet: non ita autem se habere naturam divinam respectu Angelorum; incomprehensibilemque illis esse, sicut mare incomprehensibile est urinatoribus, & Sol invisibilis viatoribus: ubi tria distinguit, videre, penetrare, & comprehendere. Idem Hom. 3. de Incompreh. sic habet, *Nemo propiùs accedere potest ad inaccessibile: exempli gratiâ (incomprehensibile dicimus) quod subeuntes urinatores, multumque altitudinis transmittentes, fundum attingere nequeunt: inaccessibile, quod nemo urinari tentet, & metiri.* Ergo ex S. Chrysost. accedere quidem possunt ad mare urinatores; illud tamen totum pervadere aut comprehendere nequeunt: ita licet Deus videri possit; quià tamen totaliter videri nequit, ideò nec potest comprehendi. Alia duplici comparatione illustravit S. Epiph. discrimen inter visionem intuitivam, & comprehensionem; nempè ex mari, quod ex editâ speculâ, & ex cœlo, quod per angustum foramen conspiceretur. Cæterùm quòd solam comprehensionem excludat, patet ex S. Chrys. Hom. 3. de Incomp. *Non ignoro adversarios nostros verbis meis insolentiam summam objecturos, quòd ne supremis quidem virtutibus Deum esse comprehensibilem judicem.* Et infrà, *Non pari modo nos atque virtutes Deum incomprehensibilem agnovimus, perfectiùs perfectiores noverunt.* Hom. 4. *Postquam nuper ostendimus Deum incomprehensibilem esse, etiam Cherubim ipsis & Seraphim ...... Quid restat ut ostendamus Dei exquisitam comprehensionem habere non posse Angelos, aut ullam rem creatam, ... quoties Deum audio nullum vidisse; illud intellige, nullum esse, qui substantiam exquisitâ ratione perceperit*: quod repetit Homiliâ quintâ, ubi ait Deum à solo Filio, & Spiritu Sancto exquisitâ ratione cognosci: *substantia namque superiorem substantiam nunquam perfectè intelligere potest.* Nec mirum esse; cum nec noverimus quid sint Angeli, & quid simus. Idem Homiliâ 34. in c. 13. 1. ad Cor. ait neminem habere manifestissimam Dei cognitionem. Sic unicam Dei comprehensionem Angelis & hominibus negat, quæ Filio & Spiritui Sancto competit, quam vocat exquisitam Dei cognitionem: non verò negat visionem intuitivam Sanctis: imò illâ frui Sanctos etiam tunc temporis agnoscit, Hom. 3. in Ep. ad Philip. *Justi, sive hic, sive ibi; cum Rege sunt, atque ibi quidem multò magis propiùs, non quasi quodam interjecto vestibulo, non per fidem; sed facie ad faciem.* Eadem prorsùs verba repetit Hom. 69. ad pop. Antioch. Et Hom. 10. in 2. Epist. ad Cor. *Si cogitatio eorum, qui adhuc vivunt, quamvis obscura sit; tantam suppeditat voluptatem; cogita quantam lætitiam nobis allatura sit manifesta ipsa visio.* In Orat. de S. Philog. *Hîc quidem nemo Deum vidit; illic autem qui adsunt, perpetuò vident, quatenus illum vi-*

dere licet, non solùm præsentem, verùm etiam gloriæ splendore condecorantem universum cœtum.

INST. 1. Sanct. Chrysost. visionem illam vocat condescensum & attemperationem.

R. Ita vocasse, ut opponeret eam comprehensioni, non visioni intuitivæ; ita condescensum illum ipsemet explicat Hom. 3. de incomprehens. *Cum Deus, non, ut est, se ostendit; sed quoad videre is potest, qui aspectum ejusmodi meruit, eatenùs firmitate videntis suam repræsentationem metitur ac temperat, condescendere illum dicimus.* Et infrà: *Deum namque incomprehensibilem esse, non pari modo nos, atque virtutes cognovimus; quia perfectiores perfectiùs norunt.* Quod argumenti genus adversus Anomæos sæpiùs repetit. Ex quibus colligeret quis, quàm iniquè proferre non dubitarint quidam, à S. Chrysost. intuitivam cognitionem à comprehensivâ non fuisse distinctam. Theologis illis hæc excidunt, qui levem, aut nullam in Verbi divini, & Patrum lectione collocatunt operam.

OPP. 3. Theodoret., S. Chrysost. discipulus, attemperatam quidem Dei speciem Sanctorum oculis objici fatetur: Eam autem negat esse divinæ essentiæ conspectum, in Dial. 1. *immutabilis.* Cum enim ageret contra Eutychianos, qui nihil corporeum in Christo post resurrectionem superesse contendebant; Christum habere adhuc corpus ex eo probat, quòd se aspectabilem & videndum præbuit, ratione scilicet corporis; cum substantia Dei sit penitùs invisibilis.

Ut autem ab illo argumento se se expediat Eranistes, seu Eutychianus, qui cum Orthodoxo pugnat, objicit Patriarchas in Antiquo Testamento vidisse Deum; & proindè non esse admittendum corpus in Christo, ut posset videri. Orthodox. reponit, nec visam fuisse à Patriarchis Dei substantiam; nec etiam videri ab Angelis; sed aliquid aliud accommodatum eorum viribus, & naturæ. Eran. ait, *Et tamen dictum est quod viderent.* Orthod. *dictum est; nos verò, & piis cogitationibus utentes, & divinis asseverationibus credentes, quæ disertè affirmant, quod Deum nemo vidit unquam, dicimus ipsos non divinam naturam vidisse, sed visiones quasdam ipsorum captui accommodatas.* Eran. Ita dicimus. Orth. *Sic ergò de Angelis intelligamus; audientes, quod semper vident faciem Patris vestri: non enim vident divinam substantiam, quæ nec circumscribi, nec comprehendi, nec mente percipi potest, & quæ universa comprehendit; sed speciem quamdam ipsorum naturæ accommodatam.* Eran. *Hæc ita se habere, in confesso est.* Orthod. *Post Incarnationem verò, visus est etiam Angelis, secundum divinum Apostolum, non in similitudine gloriæ, sed vero ac vivo utens quasi velamine carnis integumento; manifestatus est enim, inquit, Deus in carne justificatus est, in spiritu ejus Angelis.* Ergò tùm ex Catholicorum, tùm Hæreticorum consensu, divina substantia videri non posse credebatur.

R. Vel Theodoretum, per speciem illam, quam vident Angeli, intelligere aliquid creatum, vel aliquid increatum; non prius, alioquin in

re creatâ

re creatâ summum hominis bonum constitueret: si posterius; ergò Deus illud erit.

2. Dum dicit Angelos non videre Dei substantiam, nihil aliud excludit, quàm comprehensionem; addit enim, *Ideò non videre, quia nec circumscribi, nec intelligentiâ comprehendi potest: non circumscribi*, ἀπειρούντι, quæ universa comprehendit: sed speciem quamdam ipsorum naturæ accommodatam præberi. Idem in Ep. 1. ad Tim. in hæc verba c. 6. lumen habitat inaccessibile; *habet enim*, inquit, *naturam, quæ nec circumscribi potest: si autem habitat lucem, ab eâ circumscribitur: si autem ad lucem, quæ est circa ipsum, accedi non potest quomodo potest; ipse conspici?* Unde subjungit, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest; eâ scilicet visione, quâ circumscribatur, seu quâ comprehendatur: visionem verò intuitivam non excludit, quam justis in alterâ vitâ concedit in Epist. ad Ephesios hæc verba exponens, *ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ. Nunc enim, inquit, bonorum, quæ sperantur, magnitudo est quidem omninò ignota fidelibus; fideles autem vident tanquam in speculo & in ænigmate; per fidem enim ambulant, non per speciem: tunc autem videbunt facie ad faciem.* Vel inde compertum fit Theodoretum de substantiæ Dei conspectu loqui, cum humanæ Christi naturæ visionem fidelibus & infidelibus concedit; *Tunc*, inquit, *fideles & infideles videbunt naturam ex nobis sumptam ab omni creaturâ adoratam, & sanctos unà regnantes.* Dei autem visionem justis solis concedi, ut dogma ubique receptum supponit. In L. de vitâ S. Euseb. ait Eusebium videre in cursûs metâ agonothetam, qui labores magnificâ mercede remuneratur. Is alius à Deo non est. *Ad cursus metam pervenit, & agonothetam cernens, & coronas desiderans: agonotheta remunerationum magnificentiâ labores superat: ego verò visione illâ frui cupio.* Idem in vitâ S. Jacobi Anachoretæ. *Reliquias Martyrium*, inquit, *undique sibi comparare studuit, cum Sanctorum populo habitare cupiens, & cum eis resurgere, divinoque conspectu potiri* θεωρίας ἀξιωθῆναι ϑείας.

INST. Ex Theod. in 13. ad Cor. *Videmus facie ad faciem; non videmus Dei naturam, quæ cerni non potest; sed eam, quæ de nobis sumpta est: hìc videmus symbola Domini; illìc ipsum Dominum.*

R. Theodoretum de ratione naturali cognoscendæ Christi humanitatis, non de beatitudine agere; nam eam visionem concedit fidelibus & infidelibus, in Ep. ad Eph. quæ proindè non est visio beatifica.

Et quidem fatendum est non fuisse quæstionem motam cum Eraniste de Deo incomprehensibili; sed adversùs Eunomianos: inter disputandum autem adversùs Eutychianos, hæc addidisse Theodoretum, quòd eo tempore hæresis illa foret quoque convellenda; hoc autem Patribus est familiare, ut subindè adversùs hæreses grassantes adjungant plurima.

Si de S. Chrysost. & Theod. doctrinâ judicium etiam ferre liceat ex receptâ tunc temporis, & anteà in Oriente sententiâ; eorum scripta illustrare in promptu esset, ex infrà art. 6. adducendis, ubi de visione

Dei actu Sanctis concessâ agendum erit: ex SS. enim Basilio, Gregorio Naz. & Nyss. constabit, eam actu illis concedi, creditum tunc fuisse.

Opp. 4 Facultas finita nequit attingere objectum infinitum: at intellectus creatus finitus est; Deus verò infinitus.

R. Facultatem finitam attingere objectum infinitum, non quatenùs infinitum est; sed ut est in se visibile, seu intelligibile: cum ergò Deus sit visibilis, licet infinitus; eum attingere valet Beatorum intellectus.

Inst. 1. Objectum infinitum nequit attingi, nisi modo infinito; quemadmodùm objectum supernaturale non potest percipi, nisi modo supernaturali; & objectum spiritale, nisi modo spiritali.

R. necesse non esse, ut objectum infinitum, Deus videlicet, percipiatur modo infinito, nisi à potentiâ infinitâ, qualis est mens increata; quia non attingitur Deus sub eâ ratione, quâ infinitus est; sed quâ visibilis; & attingitur ratione finitâ, & supernaturali, à facultate finitâ supernaturali auxilio adjutâ: objectum verò spiritale non est sensibile, ut attingatur à potentiâ corporali; nec potest percipi, nisi modo spiritali.

Inst. 2. Visio objecti infiniti necessariò debet esse infinita; quandoquidem pro perfectionum objecti incremento, major est cognitionis perfectio; ideóque objectum infinitum necessariò percipitur modo infinito.

R. Visionem objecti infiniti debere esse infinitam extrinsecè (ut loquuntur) terminativè, seu objectivè; non verò entitativè formaliter & extrinsecè; nec cognitio ad objecti majestatem debet accedere; fieret enim inde, ut existentiæ Dei cognitio censeretur infinita.

Inst. 3. Non magis facultas finita potest attingere objectum infinitum, quàm locus finitus continere corpus extensum infinitè.

R. Æquari locum corpori quod continet; non facultatem objecto: licet enim oculus v. c. montem videat, illum non proindè continet.

Opp. 5. Facultas comprehensiva ordinis creati, nequit elicere comprehensionem objecti increati: Ergò similiter potentia intellectivâ ordinis finiti absolutè non potest elicere visionem objecti infiniti, scilicet Dei.

R. Comprehensionem esse potentiæ cum objecto adæquationem; non autem simpliciter objecti conspectum. Hinc S. Aug. Serm. 38. de Verb. Domini. *De Deo, quid mirum, si non comprehendis? si enim comprehendis, non est Deus. Sit pia confessio ignorantiæ, magis quàm temeraria professio scientiæ. Attingere aliquantùm mente Deum, magna beatitudo est; comprehendere autem, omninò impossibile.*

Conclusio II. Possibilem absolutè intuitivam Dei visionem ratio suadet, & demonstrat, saltem negativè: quia non implicat eam dari: Non enim repugnat, neque ex parte Dei; quia Deus omnipotens tam eximium bonum concedere potest: nec ex parte hominis; potest enim ad hanc visionem creatura intellectualis extolli.

Conclusio. III. Possibilem Dei visionem ratio non demonstrat positivè.

Non enim demonstrat ratio positivè, quod solius naturæ viribus adjuta

non novit: visionem autem intuitivam non novit ratio solis naturæ viribus innixa 1. Cor. 2. ✝.9. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ Deus præparavit iis, qui diligunt illum.* Si ergò naturaliter homo non novit visionem Dei intuitivam, quæ est bonum diligentibus Deum præparatum, nedum potest illam possibilem naturaliter demonstrare. Undè S. Aug. Ep. 112. Paulinæ c. 5. *Scimus Deum posse videri: non debui dicere, scimus, sed credimus: quia scriptum est in eâ scripturâ per quam fideles sumus, quòd verum sit minimè dubitamus.* Et c. 1. *Cur credimus eum videri, nisi quia scripturæ accommodamus fidem?* Idem lib. 13. de Trin. c. 7. *Non potest inveniri unde aliquis sit beatus, nisi à Deo.* Et c. 9. *Fides hominem verè beatum futurum, non argumentatione humanâ, sed divinâ authoritate promittit:* si ex solâ fide, & non ex ratione humanâ, veræ beatitudinis cognitionem acceptam habeamus, nihil est in naturâ, quo vel illius beatitudinis cognitionem acceptam habeamus; nihil est in naturâ, quod vel illius beatitudinis possibilitatem indicare, nedum demonstrare possit. Nec mirum; cum ea sit entitativè, seu absolutè supernaturalis: quæ verò sunt ejusmodi, ut sanctæ Trinitatis, & Incarnationis mysteria, demonstrari nequeunt.

Deindè quæ potest afferri demonstratio, vel à priori, vel à posteriori colligitur: visionis intuitivæ possibilitas à priori non potest demonstrari; nulla enim occurrit causa, ex quâ necessariò possit inferri: omnipotentiam enim Dei licet noverimus, hunc aut illum effectum esse possibilem definire non subit.

Non etiam demonstratur à posteriori; nullus est enim effectus, qui cum, intuitivâ visione necessariam connexionem habeat; non appetitus naturalis, nihil enim natura nobis frustrà ingeneravit, nec natura duce impossibilia penitùs appetimus: igitur appetitus naturalis, qui illi veritati probandæ posset inservire; tam naturalis quoad intentionem, quàm quaod assecutionem necessariò futurus esset; talis porrò appetitus visionis beatificæ si daretur, naturalis tantùm esset quoad intentionem, non quoad assecutionem; indigeret enim anima rationalis auxilio supernaturali, ut ad hanc Dei visionem elevaretur: appetitus etiam naturalis, rem possibilem non semper demonstrat; naturali enim desiderio in perennem & perpetuam corporis & animæ conjunctionem ferimur: animæ separatæ corporibus suis iterum adunari desiderant: & in omnes formas possibiles inclinatur materia: Indè tamen qui & mortis, seu corporis dissolutionis impossibilitatem, simul & resurrectionem possibilem, & omnia futura esse corpora, quæ possunt esse, demonstranda susciperet, nihil penitùs promoveret; sic licet illius visionis daretur appetitus naturalis, qui tamen non datur, inde nihilominus non demonstraretur ejus possibibilitas. Nec ideò hic, sicut & ejusmodi alii appetitus inefficaces, dicendi essent frustranei, quia multos ob fines alios incognitos nobis sunt inditi.

Addimus appetitum beatitudinis illius nullum inesse homini, sive innatum, sive elicitum: Primus enim est ad id, quod appetitur, naturale pondus, aut inclinatio. 2. ex finis, & eorum, quæ ad finem comparan-

dum conferunt, notitiâ emanat. Innatum esse homini beatitudinis in communi appetitum certò constat; nemo enim est qui felicitatis consequendæ desiderio non teneatur, qui non amore bonum, & odio malum prosequatur. Undè S. August. Enchirid. c. 105. *Aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, quâ beati sic esse volumus, ut esse miseri non solum nolimus, sed nequaquàm prorsùs velle possimus.* Et lib. 13. de Trin. c. 1. & 5. Mimum irridet, qui cum se omnibus indicaturum quidquid animo conceptum quisquis haberet, fuisset pollicitus, ideóque concio convenisset amplissima; astantes quoslibet sic affectos esse protulit, ut eorum nemo esset, qui non vellet vili emere, & summo pretio vendere. Si dixisset, inquit, *omnes Beati esse vultis, dixisset, quod nullus in suâ non agnosceret voluntate.* Sic in omnibus propensio est ad bonum quidem in communi. At non dari in omnibus summi boni, seu visionis Dei in particulari appetitum innatum, vel inde elucescit, quòd quæ expetuntur appetitu innato, ab omnibus expetantur: undè nemo est qui calamitates & mortem non refugiat. Porrò visio Dei intuitiva non ab omnibus expetitur: siquidem varii varia appetunt; & alii in voluptatibus; isti in divitiis; hi in aliis beatitudinem reponunt. Palàm ergò est visionem beatificam omnes non consectari. Nec certè natura ad id quod vires excedit, inclinationem aut pondus inserit; in impossibilia enim moveret, quod non deceret naturæ authorem sapientissimum.

Ex superioribus facilè conficitur, in hominibus non dari elicitum visionis beatificæ appetitum. 1. Quia non datur visionis beatificæ cognitio naturalis ex Apost. 1. Cor. 2. At ex S. Aug. lib. 13. de Trinit. c. 15. *Nemo amat, quod omninò nescit.* Si ergo nulla sit visionis beatificæ cognitio naturalis, non datur consequenter appetitus elicitus naturalis, qui ex cognitione naturali debet proficisci. 2. Si illius appetitum naturalem quendam, vel elicitum haberent homines; non tam altum apud Philosophos Gentiles de illâ Dei visione silentium occurreret: Et qui suam naturam consuleret, saltem aliquod ad visionem hanc pondus in se experiretur: sed in seipsis periculum licet faciant homines; summo etiam licet studio beatitudinis humanæ naturam inquisierint, visionis tamen illius appetitum, nec fuerunt experti; nec illius, vel ullum vestigium deprehenderunt.

Opp. 1. S. Aug. lib. 12. de Civ. c. 1. *Si cum quæritur, quare illi beati sint, rectè respondetur, quia adhærent Deo; & cum quæritur, cur isti miseri sint, rectè respondetur, quia non adhærent Deo; non est creatura rationalis, vel intellectualis bonum quo beata sit, nisi Deus. Itaquè quamvis non omnis beata possit esse creatura (nequè enim hoc munus adipiscuntur, aut capiunt feræ, ligna, saxa, & siquid ejusmodi est) ea tamen quæ potest, non ex seipsâ potest; quia ex nihilo creata est; hoc enim adepto beata est, quo amisso misera est.* Ex eodem autem S. Aug. omnia appetunt beatitudinem naturaliter. Epist. 119, & lib. 13. de Trinit. cap. 4. 5. 6. & 8. Certa est scientia, quòd beati omnes homines esse velint, in Enchirid. c. 105. In naturâ nostrâ superest beati-

tudinis perditæ appetitus lib. 1. de peccat. merit. c. 2. Hujus beatitudinis ab Apost. admonemur in nobis esse appetitum. Visionis igitur beatificæ naturalis appetitus est; cum sit in nobis appetitus beatitudinis, & beatitudo in solo Deo sit sita; cumque supersit desiderium beatitudinis in Adamo perditæ; & proindè illius quæ ab Apostolo proponitur.

R. Teneri omnes ex S. Aug. desiderio beatitudinis in communi, ut mox expositum fuit; non verò visionis beatificæ; cum ea naturaliter sit incognita, ut ipse docet. Cum autem cuique ingenitum sit velle sibi bonum, & declinare calamitates; ex quo tempore revelatio accessit divina, quæ in intuitivo Dei conspectu beatitudinem constituit, in visione illâ constituendam esse colligimus. Ex naturâ autem desideria illa non emanant; sed solam cognitionem supernaturalem sequuntur; & proindè nullus est innatus, aut elicitus, talis intuitivæ Dei visionis appetitus, qui ex naturali cognitione oriatur; sed ex revelatione suppositâ: quod unum indicat S. Aug. simulque ostendit naturam humanam ex se ad illam visionem posse elevari; quòd ad maginem Dei creata sit; cæterisque rebus eam occupari; sed satiari non posse. Ita etiam lib. de Prædest. Sanct. cap. 5. distinguit inter posse habere fidem, & charitatem; & actu habere: priusque dicit esse naturæ hominum; posterius verò gratiæ: sicque docet naturam humanam idoneam esse, quæ elevetur ad ipsos actus supernaturales; non verò quandam habere ad istos actus propensionem, aut appetitum. Et lib. 12. cap. 11. de Civit. Dei, solum hominem vult à Deo fuisse institutum, qui eum videre possit; non autem in homine esse ad illam visionem naturale pondus. Addit felicitatis in Adamo deperditæ superesse appetitum, & ab Apost. beatitudinis admoneri nos, seu definiri in quibus sita sit illa beatitudo, quam appetere operæ pretium est. Docet præthereà Philosophorum discipulos hæc, vel alia bona appetivisse, quippe qui essent ita à magistris instituti, aut comparati, ut in illis beatitudinem esse positam existimarent. His igitur suppositis, quis in illud singulare bonum naturali propensione ferri hominem dixerit? Quis Christianos visionem Dei intuitivam naturaliter appetere contendat? cùm ut eam solam summum esse bonum existiment, à Religione sint instituti.

INST. 1. Ex cognitione naturali proficiscitur Dei possidendi appetitus; naturaliter enim, ut q. 1. probatum est, Dei existentiam novimus, & Deum scimus summum esse bonum.

R. Innatam quidem nos habere existentiæ Dei notitiam, sed non nosse nos Deum intuitivè, seu, ut in se est, videri posse. Prior enim cognitio naturæ debetur, si scriptura & antiqui audiantur: posterior autem soli revelationi divinæ.

INST. 2. Inest homini cognoscendæ causæ naturale desiderium, ubi effectum intuetur. Ex Dei igitur operum aspectu, videndi Dei desiderium exurgit: & quis bonum quod solum animum explere potest, scilicet Deum, non quærat?

R. Viso effectu, appeti intuitivam causæ visionem, si visio illa cognoscatur possibilis. Verum visionem Dei intuitivam esse possibilem ratio non admonet. 2. Nec necesse est appetitum omni ex parte expleri, ut prius traditum est. Et certè, quis ex Philosophis antiquis, conspectis divinæ omnipotentiæ operibus, visionis Dei intuitivæ votum habere se professus est? Nullum sanè novi, qui solo lumine naturali usus, in hunc affectum venerit. Equidem naturâ duce movemur in bonum, quo Beati efficiamur; sed quibus in bonis sita sit illa beatitudo, ignotum est; undè de beatitudine tot & tàm variæ sunt sententiæ.

INST. 3. Appetitus naturalis circa perfectionem universalem non versatur; sed circa singularem & intrinsecam, quâ perfici possit homo; nam intellectus solus circa universale versari potest. Ergò beatitudinis in communi desiderium neminem incessit.

R. Appetitum versari circa perfectionem in communi appetendo, & in particulari assequendo; quia nonnisi boni alicujus singularis assecutione perfici potest: quia verò bonum singulare, quo ultimò possit perfici, notum ipsi non est, hinc bonum quidem summum appetit, sed quodnam illud sit, inscius inquirit. Hæc instituendæ vitæ ratio, à non intelligentibus, intelligentes creaturas distinguit: illæ enim à naturâ determinatum finem necessariò appetunt; simulque ad illum consequendum necessaria media accipiunt à naturâ: creatura verò intelligens rationis suæ arbitrio relinquitur, ut in quo libuerit finem suum constituat: & sicut ad finem comparandum nec necessitatem, ita nec determinationem accipit. Undè totum est gratiæ divinæ munus, & quod veræ beatitudinis naturam homo edoceatur, simulque donetur gratiâ, cujus auxilio beatitudinem possit mereri, & consequi. Et certè, quâ ratione visionem intuitivam appeteret? cùm naturaliter conspici Deum posse non novit. Homo in incognitum non fertur; nec in illud, quod ejus vires superat.

INST. 4. Appetuntur, quæ supra naturam sunt, & fiunt: sic animæ productionem corpus organicum appetit; & animæ separatæ corporibus iterum conjungi desiderant.

R. Animæ productionem ordinis naturalis esse; quia Deus sibi legem constituit de animâ creandâ, cum corpus ritè affectum fuerit. Ergò corpus organicum animæ infusionem desiderando, nihil, quod naturæ leges excedat, appetit. Porrò etiamsi anima separata desiderio sui corporis iterum sumendi teneatur, appetitus ille naturalis dici quodammodo potest, licet naturaliter non expleatur, quòd fortasse Deus constituerit conjunctionem istam iterum non esse faciendam, ut individuorum varietate & successione orbem illustraret: quidquid sit, appetitus hic inefficax est; nec posse hanc conjunctionem fieri anima cognoscit.

OPP. 2. Aliquis, suppositâ saltem revelatione divinâ, credere poterit humanâ fide visionis beatificæ possibilitatem. Igitur, & positâ ipsa revelatione divinâ, poterit aliquis eam lumine naturali cognoscere; sicque ipsam demonstrare.

R. Hac in re disparem esse rationem; quia fides humana nititur extrin-

feco testimonio ; ac proindè, cum adsit testimonium extrinsecùm positâ revelatione divinâ, inde consequens est fide humanâ credi possibilitatem visionis beatificæ. Demonstratio autem naturalis non sic se habet ; nititur enim principiis cum objecto cognoscendo ab intrinseco connexis. Undè cum revelatio, non præbeat ejusmodi connexionem ; ex eo fit, ut, etsi post revelationem visionis beatificæ possibilitas possit credi, non possit tamen eâdem revelatione positâ naturali ratione cognosci, atque demonstrari.

ARTICULUS QUINTUS.

Utrùm in hac vitâ constituto homini visionem sui intuitivam possit Deus concedere ? Et utrùm eam concesserit ?

CONCLUSIO I. Viatori visionem sui intuitivam potest Deus absolutè concedere. 1. Quia non implicat Deum à viatore videri intuitivè. 2. Quia potest homo agere independenter à phantasmatis. 3. Etiam quia resumpto corpore Deum visuri sunt Beati. *Et potest humana mens*, inquit S. Aug. Epist. 112. cap. 13. *divinitùs rapi ex hac vitâ ad Angelicam, antequam per istam communem mortem carne solvatur, & Dei visionem perfectissimam obtinere.* Item l. 5. de Gen. ad Litt. c. 14. *Mentes quippe rationales purgatæ gratiâ Dei possunt pervenire ad ejusmodi visionem, quâ nec superius quicquam sit, nec beatius.*

CONCLUSIO II. De non concedendâ viatori visione sui intuitivâ, legem Deus sancivit Exod. 33. ℣. 20. *Non videbit me homo & vivet.*

CONCLUSIO III. Sui visionem nunquam Deus concessit, nec Moysi, nec S. Paulo, &c.

Probatur. Hanc visionem non indulsit Dominus, quam ipse negare se profitetur ; quam negatam fuisse sentiunt PP. sacræ Scripturæ Interpretes, quæ si fuisset concessa, nunquam fuisset ablata. Atqui hæc ita se habent.

1. Quidem ob vituli adorationem iratus Deus Exod. 33. ℣. 2. renuit in posterum Israëliticæ plebi adesse comitem, & Angelum se daturum pollicetur. *Mittam præcursorem tui Angelum, ut ejiciam Chananæum, &c. non enim ascendam tecum.* Deponit vestimenta plebs in pœnitentiæ significationem jubente Dominô ℣. 13. Moyses faciei divinæ conspectum sibi concedi tunc postulans, nihil aliud rogat, quàm ut Deus populo suo adsit dux itineris, & ne auxilio suo destituat, *Si ergò inveni gratiam, &c. ostende mihi faciem tuam*, ℣. 14. Ejus votis Deus annuit, *facies mea præcedet te.* Addit Moyses misericordiæ concessæ aliud signum non esse, *nisi*, inquit, *ambulaveris nobiscum*, ℣. 17. concedit Deus. *Et verbum istud, quod locutus est faciam* ℣. 18. Hac obtentâ gratiâ, petit aliam, nempè omnis boni ostensionem ℣. 19. Assentitur Deus, *Ostendam tibi omne bonum, & miserebor*

cui voluero. Aliud postulat Moyses, Dei scilicet intuitivam visionem ℣. 20. hæc negatur, ut quæ non possit concedi. *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo & vivet.* Aliquod gloriæ suæ externum signum illi aspectabile facit ℣. 22 *Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dexterâ meâ, donec transeam; tollamque manum meam, & videbis posteriora mea; faciem autem meam videre non poteris.* Ibi non modo suæ divinitatis conspectum Deus negat; sed non posse concedi asserit. Apostoli Joannes, & Paulus hanc visionem nemini unquam fuisse concessam, testificantur. Joannes se à Christo hanc veritatem accepisse docet Joan. 1. ℣. 18. *Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Hæc autem profert de Moyse locutus: *Lex per Moysem data est: gratia, & veritas per Jesum Christum.* 1. ad Tim. 6. ℣. 16. *Lucem habitat inaccessibilem, quem nullus vidit, sed nec videre potest.* Hæc veteris Testamenti locis apertè respondent.

2. Negatam visionem Dei intuitivam sentiunt SS. PP. Scripturæ interpretes. S. Iren. l. 4. c. 37. invisibilitate Dei demonstratâ, Deum docet assumptâ carne visibilem fuisse factum, & se manifestum præbuisse Prophetis, nempè per spiritum Prophetiæ; ab illis verò non fuisse visum, ne fieret homo Dei contemptor, & ut semper haberet ad quod proficeret: adductis autem verbis Ex. 33. *Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris; utraque*, inquit, *significans; quoniam & impossibile est homini videre Deum; & quoniam per sapientiam Dei in novissimis temporibus videbit Deum homo in altitudine petræ, hoc est in eo, qui est secundum hominem ejus adventu. Non igitur manifestè ipsam faciem Dei videbant Prophetæ, sed dispositiones, & mysteria, per quæ inciperet homo videre Deum.* S. Amb. lib. 1. de Fide c. 8. Arianos refellens qui ex invisibili substantiâ Patrem, & ex visibili Filium constituebant, quòd Patriarchis antiquis se videndum Filius præbuisset, & indè mutationi obnoxium, quod varias figuras induisse referretur: Docet 1. non qualis esset, se videndum obtulisse Filium; sed hominum viribus conspectum attemperasse; varias formas induisse, aut pro meritis hominum, quibus se præbebat conspiciendum, vel ut potestatem divinam, simulque mysteria futura designaret. *Deum Moyses oraret, ut faciem Dei purè videret, quid ad illum continuò Deus? Non poteris*, inquit, *videre faciem meam; non enim videbit homo faciem meam & vivet: hoc ipso, quod negatur aspectus claritas assignatur, quæ scilicet tanta est, quanta credenda est, quæ invisibilis indicatur. Omnium dignissimus erat Moyses, qui Deum videret; sed impar erat, qui Deum videre posset. Et tamen sic visus accipitur, ut alicujus conspicabilis, ut dixi, materiæ dispositione assumptâ, videretur, salvâ scilicet invisibilitate ejus, quam à conspectu omnium majestas interfusa sepsuit: non enim sic humanis aspectibus revelatus est, ut tota in illo Deitas appareret; sed ad vicem speculi, cum conceptos intra lucem suam vultus quasi ad plenam effigiem hominis includit; ita majestas ejus præeunte fulgore intra id visum esset, quod imaginem veritatis*

veritatis non ipsum Deum propriè demonstraret.

Ab eo statu nunquàm excidissent, si visio illa, seu beatitudo fuisset illis concessa: non enim ex beato in statum viatoris iterùm homo fuisset dejectus: quomodò enim id esset factum, conjici non potest. An beatitudinem illam Deus subtraxisset? At sic pœnam inflexisset, etiamsi culpa non præcessisset, cum omnium gravissima pœna esset beatitudinis illius substractio. An voluisset homo ex illo statu excidere, seu illum statum deserere, quo omnia desideria sua explerentur, quo omnis molestiæ expers fieret, præter quem demùm nihil boni optandum superesset? Certè Apostolus 1. ad Cor. 13. ℣. 10. visionem intuitivam, quæ in præmium est concedenda, visioni istius vitæ opponit, istamque tantùm concedendam ait, cum quod perfectum est, advenerit. Cum ergò aperto scripturarum sensui sit standum, nisi aliquid magis perspicuum ex illis elici possit, aut aliquid adversetur, nihil autem sit manifestius quàm quæ supra allata sunt, non est cur à tam manifesto scripturarum sensu in alienum transferamur. S. Greg. Naz. Orat. 26. Moysem quæ in votis erant, non vidisse docet, ideò fuisse scriptum sola Dei posteriora ab eo fuisse conspecta, *Quod*, inquit, *perspiciendum superat, longè majus & præstantius erat posterioribus, quæ coram ejus oculis obversabantur.* Orat. 34. eandem veritatem confirmat, & ait per posteriora, quæ Moyses intuitus est, intelligendam esse Dei magnificentiam, quæ in rebus creatis, & in mirabili providentiæ ordine fit, conspicua est. S. Gregor. Nyss. lib. de vitâ Mosis, eandem Dei visionem fuisse negatam Mosi probat. In eâdem sunt sententiâ SS. Hilar. in Psal. 118. Hieron. Dial. 3. contra Pelag. Chrysost. Hom. 14. in Joan. Epiphan. in hæresi Audianorum.

S. Aug. lib. 2. de Trinit. cap. 16. à Mose Dei substantiæ visionem fuisse postulatam, & negatam à Deo scribit: *Cum verò hic apertissimè demonstraretur, nec desideranti hoc fuisse concessum, quis audeat dicere per similes formas, quæ huic quoque visibiliter apparuerunt, non creaturam Deo servientem, sed hoc ipsum quod Deus est, cujusquam oculis apparuiße mortalium?* Per posteriora, quæ conspicienda Deus præbuit, docet non incongruenter intelligi Christi humanitatem. Idem Epist. 112. c. 11. ad Paulinam: *Deum nemo vidit unquàm, vel in hac vitâ, sicut ipse est, vel etiam in Angelorum vitâ, sicut visibilia ista, quæ de corporali visione cernuntur.* Undè si alibi concedere videatur S. Aug. visionem Dei intuitivam quibusdam viatoribus, intelligendus est de clariori Dei intellectione eis concessâ; cum intellectus verè videat quæ intelligit, ut habet c. 12. Solet autem S. Aug. magis perspicuam Dei intellectionem, Dei visionem vocare: Ita lib. 8 de Civit. c. 3. Qui bonum intelligit, Deum verè intelliget, *Tolle hoc, & illud, & vide ipsum bonum, si potes, & ita ipsum Deum videbis.* Lib. 12. c. 25. ait animam sæpiùs in visione corporeâ falli, cum nempè in ipsis corporibus fieri putat, quod fit in corporis sensibus, quinetiam in spirituali visione decipi, cum similitudines corporum esse corpora arbitratur; in intellectuali verò nunquàm decipi. Item Ep. 6. ad

Italicam viduam docet, nunquàm nos visuros esse Deum, nisi cum ad ejus similitudinem accesserimus; quæ similitudo in hac vitâ non conceditur. Et Ep. 111. authoritate SS. PP. & præsertim S. Greg. Naz. & Ambr. Deum non intuitivè visum à Moyse probat, sed conspicabilis tantùm alicujus materiæ dispositionem. Et lib. 10. de Civ. c. 13. *Deus*, inquit, *num sit invisibilis sepè visibiliter Patribus apparuisse memoratur: sicut enim sonus, quo auditur sententia in silentio intelligentiæ constituta, non hoc quod ipsa: ita & species, quâ visus est Deus in naturâ invisibili constitutus, non erat quod ipse.* Lib. contra Adimantum cap. 9. ait: *Deum visum ab antiquis in assumptâ aliquâ creaturâ*; & cum Deus dicitur visus, intelligendum esse Angelum, ut Gen. 22. Exod. 3. & tamen rectè dicitur apparuisse Dominus, cum in Angelo apparuerit. Lib. contra Manich. c. 25. asserit filii substantiam ejusdem esse invisibilitatis, cujus est Patris & Spiritus Sancti substantia, & per subjectam creaturam se visibilem fecisse. Tract. 3. in Joan. Deum nemo vidit unquam; nec ipse Deus, sed Angelus loquebatur cum Moyse.

Opp. 1. Intuitiva Dei visio Moysi fuit concessa: nam aliâ penitùs Deum intuitus est, quàm cæteri Prophetæ, & visione ænigmaticæ oppositâ. Num. 12. ℣. 6. Sic Aaron & Mariam Deus alloquitur: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum: at non talis servus meus Moyses, qui in omni domo meâ fidelissimus est; ore enim ad os loquor ei, & palàm, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.* Exod. 33. ℣. 19. *Ego ostendam omne bonum tibi.* Apost. quoque Deum vidit, cum fuerit eum in locum raptus, ubi audiuntur quæ ab homine proferri nequeunt. 2. Cor. 12. ℣. 2. *Scio hominem in Christo ante annos 14. raptum usque ad tertium cœlum... Et audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.*

R. Præferri cæteris Prophetis Moysem; non quòd visione ænigmaticæ oppositâ fuerit donatus; sed quòd longè perfectiori ratione cum illo, quàm cum cæteris ageret: non enim in visione mutâ, aut in somniis, sed præsens cum præsente colloquebatur: ab Angelo quoque legem accepit. Hebr. 2. ℣. 2. *Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus.* Ab Angelo etiam audivit quæ erant agenda. Num. 7. ℣. 8. 9. *Cumque ingrederetur Moyses tabernaculum fœderis, ut consuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio, quod erat super arcam testimonii inter duos Cherubim; undè & loquebatur ei.* Porrò Exod. 33. ℣. 19. per hæc verba: *Ostendam omne bonum tibi*, non sui visionem pollicetur Deus, quam ei negabat ibidem, & non posse concedi docet, solaque sua posteriora ejus oculis fore objicienda. Significat ergò phrasi illâ Hebraicâ, se ei ostensurum quidquid præstantius, aut excellentius ejus oculi possent in vitâ sustinere; & se misericordiæ suæ beneficia non negaturum esse; ut mox ex serie capitis ostensum est.

Ubi de S. Pauli raptu agitur, nihil occurrit, quod intuitivum divinæ essentiæ conspectum innuat. Nam 1. ne verbum quidem extat de illâ visione, sed de solâ à sensibus abalienatione, quâ ad sublimiorum

mysteriorum cognitionem pervenit. 2. Si de visione intuitivâ sermonem habuisset S. Paulus, metaphorâ ab auditu deductâ non usus fuisset; cum multò minus audire sit, quàm videre. 3. Nec adderet: *sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit.* Ubi enim visio intuitiva est, perspecta omnia fiunt: nec etiam doceret 1. Tim. 6. v. 16. Deum neminem vidisse, nec videri posse.

Sed, inquies, Christus ad S. Paulum sic ait Act. 26. v. 16. *Ad hoc apparui tibi, ut constituam te ministrum, & testem eorum quæ vidisti.* Non solùm autem Christi humanitatis fuit testis Paulus, verùm & Deitatis. Quid inde? An non Apostoli cæteri fuerunt testes instituti, tùm humanitatis, tùm divinitatis Christi? An proindè Dei visionem intuitivam sunt consecuti? An non eam sibi cæterisque hominibus negavit S. Paulus?

Opp. 2. S. Aug. Epist. 112. cap. 13. & 19. lib. 12. de Gen. ad Lit. c. 27. duplicem mortem distinguit; priorem, veram; alteram non veram, quæ fit alienatione à sensibus, & à rebus terrenis: per hanc contendit Moysi, & S. Paulo Dei visionem fuisse concessam.

R. S. Aug. hæc istis in locis tantùm dubitanter protulisse Epist. 112. Et quantum ad Moysem, & Apostolos, quibus hanc visionem forsàn concessam fuisse asserit, velle eorum animas per illud temporis intervallum à corpore fuisse sejunctas, non quidem penitùs avulsas; quod est non nisi post mortem, aut ad tempus, aut in perpetuum: *Potest movere*, inquit cap. 13. *quomodò jam ipsa Dei substantia videri potuerit à quibusdam in hac vitâ positis, propter illud quod dictum est ad Moysem, nemo potest faciem meam videre, & vivere; nisi quia potest humana mens divinitùs rapi ex hâc vitâ ad Angelicam vitam, antequam per istam communem mortem carne solvatur.* Undè addit Apostolum de suâ visione testari nescire se, utrùm ea in corpore, aut extra corpus constituto sibi contigerit; seu an per extasim vehementiorem mens à corpore alienata fuerit; an omnimoda fuerit resolutio; qualis in plenâ morte contingit: *quia*, inquit, *necesse est abstrahi ab hac vitâ mentem, quando in illius ineffabilitatem visionis assumitur; ut non sit incredibile, quibusdam sanctis non ita defunctis, ut sepelienda cadavera remanerent, etiam istam excellentiam revelationis ejus concessam fuisse.* Et ait fortè Moysi hanc fuisse concessam. *Quid ergò est*, inquit, *quod eum sic fecit exceptum? nisi fortè quia illâ contemplatione dignum etiam tunc habuit populi sui talem rectorem, & ministrum in totâ domo suâ fidelem; ut quemadmodum concupiverat, videret Deum sicuti est; quæ contemplatio cunctis Filiis in fine promittitur.* Quid igitur ex illis inferre licet? Id nempè non esse incredibile, seu præter fidem, aut forsan, hanc visionem concedi potuisse. Quid est autem novam mortis speciem excogitare? nisi velle quodammodò aliter sentientibus gratulari, simulque negare vitam hîc mortalem agentibus negatum omninò Dei conspectum.

Cæterùm in eâdem Ep. sententiam sibi constantem exponit, & hanc visionem nemini concessam fuisse certò disputat, tùm authoritate S. Ambrosii; tùm variis rationibus adductis, ut c. 6. ubi ait Deum apparuisse antiquis specie

electâ, latente naturâ; visum iri posteà sicuti est. Et lib. 12. de Gen. ad Litt. c. 27. easdem rationes, & illam mortis speciem pariter explicat; item & in locis supra citatis, quibus addi possunt quæ habet quæst. 154. in Exod. & libro quarto de Symb. ad Cathecumenos cap. 3. Unde inferendum superest pro conclusione nostrâ stetisse S. Aug. quando suam certò, & non dubitanter, sententiam exposuit.

ARTICULUS SEXTUS.

Utrùm justis statim atque decesserunt, visio Dei intuitiva concedatur?

EX antiquis non pauci senserunt, justis, quibus post hanc vitam nihil superest eluendum, non statim post mortem Dei visionem concedi, sed ad generale judicium differri. Inter eos Papias Hierapolitanus Episcopus, quem nonnulli Patres sunt secuti, asseruit, uti fidem facit Eusebius lib 3. hist. c. 39. ipsos justos post resurrectionem annis mille cum Christo his in terris regnaturos esse: illos verò mille annos in voluptatibus carnis atque libidinibus quidam hæretici cum infami Cerintho; alii autem, ut nonnulli Patres antiqui, licitis, vel etiam spiritualibus esse insumendos dixerunt; futurumque posteà transitum ad Dei conspectum. Sic sentientes, Græcè vocati sunt Chiliastæ; Latinè verò Millenarii.

Ut recta sit hoc in argumento disserendi ratio, non modò operæ pretium est probare Sanctos nunc temporis felicitate quâdam potiri, ac Christi conspectu donari; sed & Deum, & Sanctissimam Trinitatem conspicere; eosque, qui senserunt aliter, cum Papiâ falsis & suppostitiis Christi operibus, & sermonibus fuisse deceptos, variisque allegoriis.

Eò gravioris indè momenti sit quæstionis illius dilucidatio, quò declinari non potest arduum sanè onus expendendi, quid hac in quæstione pertineat ad Traditionem Apostolicam: quod examen non levis est adjumenti futurum in aliis certò definiendis quæstionibus.

CONCLUSIO. I. Justi statim atque è vivis excesserunt, si nihil impurum supersit expurgandum, visione beatificâ donantur.

Prob. 1. quia post hanc vitam alia Dei visio est, quàm quæ in hac vitâ conceditur, & fuit concessa: ideòque justi vitæ alterius desiderio tenentur, & non aliâ de causâ. Utrumque docent Scripturæ, & Traditio continua Apostolica. 1. quidem extat 1. Cor. 13. v. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Visio igitur, quæ conceditur in alterâ vitâ ab eâ, quæ hîc habetur, diversa est, eritque intuitiva, seu facie ad faciem, & tam clara, ac ea per quam sumus cogniti. Opponit enim Apostolus illius vitæ statum futuro beneficio, v. 13. *Nunc manent fides,*

spes, charitas: tria hæc: major autem horum est charitas ℣. 8. *Charitas nunquam excidit.* Viatoribus conceditur Dei visio ænigmatica, fides simul, spes, & charitas: visio autem illa cum fide & spe evacuatur, & destituitur, ℣ 10. *cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Sola charitas tunc remanet, & illi adjungitur clara Dei visio, ut sibi invicem cognitio, & amor respondeant: quod & docet Apost. iterùm 2. Cor. 5. v. 8. *Per fidem ambulamus, & non per speciem; audemus autem, & bonam voluntatem habemus, magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum.* ℣. 9. *Et ideo contendimus sive absentes, sive præsentes placere illi.* ℣. 10. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum, sive malum.*

2. Pars altera palàm est, scilicet alterius vitæ studio ideò teneri justos, quia hîc per fidem, seu obscurè Deum vident; corpore verò soluti Deum clarè sunt intuituri: & in hoc sita est merces, quam à Domino judice relaturi sunt, & ad quam obtinendam indesinenter connituntur. Hæc S. Joan. tradit c. 3. Ep. 1. v. 2. *Charissimi, nunc filii Dei sumus; & nondùm apparuit quid erimus: scimus, quia cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est.* ℣. 3. *Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est.* Nondùm beatitudinis nostræ cognitionem sumus assecuti; & cum Deus post obitum se nobis exhibebit, cum sicuti est conspiciemus, similes illi facti: beatitudinis illius desiderio ducti sanctitatem sectamur; non enim, nisi qui ei similes sunt, seu sanctitatis ipsius participes, ejus conspectu sunt fruituri, seu eum intuituri, sicuti est.

Verbis apertioribus delineari non potest visio clara, & intuitiva Dei, quàm his, non videre per speculum & ænigma; sisti coram Domino; videre sicuti est, & sicut cogniti sumus. Justorum, necnon & ipsius S. Pauli, inutile penitùs alterius vitæ esset desiderium, nisi Deum essent conspecturi; neque mercedem, propter quam Dei mandata exequuntur, qui sanctitatis divinæ ita studiosi sunt, essent consecuturi; illius voti ratio, quam adducit Apost. Phil. 3. v. 23. *Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo*, vana penitùs esset. Nam undè mortis desiderium eum urgeret? nisi ut coronam sibi promissam assequeretur, videlicet, ut facie ad faciem Deum videret. Si statim atque è vivis excedit, hoc beneficio non est donandus, frustrà mortem ambiret. Deniquè aut nulla Dei visio conceditur; quod fidei & scripturis art. 4. & locis mox adductis repugnat: aut nunc justis est concessa. Nam quæcumque loca, quæ ad Dei conspectum post hancce vitam pertinent, apertè significant, justis pro mercede conspectum Dei conferri: nec vel unicus est apertus scripturæ locus, qui donum illud vel negari, vel differri tantisper innuat, modò omnium sordium expertes sint animæ.

Equidem cum Christo regnare exoptat Apostolus: sed numquid non constat Christum cœlos conscendisse testibus Apostolis Luc. 24. v. 51. Act. 1. vers. 10. & 11.? Ipsum stare à dextris Dei ait Stephanus Act.

ſeptim. verſ. 56. *Ecce video cœlos apertos, & Jeſum ſtantem à dextris Dei.* Videbat igitur in cœlis à dextris Patris ſtantem Chriſtum, & pro nominis ſui gloriâ decedentes ſuſcipientem. Undè v. 58. *Domine Jeſus*, inquit, *ſuſcipe ſpiritum meum.* Quid igitur eſt regni Chriſti participem fieri, niſi in cœlis conſtitui, conſpectu Dei Patris, & Filii ad ejus dexteram ſedentis potiri? Aliis verbis proponi felicitatem ultimam in ſcripturis quis dixerit? Undè, ſeu audiamus Apoſtolos de participatâ cum Chriſto, utpotè capite, supremâ felicitate; ſeu SS. Patres, qui non modò Apoſtolicam doctrinam, ſed & Apoſtolicam loquendi rationem amplexi ſunt, nihil aliud intelligere ſubit, quàm promiſſam juſtis beatitudinem in divinæ ſubſtantiæ conſpectu repoſitam.

2. Illa fuit antiquorum fides, ex Scripturis accepta, & ad nos per Traditonem continuam tranſmiſſa. Hanc profitebatur Sanctus Ignatius Eccleſiæ Antiochenæ Epiſcopus. In eâdem etiam primò verſabatur S. Juſtinus, ut patet tùm ex orat. ad Græcos, tùm ex Apol. ad Anton. Sed contrarium poſteà ſenſit in dial. cum Tryph. fabuloſis, quæ Chriſto tribuebantur, operibus deluſus. Fidem Catholicam ſequebantur, quos poſtmodùm ipſe S. Juſtinus Dial. cum Triphone, S. Iren. lib. 5. c. 34. Tertull. lib. de Animâ c. 55. & alii confutare conantur. Tranſiit Catholica hæc doctrina ad S. Cyprianum, & ad ſubſequentes Patres. Jam verò laudanda ſunt traditionis iſtius monumenta, quibus Catholica ſententia illuſtretur, & alterius falſitas oſtendatur.

1. igitur ſcripturæ non favent. 2. ſuppoſititiis operibus originem ſuam debet, & Papiæ mediocris ingenii & eruditionis viro. 3. Hos inter authores diſſonantia, hanc ſententiam nec à Chriſto, nec ab Apoſtolis acceptam fuiſſe certo eſt argumento: doctrina enim à Chriſto tradita ſingulis temporibus, & ubique eadem eſt; cujuſcemodi eſt, quam profitetur Eccleſia Catholica: opinionis verò Papiæ non ea fuit ſors; nec à Chriſto tradita eſt; nec ab Apoſtolis ad nos fuit tranſmiſſa: qui fuerunt eam profeſſi, non unanimis fuerunt dogmatis, ſeu iiſdem temporibus, ſeu diverſis vitam egerint: quod mox ſumus probaturi.

Doctrina igitur, quam profitetur Eccleſia de viſione Sanctis conceſſâ, inter Apoſtolorum dogmata neceſſariò eſt referenda. Eam profitetur S. Petri diſcip. & poſt Evodium ſucceſſor in Sede Antiochenâ Sanct. Ignatius Epiſt. ad Rom. *Aqua viva manens in me intrinſecùs nihil dicit, veni ad Patrem: miſerabilis ſum donec* ἀπηλλάκνατις εἰ ἕως Θεοῦ ἐπιτύχω *merear Deum adipiſci.* Patris igitur, & Dei adipiſcendi affectu impulſus, & movente Spiritu Sancto ad martyrium properabat: niſi autem Deum poſt mortem fuiſſet conſpicaturus, ſpes ejus hæc non fuiſſet: contrarium enim à S. Petro didiciſſet, cujus fuerat diſcipulus, atque ſucceſſor. Fidem & expectationem illam viſionibus Deus tunc firmabat, oſtensâ martyris ſui Ignatii in cœlis conſtituti gloriâ. Id patet ex Actis martyrii SS. Ignat. & Polycarpi apud D. Cottelerium, Voſſium, & alios. Cum enim ii qui S. Ignat. martyrio interfuerunt, Deum rogarunt, ut ſibi animæ S. Ignatii ſtatum apertè declarare dignaretur; cum ſtantem viderunt coram Deo ſummâ

gloriâ exornatum, summâque cum fiduciâ rogantem, &c.

Hæc erat omnium fides 2. sæculo, Deo potiri Sanctos: erat Ecclesiæ Smyrnensis, ex Actis mox laudatis: erat S. Clem. Alex. qui justos non quidem hîc visione Dei clarâ donari, ex Exod. 33. sed in alterâ vitâ hanc gratiam quemlibet consequi palàm scribit lib. 5. Strom. Relatis enim Ex. 33. ℣. 26. verbis: *Nemo videbit faciem meam, & vivet: Perspicuum est enim*, inquit, *nullum unquam vitæ suæ tempore posse Deum perspicuè comprehendere.* Math. 5. *Qui autem sunt mundo corde, Deum videbunt, postquam extremam perfectionem attingerint.*

Hæc fuit etiam 3. sæculo aperta S. Cyprian. professio, Epist. 15. ad Moysem, & Maximum Martyres, ubi dicit eos qui decesserant, ad Domini complexum venisse, confecto fidei ac virtutis itinere; & Confessores etiam inter Angelos, & Dominationes cœlestes esse constitutos. Sic etiam Libel. ad Fortunatum de exhortatione ad martyrium, in Præfatione. Ibi Baptismum sanguinis Baptismo aquæ præcellere probat; & inter alias rationes quas adducit: *Baptisma*, inquit, *quod nos de mundo recedentes statim Deo copulat. In aqua Baptismo percipitur peccatorum remissa; in sanguinis, corona virtutum.* Item c. 12. docet eam mercedem martyres non solos, sed & justos quoslibet consequi. Et in fine quidem c. 12. *Claudere in momento oculos quibus homines videbantur, & mundus; & aperire eosdem statim ut Deus videatur & Christus.* Deo copulari; coronam cum martyribus accipere; ad Domini complexum admitti; inter Angelos constitui; quid aliud est, quàm Dei conspectu potiri, qui & Dominus est, & Angelis sui copiam facit?

S. Martinus 4. sæculo Martyres visione beatificâ donari cum cæteris palàm profitebatur; imò & ea sententia confirmatur lib. de ejus vitâ: cum enim gravi scrupulo moveretur, ne superstitio convalesceret, si non verè martyr esset is, cujus super tumulum altare à superioribus Episcopis constitutum habebatur, & fidelium venerationi proponebatur; quodam die, paucis secum adhibitis fratribus, ad locum perrexit; ibique cum diù orasset, qui sepultus jacebat, velut horrendum aliquod spectrum se obtulit, & nomen, & crimina confessus est, *sibique nihil cum Martyribus esse commune; cum illos gloria, se pœna retineret.* Post S. Martini obitum, ea fides Gallorum fuit, eum in cœlis eo beneficio frui. Sulpitius Severus Epist. 2. refert conspectum fuisse S. Martinum, qui in cœlos properaret.

Sanctus Basilius in Oriente, sæculo eodem, Homiliâ de Gratiarum actione, Julitam Martyrem in cœlesti gloriâ constituit, & de igne in quem fuit conjecta, sic habet: *Animam quidem in cœlestem illam destinavit regionem* (ignis scilicet) *quæ illius congruebat meritis.* Item Hom. in 40. Mart. & Orat. in Gordium Mart. S. Greg. Naz. Orat. 18. S. Cypr. rogat, ut orantem è cœlo respiciat, & gregem, sermones, & vitam gubernet, ut qui S. Trinitati adsistat. Justos quoslibet, non solos Martyres hac beatitudine post mortem donari, 3. sæculo profitetur etiam S. Cyprianus Serm. de Mortalitate. Is adhortans omnes

fideles, ut laborantibus peste fratribus auxilio essent, rationibus isti utitur: scilicet beneficium ejusmodi præstantes, præmium, & salutis æternæ gaudium brevi consecuturos eos esse: ejus esse mortem timere, qui ad Christum nolit ire: illum autem ad Christum nolle ire: qui se non credat cum Christo incipere regnare. Undè & decedentes omnes fideles Martyribus, & Prophetis adjungit, & Apostolis, & Virginibus: *Ad hos, fratres dilectissimi, avidâ cupiditate properemus, ut cum his citò esse possimus, ut citò ad Christum venire contingat, optemus.* Cum Christo esse, non est constitui in loco, in quo Christus ratione solius humanitatis videndum se præbeat; sed ubi Christus homo regnat ad dexteram Patris sedens, ubi ut habetur initio libri, *Præmium vitæ, & gaudium salutis æternæ, & perpetua lætitia percipiatur.* Christo judicante, inquit, præmium vitæ fidei conceditur: & indè concludit non lugendos esse justos, qui decedunt. Eusebius libro primo de vitâ Constantini, scribit Constantini animam cum ipso Deo versari circumdatam splendidissimæ lucis stolâ. Sanctus Athanasius in vitâ Sancti Antonii, Ammonis animam visam ab Antonio in cœlum deferri. Eodem sæculo S. Gregorius Nazianz. Orat. funebri de S. Basilio, eum ita compellat: *Tu obiter è cœlo nos respice, & datam mihi renum debilitatem, & articulorum dolorem, vel jube discedere, vel adjuva, vel hortare ita me æquo animo ferre, ut hinc demùm discedentem me in æterna tabernacula recipias, & Beatam Trinitatem, eo quo est modo tecum contemplari valeam.* Ita Orat. funebri de Gorgoniâ sorore, quam ait cum Angelis esse, & totam Trinitatem se ei tenendam & contemplandam præbere: *Equidem non dubito*, inquit, *quin iis, quæ oculis cernuntur, multò præstantiora sint ea, quibus nunc frueris, nempè sonus epulantium, Angelorum chorea, cœlestis ordo, gloria contemplatio, tum divinitatis, tùm supremæ Trinitatis purior & perfectior illuminatio, non jam vinctam mentem, ac per sensus diffusam suffugientis, sed totam sese toti menti contemplandam & tenendam præbentis, totoque divinitatis lumine animis nostris affulgentis; omninò, inquam, his frueris, quorum etiam, dum adhuc in terrâ esses, ob sinceram ad eam mentis erectionem, rivulos habebas.* Orat. 19. in laudem Patris sui, ait propè Deum esse constitutum, cum versari nudum, & vinculis liberatum cum purissimâ illâ mente Angelici ordinis dignitatem, & fiduciam consecutum. In carminibus de vitâ S. Basil. inter Angelos illum vivere docet; & S. Meletium in Angelorum cœtum raptum fuisse, ejusque corpus, ut thesaurum ingentem, ad Ecclesiam Antiochenam transvectum.

S. Greg. Niss. S. Bas. frater, orat. in S. Ephrem, & in orat. funebri de Pulcheriâ, eam Deum videre docet. Sic in oratione funebri de Sancto Meletio, & orat. 2. in 40. Martyres, & orat. de S. Theodoro Martyre. S. Amb. orat. funebri de Theodosio, asserit cum Constantino esse Theodosium in magni meriti loco. Priùs tamen Theodosio optaverat requiem, quam Deus Sanctis paravit; testaturque se eum nunquam deserturum, donec fletu & precibus illum induceret, quò merita vocarent

rent, seu *in montem Domini sanctum*, ubi perennis vita, ubi corruptelæ nulla contagio; felicitatem æternam continuam describit, ubi vera perfectio, & ubi jam culpa cessavit; & Constantinum ait in loco constitui, quem vocat magni meriti locum; gratulatur Urbi Constantinopolitanæ, quò Theodosius deducebatur. *Nunc illùc & Theodosius potentior, nunc gloriosior redit, quem Angelorum caterva deducit, quem Sanctorum turba prosequitur: beata sanè, quæ Paradisi incolam suscipis, & habitatorem supernæ illius civitatis augusto sepulti corporis tenebis hospitio.* Paradisi incolam, & supernæ civitatis vocat Theodosium: quæ omnia beatitudinem, seu Dei conspectum certò delineant. Idem in orat. funebri de Valentiniano, *Vitâ*, inquit, *jam fruitur æternâ.* Vitæ æternæ nomine quid aliud intelligi potest, quàm Dei visio clara? Esse in Cœlo cum Sanctis? ibi vivere, ubi tantùm vivitur? Et Ep. 59. ad Thessalonicenses de morte Acolii Episcopi Thessal. *Est igitur Acolius superiorum incola, possessor civitatis æternæ illius Jerusalem, quæ in Cœlo est; videt illìc urbis ejus mensuram immensam, purum aurum, lapidem pretiosum, lumen sine Sole perpetuum: & hæc omnia jamdudùm quidem sibi comperta; sed nunc facie ad faciem.* Perennis vita, & requies, nonnisi in Dei conspectu posita est; non aliud præter Deum est mensura immensa, & lumen sine Sole perpetuum, quod qui facie ad faciem intuetur, Deum proculdubiò conspicit.

Sub finem quarti, & initio quinti seculi, S. Chrysost. Hom. 10. in posterior. ad Cor. de Beatitudine disserens, sic habet: *Si cogitatio illorum mysteriorum, de quibus Apost. quamvis obscura sit, tantam suppeditat voluptatem; cogita quantam lætitiam nobis allatura sit manifesta ipsa visio. Beati, qui illis bonis fruuntur; sicut miserabiles, & miserrimi, qui hisce contraria sustinent.* Hom. tertiâ in Epist. ad Philippenses: *Peccatores ubicumquè fuerint, procul à Rege sunt; atque adeò digni, qui fleantur: justi verò, sive hìc, sive in futuro seculo fuerint, cum Rege sunt; illìc tamen magis & propiùs, non per fidem; sed facie ad faciem*, &c. Nec in Textu Græco hic locus aliter se habet: εἰ δὲ δίκαιοι ἄν τι, ἄν τι ἐκεῖ, μετὰ τοῦ Βασιλέως εἰσὶ, κἀκεῖ μᾶλλον καὶ ἐγγύτερον οὐ διὰ πίστεως, ἀλλὰ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον. Eadem verba repetit Hom. in illud. Sap. *Justorum animæ in manu Dei sunt*: Hom. 4. in Ep. ad Philipp. Hom. 32. in Ep. ad Rom. ait nunc Pauli animam in cœlo versari juxta Regis solium, ubi Cherubim & Seraphim volitant. Lib. 6. de Sacerdotio c. 3. docet in cœlos ab Angelis rectà adduci eos, qui corporis Dominici communione sanctâ muniuntur. Ex supradictis plura citavimus art. 4. Hæc autem expositione opus non habent; quid enim aliud præter Dei visionem intuitivam designare potest manifesta Dei visio cognitioni obscuræ opposita; ingressus ad Deum facie ad faciem oppositus cuique ingressui per fidem; in cœlis versari, ubi est Dei Thronus, & illuc ab Angelis & Archangelis rectà duci? Denique Orat. in S. Philogon. ait hìc Deum non videri; illic, seu in alterâ vitâ, perpetuò videri.

S. Aug. iisdem temporibus, l. 12. de Gen. c. 34. ait Sanctorum animas in

tertio esse cœlo, quò S. Paulus raptus fuit, & tertium illud cœlum esse *in quo Sancti ipsam Dei substantiam, Verbumque Deum, per quod facta sunt omnia in charitate Spiritûs Sancti ineffabiliter valeant videre & audire.* Omittenda videtur subitò hæc probatio ex S. Aug. petita; quia superiùs observavimus dubitanter ibi locutum fuisse S. Patrem, de visione scilicet S. Paulo collatâ; non verò de visione nunc justis in cœlo concessâ. Nec ei venisset in mentem, vel levis de S. Pauli raptu in cœlum nisi constitisset apud ipsum justos hoc beneficio post mortem donari; & ita certò censebat, ut lib. 9. Confess. c. 3. asserat Nebridium amicum suum *sine fine felicem, & pro aviditate spiritale os admovere ad fontem, qui Deus est*; videre Dei substantiam; ex fonte, qui Deus est, haurire; in patriâ facie ad faciem contemplari: non verò per fidem ambulare, ut habetur Epist. 112. quæ refertur art. 1. prob. 3. Quid aliud hæc innuunt, quàm Dei visionem intuitivam?

Sanctus Bernardus hanc sententiam, ut ab antiquis acceptam, nemine reluctante profitetur, Epistolâ 311. ad Fratres de Hiberniâ: *Absit autem ut tua nunc, ô anima sancta* (Malachiam alloquitur) *minus efficax æstimetur oratio, quando præsenti vividius supplicare est majestati, nec jam in fide ambulas, sed in specie regnas. Absit ut imminuta, nedùm exinanita tua illa tam operosa charitas reputetur, cum ad fontem ipsum charitatis æternæ procumbis, pleno hauriens ore, cujus & ipsa priùs stillicidia sitiebas.* In Serm. de S. Malach. *Pari cum Angelis gloriâ, & felicitate lætatur.* Et Epist. 226. ad Suggerium Abbatem, qui agebat animam: *Quid tibi, & terrenis exuviis, qui ad cœlum iturus, stolâ gloriæ mox indui habes?* Et infrà: *Te expectat pax illa, quæ exuperat omnem sensum; te expectant justi, donec retribuatur tibi; te expectat gaudium Domini tui.* Ipse verò idem Serm. 4 de Festo Omnium Sanctorum, pacem quæ exuperat omnem sensum consistere in visione Dei, ut est in seipso, docet; ut & in Serm. de Humberti obitu. Porrò in specie regnare; procumbere ad fontem, qui Deus est; lætitiâ Angelorum perfrui; stolam gloriæ accipere; pacem, quæ omnem sensum exuperat, consequi, & gaudium Domini, nihil est, quàm beatitudine laudatâ toties perfrui.

Ultimò. Vitiis coinquinati homines inferni pœnis statim post mortem addicuntur. Job. 21. ℣. 13. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Luc. 16. ℣. 22. *Mortuus est autem dives, & sepultus est in inferno.* Potiori igitur jure præmio suo donantur viri justi, statim atque è vivis excesserunt, cum ad misericordiam pronus ita sit Deus. Nec est ratio, cur in futurum tempus Justorum præmium differri diceretur, cum Levit. 19. ℣. 13. nolit Deus opus mercenarii, vel in diem servari; seu mercedem, vel usque manè retineri; cumque de agendâ pœnitentiâ moneamur, quòd scilicet appropinquet regnum cœlorum: cur enim Christus tam citò venisset, si visionem beatificam justis post mortem non obtinuisset?

Hinc meritò pro sententiâ nostrâ definierunt Concilia, Viennense,

Florentinum, & Tridentinum Sess. 25. ubi de invocatione SS. agitur.

Opp. 1. Math. 20. v. 8. Denarius à patre-familias simul, & sub vesperam tantùm fuit solutus in diurni laboris mercedem; & proindè post resurrectionem, quæ per vesperam designatur, visione beatificâ, aut præmio promisso donabuntur tantùm Beati. Heb. 11. v. 39. *Hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissiones, Deo pro nobis aliquid melius providente, ut non sine nobis consummarentur.* Apocal. 6. v. 9. *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei.* Sub altari absconsio nihil aliud est, ex communi Sanctorum Patrum interpretatione, quàm receptaculum aliquod, in quo quietæ versantur Beatorum animæ, promissam fidelibus Salvatoris adventu gloriam expectantes, ut eâ omnes simul donentur.

R. 1. ex S. Chrysost. in illud Math. omni ex parte non respondere parabolas designatæ rei; ideóque parabolarum scopum esse præcipuè spectandum: nam si quæcumque in hac parabolâ occurrunt, futuro statui adaptarentur; & murmur in cœlo, & invidia, seu oculus nequam occurrerent: nihil ergò aliud ex hac parabolâ est eliciendum, quàm nullo istius vitæ tempore de salute desperandum esse; cum quâcumque horâ vocati fuerint homines, modò dominicis præceptis obtemperarint, æternam consecuturi sint gloriam. Colligendum est quoque justis omnibus in præmium eandem gloriam essentialem concedi, sed non eandem accidentalem, ut infrà videbitur. S. Paulus Heb. 11. Sanctos simul animæ & corporis beatitudine donandos designat. Undè non addit, non sine nobis præmia esse consecuturos, sed sine nobis non esse consummandos. Ita S. Aug. Tract. 49. in Joan. Deniquè per altare, Apoc. 6. intelligi non potest locus extra cœlos; cum ex cap. 7. v. 9. Sanctorum animæ albis stolis amictæ ante Dei thronum stent. Ergò, ut docet S. Gregor. Mag. lib. 35. Moral. cap. 9. ibi sub altari sunt animæ Beatorum; idest, qui justi stolam unam, nempè beatitudinem completam expectant.

Inst. Justi nonnisi postquam judicium subierint, visione beatificâ fruentur; non judicabuntur autem ante judicium universale. Item à reprobis justi secernentur; quæ secretio tantùm fiet in judicio generali, cum congregati electi separabuntur ab improbis. Math. 24. v. 31. *Et mittet Angelos suos cum tubâ & voce magnâ; & congregabunt electos à quatuor ventis.* Et cap. 25. v. 32. *Congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis; statuet oves quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris &c.*

R. separationem quidem futuram esse publicam, & judicio generali definiendam; sed jam præcessisse separationem, quæ judicio particulari, seu die obitûs facta fuit. Ex Scripturis enim constat tùm ex Job 21. v. 13. tùm ex historiâ Lazari, reprobos pœnis æternis fieri obnoxios, statim atque obierunt.

Inst. Nullum fieri judicium privatum de his, qui moriuntur, ex Ecclesiæ precibus constat: nam si Ecclesia censeat animas omnes adhuc de suâ sorte incertas esse; nec ipsis constare, num beatæ futuræ sint,

aut damnandæ; certè non datur judicium particulare. Hæc autm fides est Ecclesiæ; rogat enim Deum, ut morte æternâ eas eximat in die judicii, ne tunc patiatur eas à Dæmone absorberi. Quæ orationes de igne purgatorio non æquè exponerentur; nam ignis ille nunquam mors æterna dictus est; nec timetur eorum saluti, qui sunt in purgatorium ignem conjecti; nec quicquam illis à Dæmone timendum relinquitur. Pro animis etiam, quibus nihil luendum superest, rogabat olim Ecclesia Hispanica, ut ex Missæ Mosarabicæ canone patet; rogat etiam Ecclesia Orientalis, ut videre est ex Liturgiis; & ipsa Latina Ecclesia in precibus pro defunctis. *Domine Jesu-Christe Rex gloriæ libera animas omnium Fidelium defunctorum de pœnis Inferni, & de profundo lacu; libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas Tartarus, ne cadant in obscurum; sed signifer Sanctus Michael repræsentet eas in lucem sanctam, quam olim Abrahæ promisisti* &c. *Libera me Domine de morte æternâ in die illâ tremendâ, quando cœli movendi sunt & terra, dum veneris judicare sæculum per ignem, & quando cœli movendi sunt.* Preces fiebant pro Apostolis, Martyribus, & Confessoribus, Episcopis; Justis in Liturgiâ S. Marci, quâ utitur Ecclesia Alexandrina, *Animabus patrum, & fratrum nostrorum, qui anteà in fide dormierunt, dona requiem, Domine Deus noster, memor majorum nostrorum, qui à sæculo sunt, Patrum, Patriarcharum, Prophetarum, Martyrum, Confessorum, Episcoporum, Sanctorum, Justorum, omnis spiritus in Christi fide defunctorum, necnon eorum, quorum hodie memoriam agimus, & S. Patris nostri Marci Evangelistæ, qui demonstravit nobis viam salutis, & horum omnium animabus dona requiem.* Ergò sententia Ecclesiæ est, Justos etiam, Evangelistas, Apostolos, & Martyres non potiri requie æternâ, seu gloriâ, & alios de quorum sanctitate non ita constat, adhuc in periculo versari, nec ipsos certò scire, quo in statu futuri sint.

R. 1. judicium particulare novisse semper Ecclesiam, cum semper creditum fuerit Martyres, & Justos frui visione beatificâ, statim atque decesserunt; sicut & peccatores cruciatibus affici: Ecclesiam verò ita orare solitam; quia non tantùm ad tempus, quod mortem subsequitur, refert orationes suas; sed & ad diem obitûs, cum precatur, ut animas à morte æternâ Deus eximat. Sic ex S. Aug. Ep. 23. ad Bonifacium, Paschatis die dicitur Christus resurgere, quòd ad resurrectionis diem dies ille relationem habeat; ita etiam die Nativitatis dicitur Christus nasci; & tempore adventûs postulat Ecclesia, ut veniat qui venturus est, & qui promissus fuit, licet venerit: *Veni Domine, & noli tardare* &c. In more ergò Ecclesiæ est res præteritas, ut futuras, spectare, & plerumquè significare. Nec mirum, si Ecclesiæ orationes, quas Deo in gratiam occumbentium offert die mortis, etiam posteà iterùm repetat; quia Deus ex S. Aug. lib. 12. de Civitat. cap. 12. *Nec aliter invocantes exaudit, quàm invocaturos videt.* Cum ergò Ecclesiæ constet omnia Deo esse præsentia, nihil Deo futurum; & proindè illum preces pro morientibus sibi aliquandò offerendas, acceptas habere quasi jam oblatas, & in gratiam

ejuſmodi precum morienti adeſſe, & peccata condonare. Hinc Eccleſia orationes has, & ſequentibus ſæculis poſtmodum fundit, quæ conſtituto in extremis, & in purgatorio igne degenti profuerunt, licet videatur tantùm pro defuncto orare: & quidem orationum præcipua pars ad defunctos ab igne purgatorio eximendos pertinet.

Difficultatem non parit oratio pro Apoſtolis & Martyribus: nam pro beneficiis gratiarum actiones ſunt; nihil enim aliud poſtulat Eccleſia, quàm ut illis requies concedatur, ſeu beatitudo conſummata, aut gloria corporis: cum enim habendi corporis deſiderio teneatur anima, requies perfecta concedetur, cum corpus animæ iterùm conjungetur. S. Amb. in orat. funebri Valentiniani II. eum & Gratianum fratrem cenſet Beatis annumerari, & vitâ æternâ frui; & tamen pro illis ſe per vitæ tempus deprecaturum teſtatur, variaſque precum rationes inducit. 1. de Valentiniano. *Et huic adhuc interceſſionem adſciſco, cui remunerationem præſumo. Date manibus ſancta myſteria, pio requiem ejus poſcamus affectu; date ſacramenta cœleſtia myſteria, animam piam, matris oblationibus proſequamur. Extollite populi mecum manus in ſancta, ut eo ſaltem munere vicem ejus meritis rependamus. Non ego floribus tumulum ejus aſpergam; ſed ſpiritum ejus Chriſti odore perfundam: ſpargant alii plenis lilia calathis, nobis lilium eſt Chriſtus: hoc reliquias ejus ſacrabo; hoc ejus gratiam commendabo.*

Opp. 2. Trium priorum ſæculorum Patres cum Cerintho conveniſſe de negatâ juſtis poſt mortem Dei viſione. Cenſebat ita Cerinthus ex Euſeb. lib. 3. Hiſt. c. 28. Et niſi approbetur dogma illud, inter hæreticos referentur illi Patres, ut qui contra doctrinæ Catholicæ caput graviſſimum cum hæretico conſpirarint: damnata porrò Patrum illorum ſententiâ, corruet omninò traditionis Apoſtolicæ authoritas; non enim proferri poteſt dogma, quod ab antiquis tempori Apoſtolico proximis majori conſenſu fuerit ad nos tranſmiſſum. Sic S. Juſtin. Dial. cum Triphon. Neque ſunt Chriſtiani, neque Judæi qui animas poſt mortem in cœlis conſtituunt, *quique dicunt non eſſe mortuorum reſurrectionem, verùm, ſimulatque moriuntur, animas ipſorum in cœlum recipi. Ne tamen exiſtimetis eſſe Chriſtianos, perinde ut neque Judæos.* Addit mille annis cum Chriſto poſt Judicium ultimum in urbe Jeruſalem regnaturos eſſe juſtos. Ex authoritate autem Iſaiæ probat cœlum novum, & terram novam futura eſſe, omniaq; immutanda fore, quod ſcriptum ſit: *ſecundum dies ligni vitæ, dies populi mei erunt*, & quòd dies Domini ſit ſicut mille anni, & quòd in Apoc. quam Joannis eſſe opus aſſerit, per annos mille Jeroſolymis juſtos eſſe commoraturos tradatur, ſimulq; hoc annorum regnum poſtremi judicii diem eſſe ſubſecuturum, tuncque univerſam omnium reſurrectionem eſſe futuram.

S. Irenæus lib. 5. c. 31. Sanctos ſtatim poſt mortem viſionem Dei non eſſe conſecuturos probat, ne quid præſtantius Chriſto aſſequi & obtinere videantur. *In inviſibilem*, inquit, *locum abibunt, & ibi ad reſurrectionem uſque commorabuntur, & poſtea recepto corpore, velut Dominus reſurrexit, ad conſpectum Dei venient; nemo enim diſcipulus ſupra*

magistrum; sustinuit autem Christus definitum à Patre resurrectionis tempus. Quinque capitula Fevardentius ex manuscripto veteri addit lib. 5. Sancti Irenæi. In altero ex iis, quod est 33 mille annorum regnum probatur. 1. quia scriptum est Matth. 26. Vinum novum cum Sanctis Christum esse potaturum: quod promissum frustraneum esset; cum in cœlis impleri non posset. 2. quòd centuplum bona sua desereptibus, nuptias etiam non amplectentibus, Christus pollicitus sit: quod etiam non fieret, nisi mille annorum regni spes affulgeret: in quo quidem regno, ut à S. Joanne discipuli audierant, omnia fœcunditate centenâ essent ornanda; ita ut nulla futura esset vitis sepes, quæ centenos ramos non produceret; nullus ramus, qui non centena grana haberet; & hæc erat, inquit, doctrina Papiæ discipuli S. Joannis, & familiaris S. Polycarpi. Alias authoritates adducit, Isaiæ 11. & c. 34. & Apocal. 20. ut hanc sententiam confirmet: eos autem qui contextus superiores spirituali interpretatione Ecclesiæ adaptarent, refellit, ac singulari expositione varias beatitudinis mansiones exponit.

Eadem docuit Tertull. lib. de Anima c. 55. ubi animas fidelium in receptaculo, quod sinum Abrahæ appellat, usque ad Judicium generale recludit: quod nempè receptaculum, & locum refrigerii à damnatorum inferis longè diversum esse probat lib. 4. contra Marcion. c. 34. *Eam itaque regionem, sinum dico Abrahæ, etsi non cœlestem sublimiorem, tamen inferis superiorem, interim refrigerium præbituram animabus justorum, donec consummatio rerum resurrectionem omnium plenitudine mercedis expungat.* In hoc autem receptaculo delineari, & prospici innuit futuri judicii imaginem: & addit lib. de Anima c. 55. mox adducto, & c. 58. non rectè opinari qui ad generalem usque Judicii diem justorum præmium & improborum pœnam penitûs rejici, & differri censebant; ne quid judicio divino detraheretur. Docet interim animas justorum foveri, & peccatorum animas in inferis torqueri; quòd anima, sejuncta licet à corpore, & pœnis & dolori sit obnoxia; simulque gaudia, in quorum partem corpus non veniat, soleat percipere. Lib. verò 3. contra Marcionem c. 23. Millenariorum regnum, ut dogma apud omnes constans probat. *Nam & confitemur in terrâ nobis regnum repromissum, sed antè cœlum; sed alio statu, utpotè post resurrectionem in mille annos, in civitate divini operis Jerusalem in cœlo delata, quam & Apostolus matrem nostram sursùm designat, & politeuma nostrum, id est municipatum in cœlis esse pronuntians, alicui utique cœlesti civitati eum deputat.*

R. 1. Arguere S. Justin. simul, & eos qui Sanctis visionem Dei concedi disputarent, & qui carnis resurrectionem negarent, ut ex ejus verbis compertum est. Qui futuram resurrectionem negarent, Christianos non esse scribit; non verò ita esse qui Sanctos frui visione Dei censerent. Non enim unquam eos à communione suâ repulit, sicut nec qui eum subsecuti sunt, S. Iren. & Tert. hi enim eos aut ignorantiæ, aut superbiæ tantùm insimulant. Quis recens ex Ethnicis conversus, ut S. Justin. pro

Apostolicis scriptis, aut quæ eorum nomine circumferebantur, non stetisset? Si attendantur quæ ad opinionis confirmationem affert, levioris non solùm momenti deprehendentur; sed & ad illustrandam, quam Apostolicam esse sententiam existimabat, non parum conferre: imò his momentis adductus, à priori sententiâ videtur discessisse: in Orat. enim ad Græcos sub finem, verbo Dei se à pravis affectibus solutum fuisse testatur; & tandem concludit post exitum Deo animum consociatum iri: cupiditate igitur extinctâ, tranquillitatem, ac serenitatem perfectam anima consequitur; *soluta autem malis, quæ cervicem ejus circumfluunt, ad eum abit, qui ipsam condidit.* Et in Apologiâ ad Antoninum ait penes Christianos esse diffiteri se esse Christianos; *sed*, inquit, *vivere nolumus mendaciter quidquam loquentes. Sempiternam namque, & puram vitam concupiscentes, ad consuetudinem cum Deo parente & universorum opifice vivendi aspiramus, & ad confessionem Christianam festinamus, persuasum habentes, atque credentes consequi hanc eos posse, qui factis ipsis Deo probant se illum consectari, & vita ejus consuetudinem adamare, in quâ nullam adversariam persentire est pravitatem.* Censebat animam corporis vinculis liberatam ad Deum proficisci, cum Deo parente consuetudinem habere, Deum sectari, hancque esse vitam sempiternam & puram, cujus desiderio Christiani ad martyrium properarent. Vita ergò sempiterna non alia apud eum erat ab eâ felicitate, quam justi post mortem à Deo accipiebant.

R. 2. ad S. Iren. quæ jam ad sententiam S. Justini reposuimus, scilicet Papiam ipsum illius opinionis authorem à S. Irenæo laudari; simulque rationes adjungi, quæ novitatem sententiæ, & illius levitatem satis innuant. Vellem non tribui viro tam eximio, quæ Fevardentius addit capitula, utpotè fabulosa penitùs. Et sanè qui Patres Sanct. Irenæum subsecuti sunt, corpoream illam felicitatem longè ab illo statu removerunt.

R. 3. ad Tertull. veneratione ductum illum erga superiorum ætate virorum authoritatem, in hanc sententiam descendisse; sed correctione in plurimis adhibitâ: non enim omnibus visionem ad resurrectionis tempora negandam esse censuit; nec voluit eodem in loco justos cum impiis inclusos detineri; nec per mille annos deliciis corporalibus justos diffluere. Bonorum spiritualium possessionem & copiam, in eorum, quæ hîc vel amissa, vel despecta sunt, mercedem concedi docet; ex promissis autem posteà factis Abrahæ bona etiam quædam temporalia justis probat aliquandò conferenda: imò nec sibi omninò constat: improbos enim post exitum Inferni pœnis statim censet subjici: quo, quæso, jure justis præmium negare potest statim atque decesserunt? Hinc ergò videre est Tertul. ita fuisse opinatum, aut quia in ejus manus venerant Apostolorum nomine inscripta falsò opera; aut quia Sanctorum Justini, & Irenæi libros evolverat; aut quia cum eorum discipulis sermonem conseruerat: cum autem ab eorum placitis secesserit in plurimis, ut notatum est; hinc cum Millenariorum numero propriè ac-

censendum non esse dici potest. Ab hac doctrinâ penitùs dissenserunt antiqui, quos in probationibus retulimus, ubi scilicet fabulosa esse, & supposititia illius sententiæ principia animadverterunt.

Origenes in prologo commentarii in Cantica, mille annorum regni opinionem indè natam docet, *quòd simpliciores quidam nescientes distinguere, ac secernere quæ sint in Scripturis divinis interiori homini, quæ verò exteriori deputanda; vocabulorum similitudinibus decepti, ad ineptas quasdam fabulas, & figmenta inania se contulerint; ut etiam post resurrectionem cibis corporalibus utendum crederent, potumque sumendum, non solùm ex illâ vite verâ, & vivente in sæcula; verùm & ex his vitibus ligni.* Similia habet lib. 2. de Princip. cap. 12. Dionysius Alex. opinionem hanc duobus libris, ut fabulam confutat; eam verò, ut impiam, insectatur, quæ turpium bonorum possessionem tribuit justis.

S. Aug. lib. 10. de Civit. c. 7. ex discrimine suprà notato, duplicem Millenariorum sententiam fuisse docet. Primam eorum qui spiritale penitùs illud regnum futurum esse contenderent, quam tolerabilem utcunquè dicit sententiam, seque aliquandò idem opinatum fatetur. Alteram prorsùs ridiculam eorum, qui regnum illud fœdissimis deliciis diffluens sperarent aliquandò constituendum.

R. tandem de illis authoribus, & de Cerintho disparem esse rationem; non enim, ut puto, iis narrationibus, quæ Christo, & Apostolis tribuebantur, in hanc sententiam fuit adductus Cerinthus; sed hæretico animo, ut qui à Legis Novæ præceptis abhorreret, has Christi nomine, & Apostolorum Parabolas & enarrationes confixit, & spargi curavit, quibus Papias primò, deinde Joannes Theologus, & alii decepti sunt: suam igitur opinionem, cum aliis pravis dogmatibus, factâ secessione ab Ecclesiâ, propugnavit Cerinthus, & Millenarium regnum impuris voluptatibus totum turpe, & probrosum fecit. Econtrà verò eo animo fuerunt SS. Patres, & authores antiqui, quo illi, quibus pravè licet sentientibus, hæresim S. Aug. non imputat Epist. 112. *Qui sententiam suam, quamvis falsam, atque perversam nullâ pertinaci animositate deffendunt, præsertim quam non audaciâ præsumptionis suæ pepererunt; sed à seductis, atque in errorem lapsis parentibus acceperunt; quærunt autem cautâ sollicitudine veritatem, corrigi parati cum invenerint; non sunt inter hæreticos deputandi.* Non præsumptionis audaciâ hanc opinionem pepererant SS. Justin. Iren. Tertull. Novat. Lactant. & alii; sed hanc in sententiam supposititiis Christi, & Apostolorum sermonibus fuerant inducti; & ideò nec pertinaciter pro eâ steterunt; nec esse deferendam censuerunt communionem fratrum, qui Sanctos in cœlis constituebant, eisque visionem beatificam concedi pugnabant.

Nec indè ullatenùs Traditionis Apostolicæ authoritas periclitatur: aliud enim est ex antiquis quosdam in quâdam versari opinione; aliud est antiquos de dogmate Apostolico secum invicem convenire. Equidem S. Justin. in Dial. S. Theoph. Antioch. lib. 1. S. Iren. lib. 5. c. 32.

Tertull.

Tertull. lib de Anima c. 55. & 64. lib. 3. contra Marcion. c. 34. Novatian. lib. de Trin. c. 24. Lact. lib. 7. cap. 2. & 14. censere videntur animis Justorum visionem beatificam ad resurrectionis diem negari. Sed dogma illud nullatenùs refert dogmatis Catholici rationem. 1. quia originis illius tempus notatur: Cerinthus enim & Papias dubio procul illius authores fuerunt: decepit Papiam Cerinthi figmentum: Papiæ decepti authoritas alios in errorem induxit, & hi eò faciliùs in eum inciderunt, quò in Traditionis Apostolicæ venerationem erant propensiores, & sermonibus Christi debere se obsequium jure censebant, nec eos falsò confictos noverant. Nihil igitur, quod dogma Catholicum saperet, referebat hæc opinio. Non scripturæ verbis nitebatur, & nonnisi Parabolicis, & proindè ad fidem faciendam non idoneis. 2. omnium prima non erat hæc Papiæ sententia: longè prior erat illa quam Apostolus docuerat, quam tenuerat S. Ignatius, & Ecclesia Smyrnensis, ipseq; S. Justin. in Orat. ad Græcos, & Apol. ad Anton. fuerat primò professus. 3. ea ratio est traditionis Apostolicæ, ut eamdem doctrinam ubique, & semper, & immobiliter proponat: hæ sunt dogmatis Catholici Leges, quas inter alios uberiùs exponunt Tertull. l. de Præscript. & Vincentius Lirin. in Common. Ea verò doctrina, quam S. Justin. & alii post Papiam fuerunt professi, talis non est varias ob rationes non levis momenti. Illi enim idem dogma non docebant, nec eâdem ratione. 1. negabant alii Sanctis omnibus visionem beatificam, ut S. Justin. in Dial. & S. Iren. alii verò Martyribus eam tribuebant, necnon Prophetis & Patriarchis, ut Tert. lib. de Animâ c. 55. *In Paradiso, quo jam nunc Patriarchæ & Prophetæ appendices Dominicæ Resurrectionis migraverant ab inferis.* Addit solos ibi Martyres constitui à S. Joanne in Apoc. ac visos fuisse à Perpetuâ martyre die Passionis. Martyres porrò docet eo privilegio potiri, quia in Christo, non in Adam decesserunt. *Agnosce*, inquit, *differentiam Ethnici, & Fidelis in morte: si pro Deo occumbas, ut Paracletus monet, non in mollibus febribus & in lectulis, sed in martyriis: si crucem tuam tollas, & sequaris Dominum, ut ipse præcipit, tota Paradisi clavis tuus sanguis est.* Quod iterum probat lib. de Resurrect. carnis c. 43. *Nemo*, inquit, *peregrinatus à corpore statim immoratur penes Dominum, nisi ex martyrii prærogativâ; Paradiso scilicet, non inferis diversurus.* Igitur hoc in capite præcipuo cum Sancto Ignatio, & aliis conveniebat Tertullianus: à Sancto autem Justino, Sancto Irenæo, & aliis dissentiebat. 2. Justos cum impiis eodem in receptaculo distineri ad ultimi Judicii diem censebant S. Justin. in Dial. S. Iren. lib. 5. cap. 32. Novat. lib. de Trin. cap. 1. Lact. lib. 7. c. 21. quo autem fundamento ita senserint, reclamantibus sacris Codicibus, non est facile dictu: aliud verò docuit Tertullianus, & quidem sacris Scripturis consentaneum, scilicet lib. de Anima c. 58. nempè justos ab impiis secerni, & sceleratos debitis suppliciis subjici. 3. quod caput non mediocris est ponderis, justos cum Christo mille post resurrectionem annis corporis deliciis esse fruituros contendunt S. Iren. Lact. & alii: reluctatur Tertull. & carnales has voluptates ut indignas removet lib. 3. cont. Marcion. c. 23. ubi spiritales admittit. Ratione singulari exponit

S. Iren. quid ibidem agant justi ; aliter Orig. lib. 12. de Princip. Quis igitur Apostolicâ Traditione firmari dixerit dogma tam parùm sibi constans, & cujus originem & initium novimus? Norat Euseb. libro tertio Hist. capite ultimo, Papiam à Domini Discipulis non fuisse institutum : *Idem*, inquit, *prætereà alia nonnulla nudæ vocis traditione ad se pervenisse testatur, novas quasdam scilicet Servatoris parabolas, & prædicationes, aliaque fabulis propiora, inter quæ mille annorum spatium post corporum resurrectionem fore dicit, per quæ regnum Christi corporaliter stet in orbe terrarum ; quæ quidem ita opinatus esse videtur Papias ex malè intellectis Apostolorum narrationibus ; cum omnia, quæ arcano quodam sensu & exempli causa ab illis dicebantur, non satis pervidisset : Fuit enim mediocri admodum ingenio præditus, ut ex scriptis illis conjicere licet ; plerisque tamen post ipsum Ecclesiasticis Scriptoribus ejusdem erroris occasionem præbuit, hominis vetustate suam sententiam tuentibus, puta Irenæo, et si quis alius ejusdem opinionis fautor extitit.* Instituatur modò comparatio cum dogmate quod profitemur : illius aliud initum non est, quàm quod notant Scripturæ, profitentur Apostolorum Discipuli, S. Ignatius, Ecclesia Antiochena, & Smyrnensis, nec non viri illi quos impugnant SS. Justinus, Irenæus, & alii : item Sanctus Cyprianus, Ecclesia Orientalis universa 4. sæculo cum SS. Athanas. Basil. Gregor. Naz. & Nyss. &c. atque etiam Occidentalis universa cum SS. Hilar. Hieron. Aug. &c.

Opp. 3. Non modo trium primorum sæculorum Patres hanc doctrinam propugnarunt, sed & quarti, & quinti sæculi, & subsequentium, ut S. Hilarius in Psal. 138. *Hæc humana lex necessitatis est, ut sepultis corporibus animæ ad inferos descendant, quam legem Dominus ad consummationem veri hominis non recusavit.*

R. Voluisse forsàn S. Hilar. per quasdam temporis morulas in inferna loca omnes animas instar Christi descendere, sed non proindè justis modò Dei visionem claram negare ; hæc enim habet in Psal. 24. de Apostolis, aliisque Sanctis : *Quomodò possumus montes non eos significatos esse intelligere, qui super terrenam naturam gloriosi, jam in rebus Dei exultant.* Et docet in Psal. 60. & 64. Sanctos cum Deo esse : & in lib. contra Constant. ait sibi formidini non fuisse futura tormenta, quæ martyribus parabantur ; cum sibi compertum esset Latronem in Paradiso esse constitutum.

Opp. 4. S. Ambrosius lib. de bono mortis c. 11. Animas in quodam loco à cœlis dissito esse constitutas supponit, novâque ratione earum habitudinem illustrat: 1. quòd corpus suum domuerint: 2. quòd sanctitati suæ nihil timeant : 3. quòd Judicii futuri exitum non formident : 4. quòd futuram gloriam possidendam prævideant : quâ se consolatione sustentantes cum magnâ tranquillitate requiescunt stipatæ præsidiis Angelorum. Et l. 2. de Cain. cap. 2. *Solvitur à corpore anima, & post finem vitæ hujus adhuc futuri ambiguo suspenditur.*

R. S. Ambros. lib. de bono mortis nihil innuere, quod veritati, quam

docuit, adversetur: in eo enim totus tantùm est, ut ex quorum bonorum memoriâ possint justi delectationem percipere, exponat: ut enim in objectione continetur, prævident gloriæ futuræ splendorem, qui ex corporis resurrectione accedet, sed magnâ tranquillitate: potiuntur luce, libertate, & repromissâ hæreditate: quomodo autem hæc fieri possent, nisi illis in receptaculis Dei conspectu potirentur? 4. inquit, *quia incipiunt intelligere requiem suam & futuram sui gloriam prævidere; eâque se consolatione mulcentes in habitaculis suis, cum magnâ tranquillitate requiescent, stipatæ præsidiis Angelorum. Quintus autem ordo exultationis uberrima habet suavitatem, quod ex hoc corruptibilis corporis carcere in lucem libertatemque pervenerint, & repromissam sibi possideant hæreditatem.* Sic de beatitudine perfectâ loquitur: ibique Apocryphis etiam Scripturis, 4. scilicet Esdræ, utitur. Idem lib. 2. de Cain. c. 2. innuit hoc unum animis incognitum esse post mortem, nempè Judicii diem: hæc enim verba inserit, ut quietem absolutam nullatenùs turbari confirmet: non enim de suo statu dubitationem quamdam sustinent: omnem porrò hâc de re scrupulum ipse exemit lib. de bono mortis cap. 11. mox adducto, & cap. 3. ubi ait justos domino astare, & illi seipsos in victimam absolutissimam offerre; nec esse nisi tunc, post mortem scilicet, perfectam laudationem.

Opp. 5. ex S. Chrys. Hom. 39. in 1. ad Cor. *Nam si corpus non resurgat, anima nostra incoronata manebit, & extra cœlestem beatitudinem manebit.* Item Hom. 24. in Ep. ad Hebr. *Ne aliquid præ nobis habere viderentur, si primi ante nos coronarentur, unum definivit tempus omnium coronarum, & qui ante tam multos annos vicit, tecum accipiet coronam.*

R. S. Chrys. velle tantùm animam beatitudine completâ non donari, nisi cum in ejus beatitudinis consortium corpus venerit; cum sit æquum utrique mercedem deferre; quandoquidem corpus laborum fuit particeps. Nec ullatenùs adversantur ista ex mox adductis.

Opp. 6. S. Aug. ait Epist. 299. Patriarchas antiquos in Paradiso quodam, seu sinu Abrahæ Deum vidisse, & illum secundum beatificam præsentiam suæ divinitatis nunquam ab eis recessisse: *profectò in Paradiso, atque sinu Abrahæ etiam ante jam erat beatificante sapientiâ, & apud inferos judicante potentiâ.* Idem l. 1. Retract. c. 14. meritò quæri docet, utrùm sancti homines jam defuncti dicendi sint in illâ possessione consistere. Et in Enchirid. c. 109. *Tempus quod inter hominis mortem, & ultimam resurrectionem interpositum est, animas in abditis receptaculis continet.* Item lib. 20. de Civit. Dei c. 9. *Pars civitatis Dei, quæ conjungenda immortalibus Angelis, ex mortalibus hominibus congregatur, nunc mortaliter peregrinatur in terris, vel in eis qui mortem obierunt, secretis animarum receptaculis sedibusque requiescit.* Deniquè in Psalm. 36. in hæc verba: *Et adhuc pusillum, & non erit peccator: Post vitam istam parvam nondùm eris, ubi erunt Sancti, quibus dicetur, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab initio mundi; nondum ibi eris, Quis nescit? Sed jam poteris ibi esse, ubi illum quondam ul-*

cerosum pauperem, dives ille superbus, & sterilis, in mediis suis tormentis vidit à longè requiescentem: in illâ requie positus, certè securus expectabis Judicii diem.

R. 1. De loco beatitudinis, aut ubinam essent defunctorum animæ dubitasse S. Aug. ex 1. lib. de Immortalitate animæ sub initium, & lib. 12. de Gen. ad Litt. c. 34. Nam ibi ait animam latronis justi migrasse, aut in sinum Abrahæ, aut in Paradisum, aut in tertium cœlum; si tamen non aliquid unum est diversis nominibus appellatum, ubi sunt animæ Beatorum. Lib. etiam 2. Quæst. Evang. c. 38. dicit sinum Abrahæ esse secretum Patris, quò Christus ante resurrectionem abierit, & in quo sint justorum animæ.

R. 2. cum dubium etiam fuisse circa intensionem visionis intuitivæ; seu num Sancti æquè beati forent ante, ac post resurrectionem. Sic enim habet l. 12. de Gen. ad Litt. c. 35. *Minimè dubitandum est animam post mortem ipsâ carne depositâ, & transcensis etiam similitudinibus corporalium non sic videre posse incommutabilem substantiam, ut Sancti Angeli vident: sive alia latentiore causâ: sive ideò quia inest ei quidam naturalis appetitus corpus administrandi, quo appetitu retardatur quodammodo, ne totâ intentione pergat in illud bonum.*

R. 3. De visione intuitivâ Sanctis nunc concessâ non dubitasse S. Aug. ex adductis superiùs locis. Lib. 1. de Civit. c. 13. & l. 12. c. 9. ait justos in occultis sedibus quietos esse: & lib. 20. c. 9. animas justorum cum Christo regnare, & clarè perspecta habere mysteria. Undè l. de Catechisandis rudibus c. 25. felicitatem, quæ hanc vitam sequitur, ità describit. *Omnes deliciæ Deus erit & societas sanctæ civitatis, in illo, & de illo sapienter beatèque viventis: efficiemur enim, sicut ab illo promissum speramus & expectamus, æquales Angelis Dei; & cum eis pariter illâ Trinitate perfruemur: jam per speciem, in quâ nunc per fidem ambulamus; credimus enim quod non videmus, ut ipsis meritis fidei etiam videre quod credimus, & inhærere mereamur; ut æqualitatem Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, & ipsius Trinitatis unitatem, quomodo sunt hæc tria unus Deus, non jam verbis fidei, & strepentibus syllabis personemus, sed contemplatione purissimâ, & ardentissimâ in illo silentio sorbeamus.* Si ea sit felicitatis natura, eâque potiantur justi; ita ut Trinitatem clarè conspiciant; palàm est non de beatitudine moveri dubium, sed de solo beatitudinis loco; quem ad beatitudinem parùm conferre, aut indifferentem esse censebat S. Aug. ut habetur Serm. Domini in monte; cum Deus qui justitia, & vita est, & veritas, non plus in cœlo sit quàm in terrâ; anima verò, quocumque in loco sit, justitiæ & veritatis sit subjectum. Non ergò de beatitudine, quam obtinent Sancti, dubitavit S. Aug. sed de solo loco beatitudinis; aut de intensione ejusdem: imò videtur illud aliquandò deposuisse dubium. Unde lib. 1. Retract. cap. 14. ubi quærit, num Sancti eâdem cum Angelis beatitudine fruantur: *sed utrùm* inquit, *ad contemplandam cordis oculis veritatem, dictum est facie ad faciem, nihil ex hoc minùs habeant, non est hic locus disputando inqui-*

vere. Quamobrem constat, non de beatitudine, sed de intensione ejusdem egisse: imò in Epistolâ ad Evodium ait, sinum Abrahæ, in quo Lazarus quiescebat, non posse concipi: ideò censet deliciarum locum fuisse, in quo Patriarchæ Deum videbant, *& à quibus Deum secundum beatificam præsentiam suæ divinitatis nunquam video recessisse.* Et infra: *Profectò in Paradiso, atque sinu Abrahæ, etiam ante jam erat, beatificante sapientiâ.* Et Epist. 119. Januario, scribit Sabbato Christianorum, seu die Dominico significari quietem, quæ hanc vitam secutura est, quam c. 9. vocat ineffabilem tranquillitatem actionis otiosæ, quæ in Dei laude agitur, quæ sempiterna futura est, seu beatitudo æterna. C. autem 13. docet animas Sanctorum ante resurrectionem corporis esse in requie, sed non eâ in actione, quæ corpora recepta vegetet. Et c. 14. optare ait Apostolum Epist. ad Philipp. *dissolvi, & esse cum Christo, undè incipit requies, quæ non interrumpitur resurrectione, sed clarificatur.* Nova igitur quies non accedit ex corpore, sed clarificatio; & idem est post, ac ante resurrectionem, beatorum status. Denique in Ep. 112. c. 13. & lib. 12. de Gen. ad Litt. c. 29. ubi videtur Moysi, & S. Paulo concessam fuisse Dei visionem asserere, in eo unico difficultatem sitam esse supponit, videlicet non posse ab homine, dum vivit, Deum videri; quia scriptum est: *Non videbit me homo & vivet*: & ideò mortem ad tempus aut alienationem à corpore excogitandam esse scribit. Si igitur ad Deum videndum nihil aliud postulandum esset ex S. Augustino, quàm à corpore separatio; undenam clarum illum Dei conspectum sanctis post exitum negasset?

Opp. 6. S. Bernard. Serm. de Omnibus Sanctis, tres sanctarum animarum status distinguit, *Primum in corpore corruptibili, secundum sine corpore, tertium verò in beatitudine consummatâ; primum in tabernaculis, secundum in atriis, tertium in domo Dei.* Et infrà: *In illam,* inquit, *beatissimam Dei domum, animæ nec sine nobis intrabunt, nec sine corporibus suis, id est, nec Sancti sine plebe, nec spiritus sine carne.* Et Serm. 4. per altare de quo S. Joannes, *vidi sub altare, &c.* dicit intelligendam esse Christi humanitatem, cujus conspectu fruuntur jam animæ, quæ post resurrectionem ad videndam essentiam Dei, seu Christi, non in formâ servi, sed in formâ Dei elevandæ sunt: imò addit à Filio ostendendos esse Patrem, & Spiritum Sanctum, & percepturos tunc justos inexpertas delicias: *Quonam igitur modo super altare dixerim exaltandos eos, qui nunc sub altari quiescunt? visione utique, & contemplatione, non prælatione: ostendet enim tunc nobis Filius, ut pollicitus est, semetipsum, non in formâ servi, sed in formâ Dei ostendet: etiam nobis Patrem, & Spiritum Sanctum, sine quâ nimirum visione nihil sufficeret nobis . . . . . . transiens quippe ministrabit nobis novas utique, & usque ad illud tempus penitùs inexpertas delicias manifestæ suæ contemplationis; undè & S. Joannes in Epistolâ suâ. Nunc, inquit, Filii Dei sumus, sed nondùm apparuit quid erimus. Et addit, scimus autem, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.*

R. S. Bernard. visionem statim post obitum concedi existimavisse, ut probavimus. Undè nihil aliud voluit, quàm quòd S. August. voluisse ostendimus, consummatam nempè beatitudinem futuram, cum corpus animæ adunatum fuerit. Nam ait serm. 3. de Festo Sanctorum: *Acceperunt primas singulas stolas; sed non vestientur duplicibus, donec vestiamur & nos.... Stola enim prima, ipsa est, quam diximus, felicitas, & requies animarum: secunda verò, immortalitas & gloria corporum.* Et infrà: *Animæ sanctæ, quas propriâ Deus insignivit imagine, te, caro, desiderant; quas redemit proprio sanguine, te expectant; & ipsarum sine te compleri lætitia, perfici gloria, consummari beatitudo non potest: adeò siquidem viget in eis desiderium hoc naturale, ut necdùm tota earum affectio liberè pergat in Deum; sed contrahatur quodammodo, & rugam faciat, dum inclinantur desiderio tui.* Undè nihil aliud voluit, quàm animas Beatorum non tam clarè videre Deum, quàm post resurrectionem visuræ sint: inexpertas autem illas delicias vocavit; non quòd ex visione Dei delectationem Sancti non perceperint; sed quòd ratione corporis illas delicias non sunt experti, nec etiam intuiti sunt divinitatem, seu Christum super altare, ut habet, seu effecta illa miranda divinitatis Christi futura nondùm conspexerunt in illis corporibus, quæ sunt sub altari: quippè conspicua tantùm eâ ratione post resurrectionem fiet Christi divinitas; tunc enim maximè illucescet, cum, ex Apost. 1. Col. 15. ℣. 28. *Deus erit omnia in omnibus.*

Si quæ alia loca in aliis Patribus occurrant, pertinent vel ad completam beatitudinem, vel ad intuitivam visionem omnibus concedendam publicè, vel ad incrementum quoddam beatitudinis. Mirabitur forsàn quis, undè implicatæ videantur ita antiquorum sententiæ: si probationes consulantur, in aperto est plerorumque doctrina; si verò argumenta ex illis accepta perpendere in animo sit, ambigua eorum disserendi ratio animis occurret. Adversus antiquiores, quos à Papiâ, & fabulosis operibus deceptos fuisse non ignorabant, veneratione ducti, qui subsecuti sunt Sancti Patres, vel authores antiqui, mentem suam quandòque subobscuriùs exponere, quandòque antiquorum illorum placitis non adversari videntur: nam in illis quæ Religionis capita palàm non lædebant, quia nondùm juxta sibi traditam doctrinam decreto solemni Ecclesia definierat, antiquorum illorum memoriam noluerunt proscindere; posterisque hâc œconomiâ documento sunt insigni, ne Patrum, laboribus suis, aut martyrii coronâ de Ecclesiâ benè meritorum, famæ, vel levis macula vehementiori zelo inuratur. Quæ œconomia fiet evidentior, si Sanct. Gregor. Naz. doctrina excutiatur: nihil enim apertius his quæ exscripsimus; & tamen ubi Orat. 10. Cæsarii fratris laudes prosequitur, licet eum Sanctis annumeret, eo modesto loquendi genere utitur: *Tu divinum, & sacrum caput, utinam cœlos penetres, atque in Abrahæ sinu, quicumque tandem ille est, conquiescas, & Angelorum choream, ac Beatorum virorum gloriam, & splendorem spectes, vel potiùs unà tripudies & exultes.* Et in eâdem Orat. *Sapientum verbis adducor, ut credam pulchram omnem*

animam, & Deo charam, posteaquam corporis vinculis soluta hinc excesserit, protinùs bonum, quod eam manet, persentientem, & contemplantem (utpotè eo, quod tenebras offundebat, vel purgato, vel deposito, vel, quo verbo ea res appellanda sit nescio) mirabili quâdam voluptate affici, & exultare; atque hâc vitâ, tanquam gravi ergastulo, liberatam, compedibusque illis, quibus mentis alæ deprimebantur, solutam, summâ cum hilaritate ad dominum suum tendere, ac reconditam beatitudinem jam velut per imaginem & simulachrum percipere: post etiam aliquantò cum cognatam carnem à terrâ, quæ & dederat, & in fidem acceperat, receperit (quod quomodo fiet, is novit, qui ea inter se conjunxit, atque dissolvit) tùm demum eam quoque ad gloriæ cœlestis hereditatem secum admissuram. Quasi verò Sapientum solâ authoritate in eam fidem adduceretur S. Greg. Naz. eumque lateret, quæ esset illius beatitudinis amplitudo, & natura. In orat. verò 52. aut Epist. 2. Cledonio, ubi se ab Apollinaristarum doctrinâ abhorruisse semper testatur, alterum Judaïsmum vocare non dubitat, crassiorem Millenariorum de deliciis carnalibus cum Christo per mille annos sententiam: hanc scilicet Ecclesia rejecerat ab antiquo; aliam verò de loco, ubi animæ requiescerent ad judicii diem postremum, intactam dimiserat: undè ea fuit modesta antiquorum definiendi ratio.

Opp. 7. Ex SS. Justino, Irenæo, & aliis antiquis, si in locis quibusdam à cœlo dissitis non detineantur justorum animæ, melius cum iis agetur, quàm cum ipso earum domino, qui tres in tumulo dies in Infernis, aut in sinu Abrahæ commoratus est.

R. hanc, & cæteras rationes, quas proponere solent antiqui, nullius esse ponderis, ut ipsi attendenti statim fit in aperto; neque Sanctos quidquam ipso Christo præstantius consequi ullo modo dici posse. Ejus mors, ut & resurrectio, resurrectionis nostræ aliquandò futuræ exemplar semper erit perfectissimum. Sicut enim Christus exemplar nostrum mortuus est, quievit in tumulo, resurrexit, & in cœlum ascendit; sic & nos morimur, deindè jacemus in sepulchro, posteà resurgemus, & tandem in cœlum corporaliter ascendemus. Sicut etiam anima Christi ante resurrectionem corporis sui beata fuit, atque gloriosa; sic & hæc pariter justis gratia concedetur. Quod autem anima ipsius Christi ad Inferos descenderit, priusquam in cœlum ascenderet, ad exemplar minimè pertinet: nec enim Christus ad Inferos descendit, ut viam ad Inferos nobis ostenderet, vel ut ibi pararet nobis locum; sed ut animas ibi detentas liberaret, ac Infernum locum illum destrueret, ne Sanctorum animæ posthàc eò deducerentur.

Opp. ultimò. Beatitudo corporis differtur ad ultimum usque judicii diem: ergò & animæ felicitas.

R. maximum esse discrimen; tùm quòd anima seorsim à corpore sit capax beatitudinis; non ita corpus: tùm quòd anima concurrat principaliter ad meritum; corpus autem solùm ut instrumentum.

Inst. Dæmones nondùm cruciantur; sed eorum pœna ad ultimum

usque judicium differtur: undè Mathæi 8. dicunt Christo, *Venisti huc ante tempus torquere nos?* Et Lucæ 8. deprecantur eum, *ne imperaret illis, ut in abyssum irent.* Ergò de hominibus idem continget. Si autem improbi non sint ante generale judicium puniendi; nec etiam ante tempus illud justi sunt remunerandi.

R. quosdam è Sanctis Patribus in eâ opinione fuisse versatos, ut existimarent Dæmones ante judicii diem gehennæ pœnâ non esse torquendos. S. Justinus Martyr in utrâque Apologiâ, non semel docet Dæmones igni sempiterno esse addicendos; nondùm tamen addictos. S. Iren. lib. 5. advers. hæreses, ait Diabolum ante Christi adventum nunquam blasphemias evomuisse in Deum, quòd ignoraret adhuc suam damnationem; sed à Christo, & ab Apostolis tandem didicisse, ignem æternum sibi esse paratum: quam opinionem ipse à Sancto Justino se accepisse significat S. Irenæus. S. etiam Epiphanius in hæresi Sethianorum asserit Dæmones non solùm suam ignorasse damnationem; sed & per adventum Christi suam sperasse salutem: verùm cum viderent nihil à Christo in sui gratiam fieri, tùm tandem de salute suâ desperasse, & per hæreticos Deum blasphemare cœpisse. Idem adhuc cum S. Justino censet Oecumen. in c. ult. 1. Pet. Verùm constat Dæmones pœnam damni simul & sensûs perferre, & quòcumque volitent, ut loquitur Beda in Comm. cap. 3. Ep. S. Jacobi, eos ubique suam gehennam circumferre: quod & expresserunt, S. Aug. lib. 10. de corr. & grat. cap. 10. & S. Prosper lib. 1. de vitâ contemplativâ, ubi docent Dæmones jam esse condemnatos, ac infœlices effectos. Interim fatemur multos Dæmones nondùm esse demersos in abyssum, sed in hoc aëre caliginoso versari, ad hominum exercitationem; undè Apost. Ephes. 2. illos vocat hujus aëris principes: attamen illi omnes spiritus nequitiæ luunt jam gravissimas pœnas gehennæ. Cur autem tantoperè illam in abyssum detrusionem aversentur, ratio est, quòd fraudes suas, simulque vires infirmas intelligant cognitum iri; timeantque ne, ut à viris, fœminis, ac pueris superati, spectentur: vel etiam quòd ab ipsis hominibus sint judicandi, 1. Cor. 6.

Q. num Joannes XXII. Justos decedentes, quibus nihil purgandum superest, visione beatificâ frui statim post mortem censuerit?

R. 1. illum Pontificatûs initio non recessisse à doctrinâ Clementis VI. an. 1276. quæ extat in Professione Fidei Cath. ad Paleologum Imperatorem, quam refert Raynaldus ad an. 1341. num. 43. his verbis: *Et prædicat sacrosancta Ecclesia* &c. Et infrà: *illorum animas, qui post sacrum baptisma susceptum nullam omninò peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ post peccati contractam maculam, vel in suis manentes corporibus, vel iisdem exutæ, sunt purgatæ, in cœlum mox recipi.* Nam ipse Joannes XXII. an. 1318. in Profess. Fidei ad Assinium Regem Armenorum; an. 1321. ad Episcopos Armenos, qui in Tartariâ versabantur; an. 1323. ad Orosium Regem Sarviæ; an. 1329. ad Tartarorum Imperatorem; & an. 1330. ad Christianos, & incolas montium Dealbos, eadem verba transcripsit.

R. 2.

R. 2. Joan. 22. visionem intuitivam postmodùm Sanctis negasse, solâ eis quâdam beatitudinis specie in cœlis concessâ; nec nisi post resurrectionem visione faciali, ut vocat, fore donandos censuisse. Ita in concionibus, quas refert Raynaldus ex Biblioth Vaticanâ ad ann. 1331. quo quæstio hæc moveri cæpit, num. 44. *Dominus Joannes*, inquit, *ann.* 1331. *in Festo omnium Sanctorum, in sermone quem publicè fecit, qui incipit, Mementote operum Patrum, quæ fecerunt in generationibus suis, &c. & in alio Serm. quem publicè fecit eodem ann. in Dominicâ tertiâ de Adventu, qui incipit, Gaudete in Domino semper, &c. & in alio Serm. quem publicè fecit ann. Domini* 1332. *in Vigiliâ Epiphaniæ, qui incipit, Surge tolle puerum, & matrem ejus.* Et infrà, *Dogmatizatus est, quòd Sancti in cœlo non vident usque ad diem generalis Judicii & futuram corporum resurrectionem, faciem Dei, sive divinam essentiam; sed tantummodò vident, & videbunt usque ad futurum universale Judicium, humanitatem Christi.*

2. Qui ejus partibus adhærebant, pro eâ sententiâ stabant acerrimè, ut Gerardus Minoritarum Præfectus generalis, qui ad dissidia Regum Angliæ & Scotiæ componenda internuntius missus palàm sententiam, quæ nunc justis visionem beatificam negaret, Parisiis propugnavit; hincque rumor sparsus fuit Gerardum illum Parisios missum fuisse, qui hanc doctrinam doceret.

3. Qui justis mox visionem Dei concedi asserebant, pessimè à Joanne, & ab illis, qui ei adhærebant, excipiebantur, ex Raynaldo ad eundem an. num. 48. inter eos fuit Durandus Meldensis Episcopus, celeberrimus, & antiquus Theologiæ Magister, qui opere scripto ab illâ sententiâ tanquam erroneâ Joannem avocare conatus fuit. Argumenta illius erant, quod juxta Zachar. c. 9. Christus in inferos descendisset, ut exinde, seu ex lacu vinctos in cœlum adduceret; idque præstitisset visionem divinam præbendo, quâ gratiâ solâ privabantur: unde inferebat, eum qui negaret Sanctis Dei visionem, Christi quoque ad inferos descensum negare. Addebat locum Zachariæ de amplificatâ tantùm lætitiâ non posse intelligi; sic enim non ex vinculis, non ex laqueis fuissent liberati. Probabat 2. ex Christi verbis, Lucæ 23. ad Latronem, *Hodie mecum eris in Paradiso*, hæc scilicet de Christi corpore, quod in sepulchro per triduum fuit detentum, explicari non posse; proindèque de Divinitate, quam anima Latronis conspicaretur, esse intelligenda. Superiùs adducta loca urgebat etiam Durandus, & præsertim hæc Apostoli verba, *cupio dissolvi, &c.* quæ ad gratiæ certitudinem, quasi hîc de salute periclitaretur, detorquerentur iniquè; cum ex revelatione, gratiâ se privatum non iri, sciret Rom. 6. *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, &c.* Præcipuè verò generalem ritum urgebat, & authoritatem Ecclesiæ, quæ de Apostolis palàm cantaret: *Dedit illi gloriam sempiternam*: non gloriam corporis, quam non habent; sed gloriam animæ, quæ in visione Dei posita est: cantaret quoque Martyres vitam beatam possidere, quæ in solâ eâdem visione consistit; & concludit Durandus periculosum esse errorem, justorum animis gloriam post mortem negare.

Librum illum exceperunt pessimè Pontificii Aulici Avenione : igitur contrariæ sententiæ adhærebant. Imò & refert Raynald. ad eundem annum. 58. à Fidei Censore in jus vocatum fuisse Durandum , cui Regis Philippi authoritas nisi fuisset propugnaculo , à Joannis authoritate sibi timendum habuisset. Sic ex eâ Theologorum Pontificiorum adversus Durandum Meldensem , & alios ejusdem sententiæ viros contentione, palàm est , quo animo fuerit Joannes XXII.

4. idem constat ex ejus successore Benedicto XI. qui ann. 1335. ex Ptolomæo Lucensi l. 24. c. 43. die Purificationis in concione publicâ dixit, *quod Sancti viderunt clarè essentiam Dei*, contra opinionem decessoris sui, qui de hoc dubium fecerat. Porrò pridie nonas Februarii eos qui sui decessoris opinionem prædicaverant, advocavit, ut ea, quibus niterentur fundamenta, exponerent. De eâ quæstione Cardinalis librum examinandum eis tradidit.

R. 3. Non tamen definivisse Joannem XXII. justis post mortem Dei visionem ad resurrectionis tempus differri , & si quid doctrinæ Catholicæ contrarium illi exciderit, cum ante exitum hanc sententiam deposuisse.

Prob. quia ex Tom. 1. Actuum Sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis apud Seminarium Parisiense S. Sulpitii fol. 232. ad ann. 332. Rex Philippus coram Episcopis, Abbatibus, Regiæ stirpis Principibus , & aliis regni proceribus, sacram Facultatem Theologicam de quæstione propositâ, circa Dei visionem sententiam dicere in Castro Vincennarum, jussit. Inter Doctores autem sedebant Paludanus Patriarcha Hierosl. & Petrus Rogerus Archiepisc Rothomag. ejusdem Facultatis Magistri. Omnes 1. unanimi consensu, significatâ suâ erga Sedem Apostolicam, & Joannem XXII. reverentiâ, Joannem XXII. circa hanc quæstionem nihil definivisse testificantur. 2. Justorum animas nunc visione beatificâ, seu post mortem, frui constituunt. 3. Alterâ Congregatione apud Mathurinenses, qui abfuerant Magistri, statutum idem confirmant. *Placuit*, inquiunt, *vestræ Regiæ Majestati nos Dominicâ quartâ Adventûs Domini , in vestro manerio in nemore de Vicennis ad sui præsentiam convocare ; nosque requirere , quod vellemus corporale juramentum præstare, quod super petendis à vobis de statu animarum Beatarum corporibus exutarum, veritatem , quam sentiebamus , fideliter & absque palliationis cujuscumque velamine diceremus , assistentibus vestræ Regiæ magnitudini excell. Principibus , & iisdem Archiepiscopis , Episcopis, & Abbatibus , duæ nobis propositæ fuerunt quæstiones. Prima , utrùm animæ Sanctorum, in cælo existentes, videant divinam essentiam facie ad faciem, ante resumptionem corporum , & ante Judicium generale. Secunda est , utrùm visio , quam de essentiâ divinâ nunc habent , evacuabitur in die Judicii, aliâ succedente.*

Attendentes specialiter id quod ore vestro ibidem audivimus , scilicet quòd nihil in hac materiâ quærebatis , quod tangere possit sanctissimum Patrem , ac Dominum nostrum , Dominum Joannem , divinâ providentiâ sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ & universalis Ecclesiæ Summum Pontificem , cujus devoti servi & filii sumus : quin imò , quod sicut filius ejus devotissimus, honorem suum in his & aliis concedebatis advertentes : quod

multorum fide dignorum relatione audivimus, quod quidquid in hâc materiâ sanctitas sua dixit, non asserendo, seu opinando protulerit: sed solummodò recitando: considerantesque, quòd, juxta Principis Apostolorum doctrinam, de eâ quæ in nobis est fide & spe, parati esse debemus omni poscenti nos reddere rationem; sigillatim quod sentiebamus super petitis respondimus.

Sed omnes in hanc sententiam convenimus, quòd à tempore mortis Domini nostri Jesu-Christi, per quam pretium redemptionis humani generis extitit persolutum, omnes animæ Sanctorum Patrum, quas ibidem Salvator noster ad Inferos descendens eduxit de Limbo, cæterorumque Fidelium animæ, quæ de corporibus exierunt, nihil habentes purgabile; vel quæ jam in Purgatorio sunt purgatæ, ad visionem nudam & claram, beatificam, intuitivam, & immediatam divinæ essentiæ, & benedictissimæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, quam Apostolus 1. ad Corinth. 15. nominat, visionem faciei ad faciem, sunt assumptæ, ipsâque Deitate beatâ perfectè fruuntur, & jam; quod crediderunt, videntes; quod speraverunt, tenentes; non in spe, sed in re sunt beatæ; quodque dicta visio, quam nunc habent, resumptis corporibus minimè evacuabitur, succedente aliâ; sed ipsa in eis, cum sit earum vita æterna, perpetuò remanebit.

Et quia Princeps inclite nos fecisti Parisiis congregari, ut illud, quod dixeramus, redigeremus in scriptis, nostris ibidem sigillis appensis: nolentes vestris jussionibus contrariare, præsentes litteras sub appensione sigillorum nostrorum vestræ excellentiæ duximus concedendas.

Prædicta definitio à cæteris Magistris fuit approbata apud Mathurinenses, & eorumdem subscriptione ac sigillo munita, ut à Rege ad Summum Pontificem mitteretur.

An. 1333. Rex transmisit decretum Sacræ Facultatis ad Summum Pontificem cum litteris acribus: nempè, nisi de tardâ visione, quam vulgaverat, opinionem revocaret, se eum igni traditurum: quæ verba in Concilio Ecclesiæ Gallicanæ an. 1406. super schismate Benedicti congregato non timuit repetere Petrus de Alliaco. Ita in iisdem Actis.

Acceptis his litteris Pontifex, agnitoque Regis animo, & Magistrorum Parisiensium decreto, rescripsit prædictam opinionem non eo se animo vulgasse, ut tanquam veram proponeret; sed ut quæstionem tantummodò Theologis agitandam: neque se ulli parti immobiliter, & determinatè adhæsisse.

Idem confirmat ad an. 1333. Raynaldus, asseritque Joannem, hortatum fuisse Cardinales, Episcopos, & Theologos, hanc quæstionem juxta Scripturas, & antiquos expenderent, & ad Regem Philippum, & Reginam litteras scripsisse, in quibus negat se Geraldum Minoritarum Præfectum Generalem Parisios misisse, qui sententiam, quæ justis visionem Dei negat, doceret; sed ad Reges Angliæ & Scotiæ nuntium pro pace componendâ deputasse: perperàm vulgari ipsum non esse in Theologiâ magistrum: non esse autem attendendum ad hominem, qui diceret;

ſed ad dicta, quæ proferrentur: ſe nihil, niſi quod traditum erat pro utrâque ſententiâ ſcripſiſſe. Rogat Regem, ne affirmantem ſententiam jubeat tanquam ſolam veram prædicari; aliam verò ut hæreticam rejici: patiaturque per Magiſtros Theologiæ Pariſienſis utramque ſententiam agitari, donec Sedes Apoſtolica definiiſſet. Joannis opinio Theologis Pariſienſibus videbatur hæretica: Eorum ſententiæ Rex Chriſtianiſſimus adhæſit.

Pontificem etiam movebant non leviter, data Ludovico Bavaro Imperatori, quem ut Imperii invaſorem exommunicaverat, conſilia de Synodo in Germaniæ partibus, contra ipſum, ut recentis hæreſis reum, convocandâ. Periculum eò graviùs imminebat, quòd Cardinales, & Epiſcopi non pauci has in partes Imperatoris authoritate incitarentur, & Joanni Papæ non mediocriter infenſi; & quod Michael Cæſenas Minoritarum Præfectus Generalis, Ochamus, & Bonagrâtia Minoritæ, ob quæſtionem de bonorum, poſt emiſſum votum, proprietate, Ludovicum Imperatorem impellerent adverſus Pontificem. Undè ſibi timens Joannes, non modò fuit conteſtatus ſe nihil in ſermonibus ſuis definiendo protuliſſe; ſed quæſtionem à Theologis movendam, ut magnâ ſollicitudine indagaretur quid eſſet definiendum, propoſuiſſe: &, ſi quid fidei adverſum excidiſſet, ſe illud revocare; imò & ſe pro ſententiâ Pariſienſium Theologorum ſtare.

An. 1334. dum morti eſſet proximus, ad eundem an. ex Raynaldo num. 28. in publico Cardinalium Conſiſtorio, & adductis publicis Notariis, ſe nihil à fide devium unquam ſenſiſſe ſignificavit: *Dicimus*, inquit, *& proteſtamur expreſsè, quod quidquid in quæſtione, ſeu materiâ viſionis animarum, videlicet, an animæ à peccatis, & pœnis peccatorum purgatæ videant divinam eſſentiam illâ viſione, quam Apoſtolus vocat facialem; ſeu quâcumque aliâ materiâ in ſermonibus, & collationibus noſtris diximus, allegavimus, ſeu propoſuimus, non intendentes aliquid determinare, vel decidere, ſeu credere, quod eſſet quovis modo Scripturæ ſacræ obvium, vel contrarium fidei orthodoxæ.* Et addit revocate ſe quidquid excidere potuiſſet fidei contrarium. *Etſi forſan in prædictis ſermonibus, vel collationibus aliqua, quæ vel Scripturæ ſacræ, ſeu fidei orthodoxæ quovis modo eſſent, aut viderentur obvia, ipſa præter intentionem à nobis fuiſſe prolata dicimus, & aſſerimus, eaque revocamus expreſsè; non intendentes illis adhærere, nec ea in præſenti defendere, nec etiam in futurum.*

Quod refert Bonagratia Minorita in Bibliothecæ Vaticanæ manuſcripto, ſcribit & Ptolomæus Lucenſ. lib. 24. c. 41. & addit curaſſe Joannem, ut in illo conſiſtorio per quinque dies, quæ in utramque partem ex ſcripturis, & antiquis monumentis collecta fuerant, legerentur. Nec diffitentur Nicolaus Minorita, & Ochamus in Dial. Tr. 2. c. 19. Idem quoque refert Joannes Villanus lib. 11. c. 19.

Hanc quæſtionem ejus ſucceſſor Benedictus II. definiit an. 1336. & quæ mox retulimus omnia confirmavit. Ad Philippum Franciæ Regem ſcribit ſe in Pontiſſorgiæ Avenionenſis caſtrum ſeceſſiſſe, ut de viſione Dei

post mortem definiret, quid esset sentiendum. Tandem eodem an. in Decretali quæ incipit, *Benedictus Deus*, definiit animas sanctas, quibus nihil purgandum superesset, statim atque decessissent, Dei faciem videre & contrariam sententiam esse hæreticam constituit. Id patet ex Ptolomæo Lucensi, & ex manuscripto Vaticano apud Raynaldum ad ann. 1336. & ex Bullâ quæ extat in Bullario, in quâ testatur Benedictus Joannem decessorem suum ad illius quæstionis decisionem parasse se, & Cardinalibus, & Theologis injunxisse, ut ad sententiam suam dicendam se accingerent; ac morte præventum absolvere non potuisse quod in votis erat. Benedictus etiam ad confirmandam istam sententiam opus scripsit Egregium, ut habet Raynaldus.

Opp. ex Ochamo Joannem XXII. pertinaciter, etiam scripto, opinionem suam propugnasse.

R. Aliud constare ex superioribus: Ochamo verò Ludovici Bavariæ partibus addicto, & Papæ ita infenso, ut nihil non tentarit, quo Joannis famam proscinderet, fides potest non adhiberi; & eò potiori jure, quòd tot extant monumenta, ex quibus certò evincitur nihil à Joanne XXII. fuisse definitum. Addimus ex Ulrico Doctore Germano lib. 4. *Si sermo Papalis, Joannis XXII. piè & sanè intelligitur; non propriè sermo, nec definitio, nec determinatio, sed quædam Scholastica disputatio aptiùs esse perpenditur.* Libellum quidem ad Petrum Rothomag. Archiepisc. transmittit Joannes XXII. sed in eo nihil nisi plura Scripturæ & Patrum loca referuntur collecta, & scribit Raynaldus ad ann. 1333. num. 45. Joannem in Epist. ad Regem Philippum eâ ratione mentem suam exposuisse.

ARTICULUS SEPTIMUS.

Cujus naturæ & virtutis sit auxilium, seu gloriæ lumen eliciendæ beatificæ visioni necessarium.

NON diu immorabimur quæstioni isti, ut nec iis, quæ in scholis vulgò proponuntur; cum juxta Theologiæ principia tractari nequeant: eas solùm perstringemus.

Conclusio I. Auxilium visioni beatificæ necessarium, à Theologis meritò gloriæ lumen nuncupatur.

1. Quia scriptura, Concilia, & ipsa ratio, sic appellandi fundamenta præbent Isa. 60. *Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* Apoc. 22. ℣. 45. *Videbunt faciem ejus, & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis; quia Dominus illuminabit eos, & regnabunt in sæcula sæculorum.*

2. Beguardos, & Beguinas, quòd illius luminis necessitatem negarent damnat Concilium Viennense.

3. Quod juvat ad eliciendam visionem, luminis nomine meritò insignitur: sicut enim Sol nonnisi mediante suo lumine oculis nostris sese videndum objicit, & præbet; ita cum à Beatis conspicitur Deus, lumine suo mentem perlustrat.

His Ps. 35. ℣. 10. verbis. *Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Non utimur in luminis istius gratiam, quòd SS. Patres, quorum interpretationibus est inhærendum, procul dubio verba illa, non de illo auxilio, sed de ipso Dei verbo interpretentur, in quo videndus sit Pater. Sic Origen. lib. 1. de Princip. c. 1. SS. Aug. frequenter, & Cyrill. lib. 1. in Joan.

Conclusio. II. Lumen illud ad suscipiendam visionem, instar dispositionis se habere, non videtur dicendum.

Prob. Quia dispositionis munia obiret, vel ut visionem beati reciperent, quæ à solo Deo produceretur, quod non admitti potest; sequeretur enim beatos non elicere visionem; de fide autem est, tàm visionem intellectivam elici in cœlis, quàm in terris visionem ænigmaticam 1. Cor. 13. ℣. 12. *Videmus nunc per speculum, & in ænigmate; tunc autem videbimus facie ad faciem.*

2. Vel dispositionis vices gereret, ut essentia divina beatorum intellectui sisteretur præsens; quod non præstat; nam essentia Dei ex se maximè præsens est: Vel ut Dei essentiam in se reciperent beati: non magis autem ad id qualitate disponente opus est, quàm cum ad fidei, spei, & charitatis actus gratiâ homo donatur; si enim cooperatio illa dispositionem quandam supernaturalem exigeret, illa pariter dispositio novam postularet, & sic in infinitum fieret processus.

Sed, inquies, necessaria sunt quædam accidentia, quæ ad formas naturales subjecta præparent: ergò à pari formæ & actus supernaturales præexigunt quasdam dispositiones.

R. Substantiales formas prærequirere quidem dispositiones; non ita autem se habere formas accidentales, daretur enim in infinitum progressus; nec etiam accidentales formas supernaturales, v. c. fidem, charitatem, alias dispositiones supponere.

Conclusio III. Intellectûs virtutem essentialem non intendit lumen gloriæ; quia intensionis & remissionis incapax est intellectus, utpotè facultas substantialis & spiritualis.

Conclusio IV. Gloriæ lumen intellectum juvat per modum qualitatis intrinsecæ, & habitûs.

1. Quia, ut actus sit connaturalis, & constans, & suavis, cujusmodi est Dei visio, à principio intrinseco, & intrinsecè proportionato, facultatem per modum habitûs juvante, proficisci debet.

2. Ejusdem naturæ est principium juvans beatorum facultates ad Deum assequendum, cujus principia, quæ viatoribus ad promerendam illam assecutionem sunt auxilio; hæc autem principia sunt qualitates, quæ per modum habitûs viatorem juvant 1. Cor. 13. Charitas enim viæ, in pa-

triâ remanere dicitur. Equidem habitus naturalis & naturæ viribus comparatus, nonnisi agendi facilitatem dat facultati; dat autem insuper habitus supernaturalis ipsam agendi facultatem.

Conclusio V. Non potest esse creaturæ intellectuali connaturale lumen gloriæ, seu dari non potest creatura, quæ per se ipsam Deum videat, seu cui Dei visio intuitiva sit debita.

Prob. Non potest intellectuali creaturæ concedi, quod creaturæ naturam destrueret, eamque divinitatis participem faceret, ut quam in eo statu constitueret, in quo peccare non posset, & in bono immobilis fieret: de ratione enim est intellectualis creaturæ, ut peccare possit ex S. Aug. lib. 4. de Trinitate capite 4. sic; *Quanquam magna natura est, vitiari tamen potuit; quia summa non est.* Enchir. c. 12. *Naturæ igitur omnes, quoniam naturarum prorsùs omnium Conditor bonus est, bonæ sunt: ideò in eis, & minui bonum, & augeri potest.* Igitur res creata peccare potest; quia summa esse non potest, nec est summè, aut immutabiliter bona. Si autem res quædam creata naturaliter Deum intuitivè videret, peccato non esset obnoxia: visio enim hæc peccatum omne excludit. Deindè quo pacto fieri posset, ut quis intuitivè Deum videat, & ullâ peccati oblectatione moveatur? quid enim suavius & præstantius summo bono? Nec enim in beatis superest liberum arbitrium, cujus usu peccare possint. Undè visio beatifica cum peccandi potestate nequit consistere. Quam doctrinam sic exponit S. Aug. l. 22. de Civit. cap. 30. ubi quærens cur indifferentiam primo homini Deus contulisset: *Servandi gradus erant divini muneris,* inquit, *ut primùm daretur liberum arbitrium, quo peccare posset homo: novissimum, quo peccare non posset; atque illud ad comparandum meritum; hoc ad recipiendum præmium pertineret.* Sic visio beatifica, seu alterius vitæ status, qui justitiæ præmium est, impeccabilitatem infert. Sic & S. Ansel. lib. 20. *Cur Deus homo* c. 2. discipulo interroganti, cur Deus Angelos tales non fecerit, ut peccare non possent; respondet, quia non potuit, nec debuit facere, ut Deus essent. Ergò de naturâ solius Dei est, ut peccare non possit; ac proindè essentiam & naturam assequeretur divinam res creata, si ex se peccare non posset; cujusmodi esset, quæ connaturalem, & sibi debitam haberet Dei visionem. Aliundè benignitatem divinam dedeceret omnimodè, summo bono, seu visione beatificâ viros insontes privare aliquandò.

Opp. Quâ ratione potest Deus creare accidens supernaturale, ut fidem, spem, charitatem; potest etiam creare supernaturalem, seu superioris ordinis substantiam, ex quâ supernaturalia emanabunt accidentia, quæ tunc illi creaturæ naturaliter inerunt.

R. Non exigere accidens supernaturale ejusdem cum Deo esse rationis; sed habere ordinem ad aliud, & pendere à subjectis quibus inest & in naturali esse subjecto: substantiam verò supernaturalem ejusdem cum Deo ordinis futuram esse, in quantùm peccare omninò non posset; cum autem existendi rationem sequatur agendi ratio, si ita Deum creatura prospiceret, divinæ naturæ particeps esset.

Inst. I. Accidentia supernaturalia, ut charitas, &c. Christo connaturalia erant; imò & visio Dei absolutissima. Ergò subjecto creato connaturalia esse possunt.

R. Ea connaturalia fuisse supposito quod Christus est; non verò humanæ, quam verbum assumpserat, naturæ, cui nec unio hypostatica, nec ulla debebantur supernaturalia accidentia.

Inst. II. Intellectûs, & luminis gloriæ virtus est finita; nec proindè redderet naturam peccati expertem, aut divinæ naturæ participem; quidquid autem finitum est, Deus potest creare.

R. Non posse Deum creare quidquid finitum est, si occurrat contradictio: nam licet creaturæ divino concursu adjutæ operandi modus sit finitus, non potest tamen res creata concursu divino non egere. 2. Gloriæ lumen creaturam ad essentiæ divinæ participationem, indirectè saltem, eveheret, licet nec esset Deus formaliter, aut virtualiter, aut eminenter; quia nempè in hâc entis ratione constitueret creaturam, quæ necessariam essentiæ divinæ participationem exigeret.

Inst. III. Intellectus in infinitum in perfectione essentiali augeri potest: ergò eam perfectionem potest assequi, quâ fiat ipsi connaturale gloriæ lumen.

R. Argumentum illud fieri non posse, nisi in ordine naturæ debito: sic licet in infinitum animantium perfectiones augerentur, hominis perfectione nunquam donarentur.

ARTICULUS OCTAVUS.

An æqualis sit in Beatis visio intuitiva Dei?

JOVINIANUS, ex S. Hieron. lib. 2. contra eum, duos tantùm ordines asseruit; ovium, & hircorum; seu justorum, & peccatorum; & nullam distantiam S. Joan. inter, & ultimum pœnitentem esse docuit. Ex Stoicorum dogmate, æqualia videlicet esse hominum merita, seu nullum occurrere discrimen inter hominum virtutes, ducebat originem hæc hæresis; cujus etiam incusatur Lutherus.

Conclusio. Inæqualis est visio beatifica.

Prob. 1. Quod in ratione præmii, pro meritorum varietate rependitur, & à Deo promittitur eâ ratione conferendum, cum sint inæqualia hominum merita, datur inæqualiter. Ejusmodi est æterna gloria, Joan. 14. ℣. 2. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* 1. Cor. c. 8. *Unusquisque propriam*, inquit Apostol. *mercedem accipiet, secundum suum laborem.* Et cap. 15. ℣. 31. *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum: stella enim à stellâ differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum.* Et in 2. Epist. ad Cor. c. 9. ℣. 6. *Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus*, id est abundè, *de benedictionibus & metet.* Ergo si mansionum cœlestium sit varietas; si cuique pro laboris diversitate, diversa merces sit rependenda; si resurrectio

ctio mortuorum ad diversitatis, quæ in stellis occurrit, similitudinem accedat; si etiam pro varietate seminis jacti varius colligendus sit fructus, procul dubio varia futura est æterna merces.

2. Si pro variis criminibus varia damnatis infliguntur supplicia. Sap. 6. ℣. 7. *Potentes potenter tormenta patientur*, & ℣. 9. *Fortioribus fortior instat cruciatio.* Apoc. 18. ℣. 7. *Quantùm glorificavit se, & in deliciis fuit, tantùm date illi tormentum, & luctum.* Potiori jure, ampliori præmio donabuntur, qui præstantioribus virtutibus prædití fuerint.

Eadem veritas perpetuo traditionis consensu nititur. Ecclesiæ Smyrnensis Episcopus S. Polycarpus gravissima tormenta minitanti Tyranno dixisse refertur: *Merita mea doloris æstimatione pensabo, quantò graviora pertulero, tantò præmia majora percipiam*: Hæcque veritas ita fidelibus erat persuasa, ut sibi congratularentur, cùm graviora perferenda sibi imminerent supplicia.

S. Justinus, Josue, Christi figuram fuisse in Dialogo probans, ipsum Josue omnibus æquas partes non tribuisse dicit, sic nec à Christo parem aut eamdem bonorum divisionem esse expectandam.

S. Irenæus lib. 1. c. 72. *Quantò autem honorabilius, tantò magis diligimus illud: & si plus illud dilexerimus, clariores erimus apud Deum*; & lib. 3. eodem fundamento nixus gloriæ mensuram ex charitate repetit. Sic S. Clemens Alex. lib. 4. Strom.

Tertullianus in Scorpiaco, veritatem hanc in Scripturis fundatam supponit c. 6. *Aut quomodo*, inquit, *multæ mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum? quomodo & stella à stellâ distabit in gloriâ, nisi pro diversitate radiorum. Porrò & si fidei propterea congruebat sublimitatis & claritatis aliqua prolatio, tale quid esse oportuerat illud emolumenti, quod magno constaret labore, cruciatu, tormento, morte.*

Origenes Hom. 1. in Num. Apostoli authoritate idem confirmat, & S. Hilar. in Ps. 64. S. Ambr. lib. 1. de Offic. c. 48. S. Chrysostom. Hom. 41. in 1. ad Cor. S. etiam Hieron. lib. 20. contra Jovinian. hanc sententiam authoritatibus Scripturæ suprà citatis probat; & veritatem, quæ ab antiquo in Ecclesiâ vigebat, contra hunc hæreticum pluribus asserit. S. Aug. in libro de Sanctâ Virginitate c. 14. Tract. 67. in Joann. & lib. 22. de Civit. cap. 30. de hac veritate nec ambigendum esse docet, & alibi sæpiùs.

Ecclesia Occidentalis 4. sæculo contra Jovinianum; Concilium Florentinum ex consensu utriusque Ecclesiæ in litteris unionis; & Tridentinum Sess. 6. Can. 32. dogma quod propugnamus, constituunt.

Opp. Math. 20. ℣. 9. Idem denarius, quo felicitas æterna designatur, operariis rependitur, inæqualis licet fuerit eorum labor. Et certè statûs illius tranquillitatem perturbaret hæc inæqualitas; hinc enim invidia oriretur.

R. Denario illo significari quidem eandem beatitudinem objectivam, seu Deum possidendum in æternum: Non verò exprimi felicitatem futuram secundum gradum & intensionem. In eo est scopus para-

bolæ, ut demonstretur non haberi rationem in felicitate æternâ Justis retribuendâ, eorum qui priùs, aut posteriùs ad fidem vocati sunt; cum futurum sit, ut primi sint novissimi, & novissimi primi.

Addi etiam potest ex sensu parabolico argumentum firmum erui non posse: nec parabolæ istius partes omnes statui Beatorum adaptandas esse, quales sunt expostulationes istæ ℣. 10. *Venientes autem & primi, arbitrati sunt quòd plus essent accepturi: acceperunt autem & ipsi singulos denarios; & accipientes murmurabant adversus Patrem-familias, dicentes: Hi novissimi unâ horâ fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei & æstûs.* Litteralis sensus parabolæ est, iniquo animo Judæos ferre, quòd sibi gentes æquarentur, & vocationis divinæ fierent participes: de benignitate Patris supremi aliud esse sentiendum, quoscunque cujuslibet Gentis in donorum partem quolibet tempore, etiam ultimo, vocare. Undè respondet pater-familias se non facere injuriam dando quod fuerat pollicitus ℣. 15. *Aut non licet mihi quod volo facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? sic erunt novissimi primi, & primi novissimi. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* Seu non modo Judæis qui legis jugum ab initio sustinuerant, seu diei pondus portaverant, sed & gentilibus horâ undecimâ vocatis denarium eundem, seu vitam æternam concessum iri.

Nec proinde colligendum est, mercedem eandem inæquali merito concedi: defertur enim merces, non juxta temporis, sed juxta laboris mensuram, quæ ducitur ex charitatis amplitudine. Ea verò in vocatis etiam sub vitæ finem adæquat, vel superat quandoque longè anteà vocatorum charitatem: cujusmodi fuit latronis, cui datum fuit à Christo pœnitentiæ sinceræ donum, & æternæ vitæ desiderium: cujusmodi fuerunt alii martyrio repentino donati: undè Sap. 4. dicitur, *consummatus in brevi explevit tempora multa.*

Ad confirmationem R. statûs illius tranquillitati nullomodo hanc inæqualitatem officere, ut exponit S. Aug. lib. 22. de Civit. c. 30. *Qui futuri sint præmiorum etiam gradus, honorum, atque gloriarum, quis est idoneus cogitare, quantò magis dicere? quod tamen futuri sint, non est ambigendum: atque id etiam beata civitas illa magnum in se videbit, quod nulli superiori ullus inferior invidebit: sicut nunc non invident Archangelis, Angeli cæteri: nollet esse unusquisque quod non accepit, quamvis sit pacatissimo concordiæ vinculo ei, qui accepit, obstrictus: sicut nec in corpore vult oculus esse, qui est digitus; cum membrum utrumque contineat totius carnis pacata compago.* S. etiam Greg. Magn. l. 35. Moral. c. 25. *Æqualis est; nec major appetitur; quia tantum quis capit, quantum cupiat; quantum quisque sitit, tantum bibit: inæqualis, quia, qui plus bibit, plus sitit: æqualis tamen plenitudo, quia æqualis est omnium saturitas: corporeis cibis æquè distenti, saturati sunt; quia, etsi plus alii aliis comederint, omnes tamen æquè exsaturati fuerint.* Hâc utrâque comparatione illustratur penitùs visionis beatificæ æqualitas, & inæqualitas.

Inst. Ubi æqualia sunt merita, æqualis est etiam merces; Justorum

merita sunt æqualia; cum merita Christi ipsis applicentur æqualiter, utpotè quæ sint indivisibilia, & spiritualia.

R. Non applicari merita Christi formaliter, seu justitiam Christi non esse justorum justitiam; sed tantùm applicari moraliter; seu meritis Christi fieri, ut infundatur nobis gratia, per quam justi sumus: hæc autem gratia ex beneplacito Dei & inæqualis est, & ei non continuò & æqualiter cooperamur, etiamsi æqualis quandoque sit.

CONCLUSIO II. Ex gloriæ luminis majori aut minori participatione, visionis beatificæ æqualitas, aut inæqualitas oritur.

Prob. Ut enim se habet circa viatorem concessa charitas respectu actûs charitatis eliciti; ita se habet lumen gloriæ, quod ex ampliori, aut minori charitate oritur, respectu intellectûs videntis. Atqui actûs charitatis amplitudo ex majori, aut minori infusâ charitate oritur: actûs enim supernaturalis perfectio ex principio naturali originem non ducit. 2. Si ex alio capite, quàm ex lumine gloriæ repeti posset visionis beatificæ inæqualitas, maximè ex variâ intellectûs videntis perfectione: sed ad visionis æqualitatem, aut inæqualitatem nihil confert ex se intellectus, prout est potentia naturalis; utpotè naturalis ordinis; nec prout est potentia obedientialis; cum potentia illa in Angelis & hominibus sit æqualis: nihil enim aliud est quàm facultas quædam, quæ est ejus naturæ, ut Dei auxilio ad actus supernaturales reddi possit idonea.

Deniquè nisi hinc oriretur visionis inæqualitas, non esset ratio æqualitatis, quæ inter Angelorum & hominum beatitudinem occurrit; aut cur etiam longè amplior sit, & magis intensa visio beatifica quorumdam hominum, ut B. Virginis, eâ visione, quâ donantur Angeli.

OPP. Viatoris intellectus perspicacior æquali fidei habitu instructus, magis intensum fidei actum elicit, quàm obtusior: sic licet intellectus sit mera obedientialis potentia respectu luminis gloriæ, præstantiorem nihilominus visionem eliciet, si sit perfectior.

R. Hæc esse certa de veritatis propositæ apprehensione naturali; non verò de assensu supernaturali: imò idiotarum longè major sæpiùs fides est, seu assensus supernaturalis; licet quæ ad fidem proponuntur, non, ut viri eruditi, & perspicacis ingenii, apprehendant.

INST. Intellectus acutior videt clariùs, si lumen gloriæ non modò juvet intellectum, sed etiam ipsum acumen intellectûs: at lumen gloriæ juvat acumen intellectûs; quia perfectionem naturalem perficit.

R. Acumen intellectûs, licet juvetur, non conferre ad intensionem visionis; utpotè quòd visio sit supra naturam: sed nec augetur acumen intellectûs; quia id pertinet tantùm ad actiones naturales, non ad supernaturales.

CONCLUSIO III. Visio beatifica mutationi, aut successioni obnoxia non est.

1. quia Beatorum facultas eodem semper modo afficitur, nempè lumine gloriæ; & medium semper idem est, in quo vident, scilicet essentia Dei, quæ eorum menti immotam se sistit: aliundè beatitudo nec variari,

nec mutari potest, cujusmodi est visio beatifica. S. Aug. lib. 15. de Trin. c. 16. *Fortassis*, inquit, *volubiles non erunt nostra cogitationes, ab aliis in alias euntes, atque redeuntes; sed omnem scientiam nostram uno simul conspectu videbimus.* Lib. 12. Confess. c. 13. ait intellectum beatum *nosse simul, non ex parte, non in ænigmate, non per speculum; sed ex toto in manifestatá facie ad faciem; non modò hoc, modò illud; sed quod dictum est, nosse simul sine ullâ vicissitudine temporum.* Et proindè semper eodem modo, & sine mutatione.

Opp. Eadem non est semper visio beatifica; novâ enim visione vident Beati, quæ anteà perspecta sibi non erant; sic recens productos homines, & ad se directas orationes novo intuitu intuentur.

R. Videre quidem eos de novo plurima in verbo causaliter, aut per revelationes recentes; non verò novâ visione formaliter, & quæ ad beatitudinis statum pertineat.

Conclusio IV. Ejusdem speciei sunt visiones beatificæ, tùm Angelorum, tùm hominum.

1. Quia occurrit idem objectum, nempè Deus: & principia formalia ejusdem speciei, lumen nempè gloriæ; & intellectus, prout elevatus, seu potentia obedientialis. Deindè nisi Angelorum & hominum visiones beatificæ ejusdem speciei essent, Angelicæ visionis perfectionem non possent assequi homines: Angelicæ autem visioni humana non modò æquatur, sed aliquandò etiam præstat, ut mox notatum est de Beatæ Virginis visione.

Opp. Specie distinguuntur ii vitales actus, quorum principia vitalia specie distinguuntur; inde enim visionem corpoream inter, & spiritalem oritur discrimen: Intellectus autem Angelicus, & humanus specie distinguuntur. Ergò, &c.

Responderi posset intellectum Angelicum, & humanum specie non distingui; intellectus enim animæ separatæ agit independenter à sensibus instar Angelici: sed aliundè intellectus illi spectati, ut potentia obedientialis, nullatenùs specie distinguuntur; non enim differunt inter se potentiæ obedientiales, licet naturales potentiæ distinguantur; quia potentia obedientialis nihil aliud est, quàm res ipsæ, prout omnipotentiæ subjiciuntur, quæ illis utitur, cum eas pro arbitrio agit.

ARTICULUS NONUS.

Visionis beatificæ latitudo.

Conclusio I. Fidei mysteria, quorum fidem in terris habuerunt, clarè intuentur beati: non tamen res omnes supernaturales, saltem quoad adjuncta singula.

1. Ex scripturæ locis art. 1. & 2. relatis Math. 5. *Beati mundo corde,* &c. Joan. 14. 2. 1. Joan. 3. *Cum apparuerit*, &c. Undè S. Aug.

lib. 20. de Civit. cap. 21. *Quid videbimus? quid nisi Deum, ut impleatur in nobis promissum Evangelicum, beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt; & omnia illa, quæ nunc non videmus, credentes autem pro modulo capacitatis humanæ, longè minus quàm sunt, atque incomprehensibiliter cogitamus; & videbitis, inquit, & gaudebit cor vestrum: hîc creditis, ibi videbitis.* Quòd autem non cognoscant omnia, & quoad omnia adjuncta, patet ex eo quòd quærant Angeli Isai. 63. *Quis est iste qui ascendit de Bosra?* à semetipsis quærebant quæ ad Incarnationis mysterium spectarent; nec noverunt Sancti, quo die judicium postremum futurum sit, licet futurum esse crediderint.

CONCLUSIO II. Dei attributa absoluta omnia, & notionalia, seu quæ sunt in Deo formaliter, vident beati.

Prob. 1. Ex iisdem Scripturæ locis, præsertim 1. Joan. 3. ℣. 2. *Videbimus eum sicuti est*: qui autem non videret quæ sunt in Deo formaliter, non videret Deum sicuti est; cum enim aliquid lateret: non videret, quid Deus est; quia non videret quæcumque in Deo sunt.

2. Ex 1. Cor. 3. Fidei succedit visio. *Videmus nunc per speculum, & in ænigmate; tunc autem facie ad faciem.* Nunc quæ essentiam & attributa tùm absoluta, tùm notionalia spectant, credimus: Ergò clarè tunc ea intuebimur.

3. Ex Joan. 14. ℣. 9. *Qui videt me, videt & Patrem.* Qui videt ergò unam personam, videt & aliam: & ut habet S. Aug. lib. 1. de Trin. c. 8. *Sive ergò audiamus, ostende nobis Filium: sive audiamus, ostende nobis Patrem, tantum valet; quia neuter sine altero potest ostendi; unum quippe sunt.*

S. Greg. Magn. lib. 4. Dial. cap. 34. *Quid est quod non vident, qui videntem omnia vident.* Undè Concilium Florentinum, in decreto unionis sub finem, à beatis clarè conspici Deum unum & trinum definit. 2. cum videtur clarè aliqua natura, videntur ea quæ ipsi naturaliter inexistunt; personæ autem divinæ, tum attributa absoluta, Deo realiter inexistunt, & identificantur. 3. imperfectissima foret Dei cognitio, nisi sub ratione absolutâ, & relativâ spectaretur; seu sub omni ratione, quâ videri potest, & quâ est.

CONCLUSIO III. Naturalem rerum ordinem, & quæ in terris geruntur simulque facta sunt, vident beati, & videre possunt.

Prob. quia hinc Basil. lib. de verâ Virginitate, Virginem hortatur, ut Dei & Angelorum timeat conspectum, & Sanctorum. *Ipsas Angelorum infinitas multitudines, & unà Sanctorum Patrum beatissimos Spiritus: nullus enim ex iis est, qui non singula ubique consideret; etsi autem oculis carneis minimè conspicui sunt, incorporeis tamen obtutibus ad cognitionem complectuntur omnia, & comprehendunt.* S. August. lib. 4. de Gen. ad Litt. c. 24. *Angeli procul dubio universam creaturam in quâ ipsi sunt principaliter conditi, in ipso Verbo Dei priùs noverunt, in quo sunt; omnium etiam, quæ temporaliter facta sunt, æternæ rationes, tanquam in eo per quod facta sunt omnia, ac deindè in ipsâ creaturâ.* Sanct.

Greg. Magn. in Hom. 40. in Evang. *Qui creatoris sui claritatem vident, nihil in creaturâ agitur, quod videre non possint.*

2. Fieri non potest, quin naturæ ordinem perspectum habere Sancti desiderent, prout divinæ potentiæ res creatæ subjacent, non prout voluntati subsunt divinæ: & eorum votis annuit Deus procul dubio; alioquin felicitati eorum aliquid deesset, nec eis fieret satis.

CONCLUSIO IV. Vident quoque beati præterita, & quæ ad sui, & suorum statum pertinent.

Sanctus Ambrosius in Oratione funebri de Theodosio, docet Theodosium Arcadii & Honorii Filiorum tutelam in cœlis esse suscepturum. *Theodosius plenus timoris Dei, plenus misericordiæ, speramus, quòd liberis suis apud Christum præsul assistat, si Dominus propitius sit rebus humanis.* Et Oratione funebri de Valentiniano, ita de Gratiano fratrem suum complectente disserit. *Quas ille nunc manus ad te Pater erigit? quas pro fratre preces fundit? quo ei inhæret amplexu? quemadmodum sibi eum non patitur avelli? adest etiam Pater, qui militiam sub Juliano, & tribunatûs honores fidei amore contempsit.*

S. August. Epist. 125. Cornelio, ut eum scortis deditum ad meliorem frugem adducat, mortuos esse viventium memores exemplo divitis damnati confirmat; *Quantò magis tua conjux te recordatur? quantò magis te casta non vult ad pœnas venire mœchorum?* Et lib. de curâ pro mortuis, eandem veritatem constantem supponit cap. 16. expendens quibus rationibus negotia nostra mortuis sanctis innotescant, ipsis perspecta esse nostra probat, quòd invocantibus beneficia conferant. Sic S. Felix, cum obsidione cingeretur Nola, Nolanis se conspiciendum præbuit; fatetur autem naturali cognitione res nostras ipsis non esse cognitas, sed tantùm supernaturali; quæ vel in verbo, vel per revelationem, vel per Angelos internuncios, vel aliâ occultâ ratione perspiciuntur.

S. Gregor. Mag. lib. 12. Moral. cap. 17. *An aliquid nesciant, qui scientem omnia sciunt? an fratres suos periclitantes non videant, non curent? an qui Deum toti, & totum sapiant, cum Deus charitas sit, charitatis exortes sint? an nostra non satagant, cum Deus satagat? nostri oblivia non bibunt, quamvis Deum bibant; bibunt enim charitatem, & misericordiam.* Hinc Concilium Senonense in decretis Fidei cap. 13. *Beatis pervium est omniforme illud divinitatis speculum, in quo quidquid illorum intersit, illucescit.*

Videntur opponi posse, quæ Job c. 14. ℣. 21. habentur de mortuis: *Sive*, inquit, *nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget.* Eccles. 9. v. 5. *Viventes sciunt se morituros; mortui autem nihil noverunt amplius.* Isaïæ 63. v. 16. *Abraham nescivit nos.* 4. Reg. cap. 22. v. 20. Præmatura mors, ut summum beneficium, piissimo Regi Josiæ promittitur, ne imminentium malorum spectator esset. S. August. lib. de curâ pro mortuis c. 13. ait, ignorare mortuos quæ in terris fiunt; & ideò ad se non accessisse matrem suam sanctam Monicam.

Sed hæc, vel pertinent ad singula omnia quæ hîc geruntur, quæ

quidem non norunt mortui; vel ad naturalem notitiam hæc ſunt referenda: & S. Greg. lib. 12. Moral. cap. 14. de Sanctis ait loqui Jobum; & ſic ea non ſpectant ad eam ſupernaturalem cognoſcendi rationem, quam eis tribuimus. S. Auguſt. dubitanter primò ſcribit: undè præmittit, *ut volet accipiat quiſquis quod diceret*: ſed cap. 16. de curâ pro mortuis, ut obſervatum eſt, hanc in beatis cognitionem, ut certam, ſupponit, & quâ ratione illam aſſequantur, inquirit.

CONCLUSIO V. Se invicem, & ſuos noſcunt Beati.

Tertul. lib. de Monogamiâ cap. 10. ita de futuro ſtatu ſcribit: *In eo magis tenebimur*, reddere ſcilicet amicis rationem, *quia in meliorem ſtatum deſtinamur, reſurrecturi in ſpiritale conſortium, agnituri tàm noſmetipſos, quàm & noſtros.*

S. Cyprian. lib. de mortalitate in fine, his rationibus utitur, ut à mortis timore avocet, horteturque ad impendenda fratribus, dum graſſaretur peſtis, auxilia. *Magnus illìc nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum, frequens nos, & copioſa turba deſiderat, jam de ſuâ immortalitate ſecura, & adhuc de noſtrâ ſalute ſollicita, ad horum conſpectum & complexum venire, quanta & illis, & nobis in commune lætitia eſt?*

S. Amb. in orat. funebri de Valentiniano, obviam veniſſe Valentiniano Gratianum fratrem aſſerit, eumque eſſe complexum, & in deſtinatam manſionem adduxiſſe. *Tunc nihil latebit proximum in proximo, nec erit quod ſuis quiſque aperiat, abſcondat alienis, ubi nullus erit alienus; lux ipſa, quæ illuminabit hominem, Deus ipſe eſt.*

CONCLUSIO VI. Damnatorum quoque pœnas Beati vident, ex Iſaïæ 66. v. 24. *Egredientur, & videbunt cadavera virorum, qui prævaricati ſunt in me; vermis eorum non extinguetur.* Ad Beatorum lætitiam amplificandam conferet, & ad novos in Deum amoris ſtimulos excitandos improborum ordinationis, & miſericordiæ ſibi conceſſæ conſpectus.

CONCLUSIO VII. Non perſpectam habent Sancti divinarum perfectionum infinitatem; ſeu totaliter Deum non intuentur; nec rationi, quâ Deus cognoſci poteſt, ſaltem à ſeipſo, Beatorum cognitio adæquatur; licet quæ ſunt in Deo formaliter, intuitivè videant: Deum enim comprehenderent, quod ſuprà confutatum eſt; & ſic videtur quidem infinitas Dei, ſed non infinitâ ratione.

CONCLUSIO VIII. Nec vident Beati futura omnia, nec omnia ſingularia determinatè; quia, ut docet S. Auguſt. Deus eſt ſpeculum voluntarium; & proindè, cum res creatæ in Deo velut in ſpeculo voluntario videantur, Beatorum menti, ut omnium cauſa, ſiſtitur divina eſſentia, & in eâ neceſſariò vident Beati, quæ hæc neceſſariò exhibet; liberè verò, quæ liberè repræſentat: nihil autem neceſſarium in Deo menti objicitur, quàm quod ſit omnipotens; non quod determinatè hæc aut illa producat; cum hæc ex liberâ penitùs voluntate pendeant.

CONCLUSIO IX. Poſſibilia videre omnia non poſſunt Beati.

1. Quia alioquin Dei omnipotentiam comprehenderent, & proindè essentiam divinam; cum omnipotentia Dei Deus sit. 2. Creatori composita quælibet creatura, licet perfectionis magnæ sit, ad divinam perfectionem nunquam accedere potest; & proindè, cum non totum illud sit, quod Deus est, nec etiam totum Deum videt, aut totaliter. 3. Infinitum sibi soli patet, & quod totum videtur, à vidente finitur, ut jam probatum est ex S. August. Epist. 112. cap. 9. *Aliud est videre, aliud est totum videndo comprehendere; quandoquidem id videtur, quod præsens utcumque sentitur; totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem.* Hinc non posse videri omnipotentiam Dei totaliter palàm est; quia comprehenderetur. Et ex Epist. 118. *Cum autem*, inquit, *& nos in tantum Deum visuri sumus, in quantum ei consimiles fuerimus; cumque ad perfectam cum Deo similitudinem nunquam evehi possimus; nec etiam ad perfectum illius, seu attributorum ejus conspectum, seu comprehensionem.*

Nec optant Beati possibilium, aut singularium notitiam, nec illius cognitionis defectu aliquid eorum beatitudini deest: solus enim Dei conspectus beatitudinem constituit. Undè S. August. lib. 5. Confess. c. 4. *Infelix homo, qui scit illa omnia* (scilicet creaturas) *se autem nescit; Beatus autem, qui te scit, etiamsi illa nesciat; qui verò & te, & illa novit, non propter illa beatior est: sed propter te solum beatus.*

Opp. Licet Beati omnia futura, & possibilia viderent, essentiam tamen divinam non comprehenderent; quia visio hæc non tàm perfecta foret, quàm sit ea, quâ Deus visibilis est: res enim à variis secundum varias sui habitudines dignosci potest: sic stellæ aliter à navis gubernatore, aliter à rustico, aliter ab astronomo spectantur.

R. Si Beati hæc omnia perspecta haberent, Deum comprehenderent; quia non potest res videri tota & totaliter, quin à vidente terminis circumscribatur, & velut exhauriatur ejus visibilitas; nec enim ad comprehensionem necesse est absolutè, ut tam perfectè res videatur, quàm visibilis sit: nihil enim homo, aut Angelus comprehendere possent; cum quæ ab ipsis cognoscuntur longè perfectiori ratione divinæ menti comperta sint: sufficit ergò ad comprehensionem ita rem videri, ut rem visam videntis cognitio saltem adæquet; exempla verò quæ adducuntur, comprehensivam cognitionem non inducunt.

Inst. Deus solus plus habet entitatis, & dignitatis, & intelligibilitatis, quàm possibilia omnia. Ad videnda ergò possibilia, non major requiritur virtus, quàm ad Deum videndum.

R. Omnia possibilia extra essentiam divinam spectata, seu extrinsecè sumpta & terminativè, minoris quidem entitatis esse, quàm Deum ipsum; non verò entitativè considerata, & prout sunt in Deo; quia & ipsum Deum dicunt, & omnia quæ Deus complectitur; seu Dei omnipotentiam, quæ ab essentiâ divinâ indistincta est.

Inst. 2. Licet viderentur res omnes creatæ possibiles; non tamen viderentur omnes respectus distincti, quos dicit omnipotentia ad eas omnes

omnes; quia res creatæ sunt quid Deo extrinsecum: potest autem, quod est extrinsecum videri, non viso intrinseco.

R. Non posse videri creaturas possibiles distinctè, quin cognoscantur omnes respectus, quos dicunt ad Deum; non potest enim cognosci unum relatum, quin cognoscatur & aliud; cum relata sint simul naturâ, & cognitione; inter creaturam autem, & creatorem est relatio. Porrò cum videtur omnipotentia intuitivè, videntur illi respectus in communi, non verò determinatè, & distinctè: comprehenderetur enim Dei omnipotentia; videretur enim tota, & totaliter, & eâ perfectione, quâ visibilis est.

INST. 3. Posset quis videre omnia possibilia determinatè, nec tamen comprehenderet eorum perfectionem intensivè; sicut nunc videmus quædam determinatè, nec tamen comprehendimus eorum essentias.

R. Non posse quemquam videre creaturas omnes possibiles determinatè, quin earum perfectionem intensivè comprehendat; quia creaturam possibilem omnium perfectissimam cognosceret: illa autem erit intelligens, & proindè posset habere cognitionem omnium perfectissimam, quæ creata esset & possibilis; cognitio autem ejusmodi esset perfectio summa creaturarum possibilium. Ergò si creaturæ possibiles viderentur intuitivè, viderentur & extensivè, & intensivè.

CONCL. ULT. Essentia divina sine attributis; attributa sine se invicem videri non possunt, vel per absolutam Dei potentiam.

Prob. 1. Joan. 14. ℣. 19. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem, non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est?* Christus hanc consequentiam innuit: ego sum in Patre, & Pater in me est: ergò qui videt me, videt & Patrem; quæ illatio non esset æqua, si posset Filius sicut est in se videri, non viso Patre. Hinc S. August. lib. 1. de Trin. cap. 8. *Sive audiamus, ostende nobis Filium; sive audiamus, ostende nobis Patrem, tantùmdem valet; quia neuter sine altero potest ostendi; unum quippe sunt, sicut & ipse ait, ego & Pater unum sumus: denique propter ipsam inseparabilitatem sufficienter aliquandò nominatur vel Pater solus, vel Filius solus adimpleturus nos lætitiâ cum vultu suo; nec indè separatur utriusque spiritus, id est Patris, & Filii Spiritus.... aliquandò ita loquitur (* Christus *) de Spiritu Sancto, tanquàm solus ipse sufficiat ad beatitudinem nostram: & ideò solus sufficit; quia separari à Filio non potest: sicut Pater solus sufficit; quia separari à Filio, & Spiritu Sancto non potest; & Filius ideò sufficit solus, quia separari à Patre, & Spiritu Sancto non potest.* Et in Psal. 85. in hæc Joan. *Nescitis quia ego in Patre, & Pater in me est: id est*, inquit, *& me viso videtur & Pater, & Patre viso videtur & Filius; Patris & Filii separari non potest visio: ubi non unius separatur natura & substantia, visio separari non potest.*

2. Quod est simplicissimum, nec realem distinctionem involvit, intuitivè videri non potest, seu ut est in se, quin totum videatur: hujuscemodi autem est essentia divina. Si quid ergò essentiæ divinæ perspectum non esset, intuitivè videretur Deus ex hypothesi; & non videretur; quia

quod lateret, Deus esset; quidquid enim est in Deo, Deus est; aut certè abstractivè, seu confusè aspiceretur; cum hoc sit inter abstractivam, seu confusam aut obscuram visionem, & intuitivam discrimen, quod res tota per priorem non videatur, sed tantùm secundùm aliquid sui.

Opp. Quæ possunt communicari sine se invicem, potiori jure videri possunt sine se invicem: communicatur autem Filio essentia Patris, non communicatâ Paternitate: communicatur naturæ humanæ Filii Persona, non communicatis Personalitatibus aliis. Ergò, &c.

R. Longè aliam rationem esse communicationis in divinis, aliam visionis; una enim Persona communicare potest alteri essentiam, Personalitate non communicatâ; quia de ratione Personæ est, ut sit alteri Personæ incommunicabilis; cum ei relativè opponatur: suo enim opposito relativa communicari non possunt, & in quantum opponuntur, distincta remanere debent. In visione verò intuitivâ est necesse, si unum ex relativè oppositis cognoscatur ut est in se, alterum etiam cognosci. Ea enim est natura relativè oppositorum, ut unum non possit distinctè cognosci sine alio. Quod etiam certius constabit, si, quæ relativè opponuntur, eidem essentiæ identificantur, sicut Personæ divinæ identificantur essentiæ divinæ: ideò potuit una Persona humanam induere carnem, alterâ illam non induente; non verò potest videri una Persona, alterâ non visâ. Nam de ratione conjunctionis non est, ut quod unitur, conjungatur adæquatè, seu secundum omnem modum; de ratione verò intuitivæ visionis est, ut tota objecti natura videatur.

Inst. 1. Ideò potest communicari natura divina Filio, non communicatâ Paternitate, quia natura divina, & Paternitas distinguuntur virtualiter. Igitur à fortiori poterit natura divina videri absque Paternitate; quia scilicet, si distinctio virtualis sufficiat ad attributa contradictoria intrinseca, cujusmodi sunt communicari & non communicari; sufficiet ad prædicata extrinseca, videri, & non videri.

R. Aliundè implicare essentiam divinam videri intuitivè absque Paternitate; videretur enim intuitivè, & non videretur: hinc repetenda est disparitas.

Inst. 2. De ratione cognitionis intuitivæ non est, ut objecti nihil lateat; satis enim est, quod videatur objectum præsens. Sic intuitivè videt colorem oculus, nec tamen videt attributa essentialia coloris, seu relationes, quas dicit color ad varia objecta.

R. Et illud excedere vires oculi; cum enim oculus nonnisi in visibile feratur, non videt rationes, quæ visibiles non sunt: attributa autem notionalia sunt intra limites objecti intellectûs, sicut & essentia Dei.

Inst. 3. Quod est absolutum, non intellecto relativo intelligi potest. At essentia divina absoluta est. Ergò videri potest absque personis, quæ essentiales ei non sunt; cum non conceptis Personis divinis Dei existentiam animo complectamur.

R. Esto, id verum sit in creatis, in quibus absolutum forsàn non est idem cum relativo, & absolutum, & relativum se invicem non inclu-

dunt : At non ità in divinis ; cum absolutum, & relativum sint una & simplicissima entitas.

INST. ultimò : ubi est diversa ratio visibilitatis , unum videri potest absque alio ; sed attributa inter , & essentiam , diversa ratio visibilitatis est ; cum sit etiam distinctio virtualis, & diversa intelligibilitas essentiæ , alia Personarum divinarum , alia misericordiæ , alia justitiæ.

R. Distinctionem, & variam intelligibilitatem , quæ inter attributa & essentiam occurrit, non ex essentiâ divinâ repetendam esse , sed ex humanæ mentis infirmitate, ut superiùs fuit probatum. Undè fit, ut cum imperfectâ cognitione Deum assequimur , varias has intelligibilitates & visibilitates deprehendamus ; non verò cum intuitivè divinam essentiam intueri datum fuerit.

Q. Quotuplex sit Beatorum visio?

R. 1. Beatitudinis statu naturalem cognitionem non excludi : quæ enim beatis advenit perfectio , naturalem facultatem non destruit, sed perficit.

R. 2. Beatorum visionem aliam esse essentialem , accidentalem alteram : per primam , quæ in Deo sunt formaliter intuentur, & constituuntur beati ; per alteram plurima de novo cognoscunt , velut preces ad se directas , quæ cognitio non ad intrinsecam beatitudinis rationem, sed ejus tantùm excellentiam pertinet.

R. 3. cum S. Aug. lib. 5. de Gen. ad Litt. c. 18. esse cognitiones duas ; unam scilicet matutinam , quâ in verbo spectantur creaturæ ; & aliam vespertinam, per quam res creatæ in seipsis perspiciuntur : hanc autem notitiam alterâ esse imperfectiorem docet ipse S. Aug. l. 11. de Civit. c. 7. his verbis : *Cognitio creaturæ in seipsâ decoloratior est, ut ita dicam, quàm cum in Dei sapientiâ cognoscitur, velut in arte quâ facta est.*

ARTICULUS ULTIMUS.

In quo quæ vident Beati intueantur?

VARIAS quæstiones proponunt Theologi 1. num quæ conspiciunt Beati, per speciem quamdam impressam inspiciant ? 2. Num speciem quamdam expressam, ubi visionis actus elicitus est , in intellectu suo forment. Ex illis alii species illas rejiciunt, distinguntque visionem duplicem ; essentialem nempè, & accidentalem : quæ ad beatitudinem spectant essentialem, in essentiâ Dei : quæ verò beatitudini sunt accidentaria, in creaturis, aut per revelationem, aut per hominum, aut Angelorum relationem percipi contendunt.

Ut autem variarum illarum opinionum origo , & fundamenta intelligantur, supponendum 1. cum Philosophis, & Theologis , visionem non fieri, nisi cum res in vidente constituitur; rem autem corpoream in vidente per seipsam esse non posse , sed tantùm per sui similitudinem ; & proindè non dari corporeæ rei conspectum, quin ejusdem rei simili-

tudo in vidente reponatur. Necessitatem similitudinis ducunt, quòd nulla rem corpoream inter, & spiritalem sit proportio : & proindè non posse asserunt inter utramque conjunctionem fieri, nisi per medium aliquo modo spirituale; & proindè cum objectum corporeum per semetipsum spirituali facultati non possit adhærere, aut conjungi; similitudinem ejus, seu speciem asserunt esse necessariam, quæ ab eo ad facultatem transeat, aut aliundè proficiscatur. Hinc inferunt ad visionem beatificam emanare necessariò à Deo similitudinem, quâ intellectus ad videndum Deum fiat idoneus. Nulla, inquiunt, inter Deum, & creaturam intelligentem est proportio; cum Deus sit suum esse, creatura verò natura participata; proindèque necesse est, ut quædam similitudo à Deo profecta ipsum claré exhibeat facultati : hanc autem similitudinem vocant speciem impressam intelligibilem, aut medium quo. Duo addunt alia, scilicet medium sub quo, seu lumen quo juvatur intellectus, ac medium illustratur, ut visio fiat; & speciem expressam; quia supponunt omnis actionis dari aliquem terminum, volitionis v. g. terminum, seu pondus, quo voluntas in suum objectum fertur; intellectionis verò terminum, seu speciem expressam, quæ rem intellectam intellectui sistit & objicit. Cum enim nihil aliud, inquiunt, intellectio sit, quàm rei intellectæ repræsentatio; hinc illius actionis terminus, nihil aliud censeri potest, quàm rei ejusdem imago permanens, seu medium, quo res quæ fuit aliquandò conspecta, iterùm menti exhibeatur. De medio sub quo, quod lumen est gloriæ, nulla hic movetur quæstio.

Ex Philosophorum principiis ad Theologiam translata videtur quæstio. Cum enim ex Philosophis plurimi hanc de visione, & intellectione ideam, quâ ratione mox exposuimus, sibi in mentem induxerint, illis Philosophiæ principiis imbuti Theologi, quæ de naturali cognitione & intellectione à Philosophis hauserant, supernaturali intellectioni esse tribuenda censuerunt. Qui ergò principia illa Philosophica negaret, rem citò conficeret; nec solida forsàn deessent argumenta, quibus penitùs utramque speciem rejiceret. Licet enim cognitionis rationem seu modum, quo fiat, assequi non posset, quam assequi profectò dificillimum est, satis esset, si illius sententiæ fundamenta convelleret: sed etiam si de principiis illis conveniret, nihil indè ad definiendum supernaturalis intellectionis modum inferri posse jure meritò disputaret. Quid enim est simile inter ordinis naturalis & supernaturalis actiones? Ab hujusmodi ergò quæstionibus, qui abstineret, solidis rationibus inniteretur. Non abstinebimus tamen; quia in scholis moveri illa solent. Titubare licet videri possint principia, ex quibus ducuntur; constantia tamen, & vera à nobis hìc supponentur, & illis positis, quid hâc in parte probabilius statui possit, expendemus.

CONCLUSIO I. Ut inutiles prorsùs, imò & impossibiles à visione beatificâ species impressas, & expressas mox explicatas removeri oportet.

Prob. 1. Tunc enim inutilis species impressa habetur, cum objectum

sita præsens est, ut præstet, & conficiat quidquid species illa intelligibilis præstaret respectu intellectûs beatifici. At hujusmodi est divina essentia; constituit enim intellectum intelligentem, ipsum quodammodo informat, & ad hanc actûs speciem determinat, scilicet ad sui conspectum.

Inutilis est quoque species expressa; non enim alius in visione beatificâ datur terminus ab ipso Deo; vident quippè Beati Deum immediatè.

Non modò utraque species inutilis videtur; sed etiam impossibilis; quia ex S. August. lib. 5. de Trin. cap. 9. Similitudo creata Dei speculum est, & ænigma: & ex S. Dionys. cap. 1. de divinis nominibus; Per similitudines inferioris ordinis non potest cognosci res superioris ordinis; species autem impressa, & expressa Dei, quælibet sit, creata, & inferioris ordinis erit.

2. Si per speciem impressam, aut expressam Deus intuitivè videri supponatur, necesse est ut quælibet Deum in se repræsentet; sicque rationes Dei objectivas formaliter, aut eminenter contineat; nihil enim aliquid, ut est in se, repræsentare potest, nisi hujuscemodi sit: nihil autem creatum est, quod rationes Dei objectivas formaliter, aut eminenter in se contineat; quia ejusdem naturæ cum Deo, & perfectionis esse nequit: Deus enim est suum esse, & infinitè perfectus; creatura autem nec suum esse potest, necnon determinatur ad aliquod esse; & proindè non potest continere formaliter perfectiones Dei, nec etiam eminenter; quia esset Deo perfectior.

3. Quæ cognitio per speciem paritur, immaterialis quodammodò habetur: undè sensus dicitur specierum sine materiâ perceptivus, instar ceræ, quæ figuram ferri sine ferro recipit. Et ex Aristotele, sensus supra sensibile positus non facit sensationem, quòd talis conjunctio nimis materialis sit; & quò perfectior est sensus, eò perfectiores species suscipit. Dari autem non possunt rerum spiritualium species: cujusnam enim naturæ essent? vel enim immateriales essent, vel materiales: posterius in mentem venire non potest: nec etiam prius; ad quid enim rei immaterialis esset immaterialis species? Quæ igitur sunt spiritualia, facultati per semetipsa conjunguntur. Et certè quomodo Dei infinitè immaterialis daretur species quædam immaterialis, seu ejusdem immaterialitatis? Per seipsum ergò Deus intellectui conjungitur.

Deindè cum objecta sensibilia per species percipi dicuntur, supra sensus eminet ratio de speciebus judicium ferens; proindè si rerum spiritualium intelligibiles imagines darentur, supra rationem admittenda esset facultas quædam, quæ de illis judicaret: nulla autem esse potest ejusmodi: igitur fictitiæ illæ penitùs sunt species intelligibiles. Ad quid enim conferrent? An ut intelligibilia intima sint menti? An ut semper adsint? At illis speciebus intermediis non opus est, ut id præstetur.

Ult. Tanta Dei majestas est, & infinitas, ut nulla præter ipsum ejus similitudo esse possit, nisi valdè deformis: Deum ergò exhibere species creata non poterit. Quis enim visâ umbrâ lucem videre poterit? species quippè rem tantùm oculis subjicit, in quibus similis est. Sic Re-

gis imago lineamenta sola Regis vultûs, & corporis figuram exhibet; nec nos in essentiæ ejus cognitionem, & animi affectum adducit. Undè si ad perfectam Dei similitudinem non accedat Dei, ut in se est, species, Deum nunquam repræsentabit. Sanè autem solum Dei verbum id præstare potest; quia solum est perfecta Dei similitudo: nec fieri potest, quin species quælibet creata longè inferioris sit ordinis, ac essentia divina: ab inferioribus autem quæ sunt superiora imperfectè tantummodò continentur: hinc in ænigmate videntur, quæ superiora oculis subjiciuntur. E contrario quæ sunt inferioris ordinis in superioribus perfectiori modo conspiciuntur. Insuper si Deus per speciem creatam videretur, creatura esse posset hominis beatitudo, scilicet species illa: quod propugnari non potest.

Opp. 1. ex S. August. lib. 9. de Trin. cap. 11. *Habet animus nonnullam speciei notæ similitudinem, sive cum ea placet, sive cum ejus privatio displicet. Quocirca in quantum Deum novimus, similes sumus: sed non ad æqualitatem similes; quia nec tantùm eum novimus, quantùm ipse se. Et quemadmodum cum per sensum corporis discimus corpora, fit eorum aliqua similitudo in animo nostro, quæ phantasia memoriæ est: ita cum Deum novimus.... fitque aliqua Dei similitudo illa notitia: tamen inferior est; quia in inferiore naturâ est.* Ergò cum Deum novimus, fit aliqua in nobis Dei similitudo, seu species expressa. Item lib. 14. cap. 17. *Hinc apparet tunc in istâ imagine Dei fieri ejus plenam similitudinem, quandò ejus plenam perceperit visionem.* Et lib. 11. cap. 16. *Quandò videbimus eum sicuti est.... tunc quidem verbum nostrum non erit falsum.*

R. S. August. cap. 11. lib. 9. de Trin. similitudinem illam à cognitione non distinguere, & per similitudinem nihil aliud intelligere, quàm ipsam cognitionem, prout conformis est objecto. *Habet notitia similitudinem ad eam rem, quam novit.* Et cap. sequenti: *Omnis res, quamcumque cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui; & per speciem, quam in Dei visione occurrere ostendit, nihil aliud intelligit, quàm ipsum Deum visum.* Item lib. 2. de Trin. cap. 17. *Ipsa est species, cui contemplandæ suspirat omnis, qui affectat Deum diligere ex toto corde, &c. Illa est ergò species, quæ rapit omnem animam rationalem desiderio sui tantò ardentiorem, quantò mundiorem; & tantò mundiorem, quantò ad spiritualia resurgentem; tantò autem ad spiritualia resurgentem, quantò à carnalibus morientem.* Hinc cognitio Dei dicitur in nobis aliqua similitudo Dei; non quòd quædam sit in nobis species, seu qualitas, quæ Deum nobis repræsentet; sed quòd mens nostra Deum intuens ipsi Deo futura sit quodammodo similis: videbit enim Deum sicuti est. 1. Joan. 3. v. 2. Et illius similitudinis causam, non verbi, aut speciei productionem, sed immediatam visionem affert. *Cum apparuerit, videbimus eum sicuti est.* Erit quædam etiam similitudo inter Deum, & hominem beatum; quòd futura sit similitudinis relatio Deum inter, & hominem beatum, seu inter beatitudinem hominis, & huma-

nitatem Christi: erit ergò relatio extrinseca, quâ Deo denominabimur similes; sed non erit qualitas Deum repræsentans. Cum etiam S. Aug. de Verbo loquitur, nihil aliud per Verbum intelligit, quàm intellectionem universìm sumptam, quæ tunc futura non est falsa, nec errori obnoxia; cum Deus, ut in se est, videndus sit.

O P P. 2. Omnis actio debet habere aliquem terminum; & proindè visio Dei intuitiva: illius autem terminus est species expressa, sicut datur terminus amoris beatifici.

R. actionem producere terminum, si terminus possit produci; sed non producere, cum terminum dari implicat: speciem autem illam impossibilem demonstravimus. Prætereà actio vel terminum producit, vel productum supponit: nam intellectio in Verbo, & Spiritu Sancto est actio, quæ tamen terminum non producit, sed productum supponit. Amor verò beatificus terminum producit; quia amoris impulsus ejusdem naturæ, & perfectionis cum re amatâ esse non exigit: intellectionis autem terminus objecto assimilari postulat.

I N S T. 1. Datur Dei similitudo creata, scilicet actio, quâ Deus attingitur, quæque Deum repræsentat.

R. actionem, quâ Deus attingitur, non esse Dei repræsentativam in se; sed terminativè tantùm, quatenùs scilicet in objectum, seu Deum terminatur.

I N S T. 2. Non est necesse ut species, quæ repræsentat objectum, sit ejusdem ordinis cum objecto. Sic Angelus inferior cognoscit superiorem Angelum, non per speciem ejusdem ordinis.

R. Si per speciem illum cognosceret ut est in se, species illa esset ejusdem ordinis cum Angelo; Angelus enim inferior secundum aliquid per speciem videret superiorem; quia Angelus superior, & inferior sunt in eodem materiæ metaphysicæ ordine, seu pariter compositi ex genere, & differentiâ.

I N S T. 3. Conjunctum ex intellectu, & lumine gloriæ repræsentat Deum; & tamen non est ejusdem perfectionis cum Deo.

R. tale conjunctum repræsentare Deum efficienter, non formaliter; seu conjungere intellectum hominis cum Deo: nec enim causa, præsertim instrumentalis, continet perfectionem effectûs, quem producit.

I N S T. 4. Quod determinatur extrinsecè ab aliquo, non est ejusdem perfectionis cum illo. Sic v. c. potentiæ non sunt ejusdem ordinis cum suis objectis; quia extrinsecè determinantur ab illis. Species pariter extrinsecùs determinantur ab illis objectis, quæ repræsentant: ergò non exigunt esse ejusdem ordinis cum objecto.

R. non eam esse rationem potentiarum, quæ specierum; quia potentiæ versantur circa objecta agendo; species verò repræsentando. Licet etiam causæ determinentur extrinsecè ab effectibus, qui sunt extra causam; non tamen desinunt causæ suos effectus continere aut formaliter, aut efficienter.

C O N C L U S I O II. Quæ ad beatitudinem spectant, vident formaliter Beati in Deo, seu in Verbo; quæ verò ad beatitudinem non spe-

ctant, vident in ipsis creaturis, vel per revelationem, aut per Angelorum, & hominum relationem, aut in ipsâ essentiâ divinâ, ut in causâ.

Utraque pars fit perspecta ex art. 9. & ex S. Aug. lib. 13. Confess. cap. 15. ubi de beatis Angelis ita disserit: *Qui non opus habent suscipere firmamentum hoc, & legendo cognoscere verbum tuum: vident enim faciem tuam semper, & ibi legunt sine sillabis temporum, quid velit æterna voluntas tua.* Et posteà: *Non clauditur codex eorum, nec plicatur liber eorum, quia tu ipse illis hoc es, & es in æternum.* Lib. 9. de Civit. cap. 22. ait errare Dæmones sæpiùs, non verò Angelos; quia hi rerum mutabilium & temporalium principales causas in verbo Dei conspiciunt, per quod factus est mundus; & omnia divini Spiritûs ejus participatione cognoscunt.

2. S. Bernard. lib. 5. de Consid. cap. 1. *Videt beatus Verbum, & in Verbo facta per Verbum; nec opus habet ex his, quæ facta sunt, factoris notitiam mendicare; neque enim, ut vel ipsa (quæ scilicet facta sunt) noverit, ad ipsa descendit, quæ ibi (in Verbo nimirum) illa videt, ubi longè meliùs sunt, quàm in seipsis.* Et sic essentia divina medium est, in quo quæ ad sui statum spectant, conspiciunt Beati: cætera verò etiam per media designata in ipsorum notitiam veniant.

QUÆSTIO NONA.
De Dei ineffabilitate.

ARTICULUS UNICUS.

Utrùm Deus sit ineffabilis? quibus potissimùm delineandæ Dei naturæ nominibus uti sit conveniens?

DIVINAM Dei naturam proprio designari posse nomine propugnabant Eunomius, ejusque sectatores; cum divinam naturam à viatore comprehendi posse contenderent, ut observatum est. Imò aïebant ingeniti nomen totam Dei naturam complecti: illudque à naturâ hominum animis esse insertum, ut videre est apud SS. Basil. lib. 1. contra Eunom. Greg. Naz. Orat. 34. & Greg. Nyss. Orat. 12.

CONCLUSIO I. Deus est ineffabilis, nec verba illa Deo digna proferuntur, seu quæ ejus naturam exprimant.

Prob. 1. ex rationibus quæst. 3. art. 1. adductis; ibi enim demonstratum est imperviam penitùs esse hominum animis naturæ divinæ essentiam, & quidditatem; seu impares penitùs esse homines, qui dignoscant, quid sit Deus. Undè forsàn quæstioni huic immorandum non esset: Si enim constat ab hominibus non posse cognosci quid sit Deus, inferendum necessariò superest, nec ab iis dici posse, quid sit Deus.

Addemus

Addemus pauca, ut ab antiquis discamus quâ ratione de Deo à nobis sermo haberi possit.

Primò, igitur Minutius Felix in Octav. docet omnia nomina Deo indita esse figurata, eaque ex rebus creatis petita. *Nec, inquit, nomen Dei quaras, Deus nomen est: Illic vocabulis opus est, cum per singulos propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est. Deo, qui solus est, Dei vocabulum totum est, quem si Patrem dixero, terrenum opineris; si Regem, carnalem suspiceris; si Dominum, intelligesusque mortalem.* Similia reperies apud S. Cyprianum Tract. de Idolorum vanitate.

Secundò, S. Clem. Alex. libro 5. Strom. ita loquitur: *Et si aliquandò eum nominemus, non propriè vocantes, ut unum, aut bonum, aut mentem, aut ipsum id quod est, aut Patrem, aut Deum, aut Creatorem, aut Dominum; non id dicimus tanquàm nomen ejus proferentes; sed propter ipsius potestatem pulchris utimur nominibus, ut in aliis non aberrans, his inniti possit cogitatio; non enim unumquodque ex his Deum significat; sed omnia simul omnipotentis indicant potentiam.* Eamdem rationem afferunt Novat. lib. de Trin. c. 2. & Arnob: lib. 3. contra Gentes..

3. S. Greg. Nyss. l. 9. & 12. c. Eunom. fusè probat ex beneficiis, quibus nos Deus cumulat, seu ex Dei operibus, Dei nomina reperi; sicque hæc, non divinæ naturæ designationes esse, sed cogitationum nostrarum imagines; nec, quæ efferri solent nomina, Deo competere ab æterno posse: & ità ex peccatorum hypothesi illum misericordem dici. Addit insuper Deum, ut se attemperet infirmitati, matris instar balbutire, necnon humana verba mutuari, ut quæ ad naturam suam spectant, nos edoceat. Quibus & aliis rationibus Eunomium confutat, qui Dei nomina nobis concreata fuisse dicebat.

Quartò, Sanctus Gregorius Naz. Orat. .. & S. Greg. Nyss. lib. 12. in Eunom. asseverant non docere Scripturas quid sit Deus, sed vocabula quædam tradere velut notas, quibus à creaturis Deus secernatur.

Aliud etiam monet S. Aug. lib. 2. ad Simplic. quæst. 2. Indigna scilicet Deo esse, sed infirmitati nostræ accommodata pleraque, quæ in Scripturis de Deo habentur. Hinc, inquit, dicitur pœnitere, irasci: quæ licet ipsis hominibus vitio dentur, tamen cum Deo tribuuntur, ab iis imperfectio quælibet amovetur. Sic cum dicitur pœnitere, perpetuum & tranquillum quoddam æquitatis judicium, *quo Deus cuncta mutabila incommutabili voluntate disponit, intelligendum est; ne illa quæ placent, sic intelligantur in Deo, quomodo consueverunt in hominibus intelligi: per hæc enim quæ displicent, cum ea non audeamus sic intelligere in Deo, ut inveniuntur in homine, discimus etiam illa sic quærere, quæ apta esse, & convenientia putabamus.* Lib. quoque 15. de Civit. c. 25. ait, hæc verba, licet imperfectionem includant, adhibere Scripturam, ut *se familiariùs insinuet omni generi hominum, quibus vult esse consultum, ut, & perterreat superbientes, & excitet negligentes, & exerceat quærentes, & alat intelligentes: quod non faceret, si non se priùs inclinaret, & quodammodò descenderet ad jacentes.* Addit lib. 1. de Doctr. Christ. cap. 6. nihil Deo dignum usurpari; nec etiam cum ineffabilis

dicitur : *Ac per hoc* , inquit , *ne ineffabilis quidem dicendus est Deus ; quia & hoc cum dicitur , aliquid dicitur.* Monet ideò lib. 1. de Trin. cap. 1 parcè de Deo esse loquendum , ne in errorem pluribus communem incidamus. *Cum & videri volunt scire quod nesciunt , & quod volunt scire non possunt , præsumptiones opinionum suarum audacius affirmando , intercludunt sibimet intelligentiæ vias , magis eligentes sententiam suam non corrigere perversam , quàm mutare defensam.* Docuerat prius Orig. Hom. 1. in Ezech. acceptam à quodam sapiente sententiam, loqui nimirum de Deo periculosum esse. *Confiteor libenter à sapiente , & fideli viro dictam sententiam , quam sæpè suscipio : De Deo & verè dicere periculum est. Neque enim ea tantùm periculosa sunt , quæ falsa de Deo dicuntur : Sed etiam quæ vera sunt , & non oportunè proferuntur , dicenti periculum generant.* Vox ergò nulla est , quæ essentiæ divinæ amplitudinem adæquet , & eminentissimi principii naturam menti subjiciat. Quare summâ cautione adhibitâ , de Deo sermo est habendus.

CONCLUSIO II. Deus appellari nihilominùs potest nominibus , quæ imperfectè ejus naturam , & substantiam designent , ut quæ in Scripturis continentur.

1. Quia probatum habet Deus humanæ vocis obsequium. Undè Orig. lib. 6. contra Cels. qui Christianis vitio vertebat , quòd nomina propria Deo tribui posse contenderent , sic scribit : *Si enim eo sensu intelligitur , nihil ut in dictionibus , aut rebus significatis positum, Dei proprietates exprimere possit , verè illud est dictum , &c. sin ita nominari posse accipis, quatenùs possemus nominibus quidpiam , quod ad Deum pertinet , exhibere , ut auditorem velùt manu deducat , & de Deo nonnulla cogitare faciat, qualia potest natura hominis consequi; nihil absurdi est, si nominabilem esse illum dicamus.* Deo tributa vocabula Deum denotant ; seu ejus ad opera habitudinem ; seu quamdam Dei perfectionem , ut omnipotentiam ; seu ejus in creaturas influxum , ut cum dicitur creator , justificans , &c.

2. Nomina illa imperfectiones à Deo removent. Sic dicitur invisibilis , immensus , infinitus , incorporeus , &c. Quinetiam perfectiones eminentiori longè ratione in Deo esse , quàm in hominibus , significant , ut cum dicitur bonus , &c.

Nomen , *Deus* , designat non tantùm operationes Dei , sed ipsum Deum has operationes elicientem , ut docent S. Justin. & S. Athanas. qui ait nomen , *Deus* , non significare aliquid , quod sit circa Dei substantiam ; sed ipsam Dei substantiam : alioqui , cum Filius Dei ex Deo dicitur , diceretur ex aliquo , quod non esset Deus. S. etiam Aug. lib. 1. de Doctrinâ Christ. c. 6. sic habet. *Omnes* , inquit , *Latinæ linguæ scios , cum aurem eorum sonus iste* , Deus , *tetigerit , movet ad cogitandam excellentissimam quamdam , immortalemque naturam.*

Nomen אהיה יהוה , *qui est* , ipsam Dei substantiam significat ; illud enim ens denotat, quod semper est , & quod solum est semper existens. Ex S. Aug. lib. 2. de Trin. c. 2. & lib. 7. cap. 4. & 5. nomen essentiæ Deo propriè tribuitur , non verò nomen substantiæ , quod à substando

ſubſtantia dicta ſit, ſeu à ſuſtentandis accidentibus. Undè ſi Deus aliquo nomine poſſit appellari, illo maximè donandus, quod ſibi ipſi impoſuit: Nullum autem aptius videtur vocabulum eo, *qui eſt*; quod tamen, quâ ratione Deo perfectiones inſint, non delineat.

Cum nomina Deo impoſita Dei ſubſtantiam deſignare diximus, nihil aliud indicare voluimus, quàm nomina illa Dei ſubſtantiam ſignificare ratione ſubjecti, aut ratione modi cujuſdam, ut cum dicitur omnipotens, æternus; ſed non ratione modi totalis.

Plures ſunt qui nomen Dei, ſubſtantiæ nomen eſſe negant, ut inter alios S. Chryſoſt. Hom. 2. in Epiſt. ad Hebr. ſed illi nihil aliud volunt quàm nomen, *Deus*, divinam ſubſtantiam non ita ſignificare, ut omnem Dei naturam menti noſtræ exhibeat.

Nec nomina, *ingenitus*, *Dominus*, Dei ſubſtantiam exprimunt ex SS. Baſil. lib. 1. & 4. contra Eunom. Greg. Naz. Orat. 34. & Greg. Nyſſ. lib. 12. contra Eunom. 1. Nomen quippè illud, *Ingenitus*, negativum eſt; & ſe habet reſpectu Dei, ut *Inviſibilis*, *immortalis*, *&c.* quæ non dicunt quid ſit Deus, ſed quid non ſit; nomen enim, *Ingenitus*, Deum non eſſe à causâ ſignificat. 2. Si quid poſitivum denotet, non ſubſtantiam indicat, ſed exiſtendi modum; nec enim, qui iſtius vocabuli, *Ingenitus*, amplitudinem comprehenderet, divinam eſſentiam proindè cogitatione ſuâ aſſequeretur; neque nomen illud à naturâ inſertum eſt, cum in omnium animis non occurrat. Utrumque autem diſputabat Eunom.

Quæres quod nomen illud ſit, quod Deus antiquos celarat, & Moyſi Exod. 3. revelare dignatus eſt.

R. S. Greg. Naz. Orat. 36. nomen Tetragrammaton eſſe, ſeu *Jehova*, quod Hebræi ſingularibus ſcribere ſolebant litteris; cum enim ab omni creaturarum commercio alienus longè ſit Deus, hinc characteribus, quos in aliis nominibus exſcribendis adhibebant, non utebantur. Ideò ineffabile dicebatur nomen illud: vel etiam quod propter reverentiam à vulgo non legeretur: vel quod ejus loco nomen Adonaï ſubſtitui ſoleret, ut à 70. vel quòd propria ejus pronuntiatio ignoraretur: vel quòd ſignificaretur nomine quatuor litterarum. Nomen autem illud cenſent Rabbini Deo ita eſſe proprium, ut ejus ſubſtantiam citra ambiguitatem exprimat: Nomen verò Adonaï, dicere Dominum, ut interpretantur Septuaginta.

Sed quia nomen illud Jehova quod Exod. 3. occurrit, etiam Gen. 2. c. 14. & 22. reperitur, oritur difficultas, quomodò nempè verum ſit antiquis non indicaſſe Deum, quod nomen Moyſi declaravit. Reſpondet Theodor. quæſt. 5. in Exod. nomen quidem illud Jehova antiquis non indicatum fuiſſe, ſed illud à Moyſe Gen. Scriptore inſertum fuiſſe, quod idem eſt cum nomine illo, *qui eſt*, Exod. 3. Sic cenſuerat anteà Clem. Alex. lib. 5. Strom. Nomen, *qui eſt*, dicitur Exod. 3. Eheuch, quod infrequentiſſimum eſt, & ter aut quater dicitur tantùm occurrere. S. Hieronym. Epiſt. ad Marcellam decem Dei nomina refert, & ait nomen Tetragrammaton pro ineffabili haberi: Et Euſeb. lib. 11. de Præp. c. 4.

& 8. scribit Dei nomen esse ineffabile; sed quodnam sit illud, non definit; addit verò & Deum vocabulo Elohim ab Hebræis nuncupari.

His autem legibus seu terminis coercenda est imponendorum Deo nominum libertas. 1. ne à terminis, quos scriptura præscribit, recedamus, ut monuit S. August. lib. 1. de Doctr. Christ 2. verbis abstractis sæpiùs utamur, sic Deus dicendus potiùs justitia, veritas, quàm justus; & verus: aptiora enim longè magis abstracta sunt, quàm concreta, quod rem à seipsâ indistinctam significent, & concreta semper innuant compositum ex subjecto, & perfectione.

QUÆSTIO DECIMA.

De bonitate Dei.

ARTICULUS UNICUS.

Utrùm Deus sit infinitè, & essentialiter bonus, solus simul, & omnes omninò perfectiones contineat?

POTEST aliquid duplici ratione perfectum dici. 1. Quoad se, seu absolutè, ita ut eorum, quæ ad ejus perfectionem requiri possunt, nihil desideretur. 2. Ad alia, seu relativè, ita ut in aliorum perfectionem & bonum plurimùm conferat.

CONCLUSIO I. Deus est infinitè & essentialiter bonus in se, & solus, & eâ ratione summè bonus.

Prob. 1. Quia solum bonum, & perfectum esse Deum Christus docet Math. 5. ℣. 48. *Estote vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Luc. 18. ℣. 19. *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Porrò nec Deus esset, nisi summè bonus esset, & perfectissimus ex S. Aug. lib. de verâ Rel. c. 18. Et verò Deus mutationi non est obnoxius, & proindè nullum ei bonum detrahi, neque de novo accedere potest: ejus autem naturæ non sunt creaturæ, cum & perfectiones novas acquirere, & priores amittere possint. Item lib. de Morib. Ecclesiæ cap. 11. infinitam Dei perfectionem infert, quod nullum bonum detur superius Deo.

2. Quod est suum esse subsistens, non potest quin sit per essentiam bonum, eique omnia bona essentialiter conveniant. Deus autem solus suum est esse, ut quæst. 4. probavimus: hinc intensivè perfectissimus dicitur, quòd amplioris perfectionis bona non possit assequi: perfectissimus etiam est extensivè, quòd nulla in creaturis perfectio occurrat, quæ Deo non insit. Alia ejus idea esse non potest, ut ostendimus quæst. 1. art. 1. & 2.

Quia ergò hæc veritas aperta est, subjiciemus quæ in Deo indè sequuntur; ut quòd nec nobis, nec nostris facultatibus, nec ipsis hominibus

egeat ullo modo; Psal. quippè 15. ℣. 2. *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam meorum bonorum non eges.* Et ex S. Iren. lib. 4. c. 24. Quia omne est bonum, & semper idem, nobis bona largitur, nihil sibi à nobis postulat, & nihil injungit, quod nostris commodis non prosit; *Deus quidem perfectus in omnibus, ipsi sibi æqualis, & similis, totus cum sit lumen, & totus mens, & totus substantia, & fons omnium bonorum, homo verè profectum percipiens, & augmentum à Deo. Quemadmodum enim Deus semper idem est, sic & homo in Deo intentus semper proficiet ad Deum. Neque enim Deus cessat aliquandò in benefaciendo, & locupletando hominem; neque homo cessat beneficium accipere, & ditari à Deo. Exceptorium enim bonitatis, & organum clarificationis ejus homo, gratus ei qui se fecit.* Idem cap. 28. nihil ait à creaturis Deum postulare tanquàm sibi utile, seu sacrificia, seu eleemosynas, seu obsequium exigat; & nihil præcipere, quod non in utilitatem & commodum hominis cedat; *sequi enim Salvatorem, participare est salutem; & sequi lumen, parcipare est lumen: qui autem in lumine sunt, non ipsi lumen illuminant, sed illuminantur, & illustrantur ab eo. Ipsi quidem ei nihil præstant; beneficium autem percipientes illuminantur à lumine. Sic & servitus erga Deum, Deo quidem nihil præstat, nec opus est Deo humano obsequio: ipse autem sequentibus, & servientibus ei, vitam & incorruptelam, & gloriam æternam attribuit, beneficium præstans servientibus sibi, ob id quod serviunt, & sequentibus, ob id quod sequuntur; sed non beneficium ipso ab eis percipiente.* Et infrà: *In quantum enim Deus nullius eget, in tantùm homo indiget Dei communione. Hæc enim gloria hominis, perseverare, ac permanere in Dei servitute: & propter hoc dicebat discipulis Dominus; non vos me elegistis; sed ego elegi vos: significans quoniam non ipsi glorificabant eum, sequentes eum; sed in eo quod sequerentur Filium Dei, glorificabantur ab eo.* Idem pariter habet Clem. Alex. Admon. ad Græcos.

Opp. Quod alicujus perfectionis accessione compleri creditur, & perfectius fieri; secundum se perfectissimum non est dicendum: trium autem personalitatum accessione divina natura perfectior videtur fieri.

R. tres personalitates divinam naturam perficere, ut quæ naturam divinam subsistentem faciant; non quòd novam perfectionem à divinâ naturâ distinctam conferant, & adjiciant. Porrò autem perficiendi ratio duplex est; altera, quæ fit accessione quâdam de novo factâ, ut cum virtus animæ de novo infunditur; altera, cum terminando perficit, ut punctum lineam: sicut autem punctum nihil de novo addit lineæ; ità nec naturæ divinæ majorem perfectionem personalitates adjiciunt. Hinc S. Aug. lib. 6. de Trin. cap. 8. *Tantus est*, inquit, *solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus sanctus; quantus est simul Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.* Si quid autem perfectionis communi naturæ tres adderent personalitates, singulari quâque personalitate videri aliquid posset melius. *In iis enim*, inquit S. August. *quæ non mole magna sunt, hoc est majus esse, quod est melius esse.* Et lib. 7. cap. 6. *Dein-*

dè in his rebus, inquit, de creatis loquens, *non tantùm est unus homo; quantùm tres homines simul; & plus sunt aliquid homines duo, quàm unus homo: & in statuis æqualibus plus auri est tres simul, quàm singulæ; & minus est auri una, quàm duæ. At in Deo non ità est: non enim major essentia est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus simul, quàm solus Pater, aut solus Filius; sed tres simul illæ substantiæ, sive personæ, si ita dicendæ sunt, æquales sunt singulis: quod animalis homo non percipit.*

OPP. 2. Deus non est summè bonus extrinsecè, aut ratione termini; quia non efficit optima, quæ potest: si enim res ita esset, homines singuli consequerentur finem suum, scilicet gloriæ cumulum; & Deus quæque perfectissima crearet. Imò nec Deus est summè bonus ratione sui, seu intrinsecùs: summè enim esset communicativus; & proindè infinitis communicaretur personis, & non tribus tantùm.

R. Deum summè bonum extrinsecè, non propriè dici; nullam enim perfectionem ex operibus suis accipit; nec creaturæ sunt finis Dei, sed ipsemet Deus: omnia enim propter seipsum operatus est.

2. Licet Deus sit entitativè summè bonus; non potest tamen infinitis personis communicari; à tribus enim personis, quibus communicatur, exhauritur tota ejus communicabilitas, ut fides docet.

CONCLUSIO II. Deus est creaturis summè bonus. Psalm. 72. ℣. 1. *Quàm bonus Israël Deus.* Psal. 105. ℣. 1. *Confitemini Domino, quoniam bonus.* Idem habent Psal. 134. v. 3. & Ps. 135. v. 1. Et sanè Dei summam erga nos bonitatem passim prædicant Scripturæ; prædicant pariter & omnes res creatæ, quæ coram oculis nostris obversantur, & ex nihilo eductæ fuerunt. A nobis verò nihil commodi Deus percipit, ut ex S. Iren. lib. 4. cap. 28. & 32. accepimus. Addit S. August. lib. de verâ Relig. cap. 14. & Ep. 5. obsequia, quæ Deus tanquam sibi præstita accepta habet, non in Dei, sed in nostram utilitatem cedere: ipsam etiam Dei vindicem justitiam tantùm commendari, ut ad virtutem excitemur: quod & anteà docuit Tertull. lib. 2. cont. Marcion. cap. 13. his verbis: *Ità omne hoc justitiæ opus procuratio bonitatis est, quod judicando damnat, quod damnando punit: quod, ut dicitis, sævit, utique bono, non malo proficit. Denique timor judicii ad bonum, non ad malum confert; non enim sufficiebat bonum per semetipsum commendari, jam sub adversario laborans: nam, etsi commendabile per seipsum, non tamen & conservabile; quia expugnabile jam per adversarium, nisi vis aliqua praeßet timendi, quæ bonum etiam nolentes appetere, & custodire compelleret. Caterùm tot illecebris mali expugnantibus bonum, quis illud appeteret, quod impunè contemneret?* Nihil unquam injunxisse Deum, nisi quod animæ foret utilissimum, docet idem in Scorpiaco cap. 5. & 6. ut & Arnob. lib. 1. contra Gentes; Lactant. lib. 7. Institut. cap. 5. S. Greg. Naz. orat. 32. Hinc etiam fit, ut Deus præceptorum suorum neglectum, quo verè sibi nocent homines, suæ veluti majestati illatam injuriam reputet; licet ne levissimum quid in-

dè detrahatur, aut detrahi possit ipsius dignitati. Ex S. Clemente Alex. admonit. ad Græc. & lib. 7. Strom. Deus ea sibi assumere non dedignatur, quæ ut propriam ipsius majestatem minus decent, ita maximè nobis prosunt ad salutem. Sic jurare in Scripturis, affectibus moveri, irasci, pœnitere, Deus zelotes dicitur; quibus omnibus justorum judiciorum suorum timorem incutere, & à vitiis nos avocare intendit. Ex Orig. Hom. 9. in Gen. Hom. 8. in Exod. & Hom. 8 in Num. Cum peccatores, aut peccata Deus punit, se erga nos maximè benignum declarat. Ex Tert. lib. 1. cont. Marcion. cap. 26. *Malo autem*, inquit, *parcere Deum, indignius sit, quàm animadvertere: & quidem Deo optimo, qui non aliàs plenè bonus sit, nisi mali æmulus, uti boni amorem odio mali exerceat, & boni tutelam expugnatione mali impleat.* Idem lib. 2. cont. Marcion. c. 27. ait, *Deum non potuisse humanos congressus inire, nisi humanos & sensus, & affectus suscepisset, per quos vim majestatis suæ intolerabilem utique humanæ mediocritati humilitate temperaret, sibi quidem indigna, homini autem necessaria, & ita jam Deo digna; quia nihil tàm dignum Deo, quàm salus hominis.* Præthereà S. Greg. Naz. orat. 15. Adamo inflictam fuisse mortem, ne immortale peccatum evaderet, pluribus probat: *Persuasumque*, inquit, *mihi est Deum nonnisi misericorditer punire.* Ita etiam S. Greg. Nyss. Epist. ad Ablavium cap. 8. & alii, quibus apertè suffragatur ipse Origenes tùm Hom. 8. in Exod. tùm Homil. 2. in Num. tùm etiam Homil. 1. in Ezech. Deus ergò summè in nos benignus est.

Quær. 1. Utrùm Deus omnes perfectiones contineat, à Theologis dictas simpliciter simplices, & simplices secundum quid?

Primi generis perfectio ea est, quæ in unoquoque melior est ipsa, quàm non ipsa. Undè longè melius sit eam in quolibet individuo reperiri, quàm non inesse. Exigitur insuper, ut in suâ formali ratione nullam imperfectionem involvat, nec majorem aliquam, vel æqualem perfectionem excludat; sed simul cum eâ etiam formaliter stare possit.

Perfectio verò secundum quid ea dicitur, quæ in uno quoque non est melior ipsa, quàm non ipsa; aut propter imperfectionem, & limitationem; aut oppositionem, quam cum aliâ, vel æquali, vel majori habet.

Inesse possunt, vel formaliter, cum secundum omnem suam rationem formalem, aut naturam competunt; itaut nihil earum perfectionis sit, quod non congruat: vel eminenter, cum conveniunt ratione causalitatis. Sic Soli calor competit, ratione eminentiæ cujusdam. His positis,

R. 1. Deo competere formaliter prioris generis perfectiones absolutas; quia summo enti nulla deneganda perfectio est; cum ei nulla deesse possit, & ab omni imperfectionis vel levissimâ specie sit alienissimum.

R. 2. Perfectiones simplices secundum quid, non esse formaliter in Deo, sed tantùm eminenter; quòd scilicet imperfectionem includant in conceptu formali, perfectionemque simul excludant. Undè Deus formaliter non potest dici corpus, & spiritus.

Q. 2. utrùm Deus sit aliquid melius, aut perfectius cum rebus creatis, quàm si solus spectetur?

R. 1. Non esse quid melius; quia nulla in creaturis est perfectio, quæ in Deo excellentiori longè modo non existat. Tanta enim est Dei perfectio, ut neque accessione augeri, neque detractione possit imminui: alioquin indè sequeretur Christum fore quid melius æterno Patre, quòd naturam humanam conjunctam cum divinitate haberet. Ex Joann. autem 14. ℣. 28. compertum est eum minorem Patre esse, quâ homo est, *Pater major me est.*

R. 2. Creaturas simul cum Deo, aliquid extensivè perfectius dici posse, seu plura perfectionem habentia. Cæterùm penitùs impropria illa loquendi forma est; cum ex perfectionis intensione major perfectionis amplitudo repetatur: licet enim v. c. plures infirmis oculis aliquid respiciant; adsit verò alter visu perspicax, qui oculos in idem objectum conjiciat, plures quidem videntes erunt, sed non perfectior visio futura est: non enim plures illi plura vident, quàm ille visu perspicaci præditus.

Q. 3. utrùm Deus sit veritas?

R. Deum esse veritatem summam; sive veritas sumatur pro rei, ut in se est, apprehensione; sive pro rei cum suis principiis conformitate. Deus enim suum est intelligere, Joan. 14. ℣. 6. *Ego sum via, veritas & vita.* Et 1. Joan. 5. ℣. 6. *Christus est veritas.* Deus igitur est veritas prima, & summa; cum omnium omninò rerum, & omnium intellectionum sit mensura.

Q. ultimò utrùm in Deo vita sit.

Vitæ acceptio varia est. 1. usurpatur pro principio motûs secundum locum, aut alimentum. Undè sæpiùs Dii Gentium vitâ destituti dicuntur, quòd hujusmodi operationes non eliciant: ubi motuum illorum signa in animantibus non percipimus, pro mortuis reputamus. 2. Vita sumitur pro ipsius vitæ actibus, præsertim si voluptatem aliquam habeant; undè vivere vitam vulgò feruntur, qui beatam, aut immunem à miseriis vitam ducunt. 3. vivere habetur pro operandi modo perfectissimo, seu possessione eorum, quæ ad viventium rationem accedere videntur. Sicut enim in plantis, & in animantibus vitam esse dicimus, quòd nutriantur, & crescant: & sicut perfectioris vitæ gradus in animantibus deprehendimus, quòd variorum motuum capaces sint, & non tantùm à loco in locum progrediantur; sed & à variis objectis ad varia moveantur: ità etiam perfectiorem vitæ rationem habere homines dicuntur, quòd non ex impulsu extrinseco, aut à naturâ sibi indito ad hunc, aut illum finem impellantur; sed quòd seipsos liberè ad hoc, aut ad illud agant. Undè quò eminentior erit agendi ratio, perfectior quoque erit vitæ ratio; & proindè in Deo vita est agnoscenda, eaque perfectissima. Deus enim de se ait Deuter. 32. v. 40. *Vivo ego in æternum.* Quod & sæpiùs repetunt Prophetæ, dum aiunt: *Vivit Dominus.* Cum ergò perfectissima operatio, sit perfectissimæ vitæ ratio, fieri non

po.est

poteſt quin perfectiſſima vita in Deo ſit. Vita autem ejus indiſtincta eſt ab ejus eſſentiâ, ſicut & cætera attributa.

QUÆSTIO UNDECIMA.
De ſcientia Dei.

ARTICULUS PRIMUS.
Utrùm in Deo ſit ſcientia; & qualis ſit; & circa quæ verſetur?

ERRANT impii circa Dei ſcientiam; ita enim aiunt apud Job. 22. ℣. 15. *Quid enim novit Deus? & quaſi per caliginem judicat.* Pſ. 93. ℣. 7. de iniquis qui viduas opprimunt ſic dicitur: *Et dixerunt, non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob.* 2. Averroës lib. 2. Metaph. Deum alia à ſe nonniſi in univerſali intelligere propugnat, prout nempè entia univerſim ſunt, non prout ad hanc, vel illam ſpeciem rediguntur; nec proindè, inquit, inſcius dicendus eſt Deus, quòd Dei ſcientia, alterius, & ſuperioris longè ordinis à noſtrâ ſit.

Præſcientiam in Deo negavit Cicero, ut docet S. Auguſt. lib. 5. de Civit. Dei c. 9. quòd eâ hominum libertatem deſtrui exiſtimaret; *Atque ita*, inquit, *dum vult homines facere liberos, facit ſacrilegos.*

Marcio eandem Dei præſcientiam negavit, quòd imaginem ſuam, nempè hominem ſtatu felicitatis dejici, & Dæmonis imperio ſubdi paſſus eſſet; ut omnipotens, & ut ſummè bonus illi malo, inquiebat, occurriſſet, à quo liberaſſet; neque bonus, neque omnipotens, neque demùm præſcius eſſet dicendus. Ita Marcio diſſerebat ex Tertull. lib. 2. contra hunc hæreticum.

Albanenſes etiam, teſte Guidone Carmelitâ in ſuâ Summâ de hæreſib. dixerunt Deum non præſcire ex ſe aliquod malum, ſed per adverſarium ſuum, nempè Dæmonem.

Ex illâ præſcientiâ intulit Joannes Hus omnia neceſſariò contingere, ut liquet ex Seſſ. 25. Conc. Conſtantienſis.

CONCLUSIO. Datur in Deo ſcientia.

Probationibus opus non eſt; quia cum Deus omnes omninò perfectiones complectitur, procul dubio ſcientiam habet omnibus modis abſolutam. Hic nobiliſſimus eſt operandi modus, intellectualis ſcilicet, omniumque agendi rationum ea perfectiſſima eſt, quæ ex facultate ſui dominâ elicitur. Deus quoque in agendo ſibi finem præfinit, & conſtituit, quod non præſtaret ſcientiâ deſtitutus. Addi poſſent quæ ad commendationem ſcientiæ Dei habentur, Job 9. ℣. 4. *Sapiens corde eſt, & fortis robore.* Et c. 12. ℣. 13. *Apud ipſum eſt ſapientia, & fortitudo;*

ipse habet consilium & intelligentiam. 1. Reg. 2. ℣. 3. *Deus scientiarum Dominus est.* Esther 14. ℣. 14. *Domine qui habes omnium scientiam.* Rom 11. ℣. 33. *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei!* Ps. 93. adversus iniquos scientiam Deo detrahentes variis rationibus Deus suam scientiam vindicat ℣. 7. *Et dixerunt, non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob. Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquandò sapite. Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat? Qui corripit gentes, non arguet, qui docet hominem scientiam? Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.*

Hæc Dei scientia, & perfectissima, & una est, & immutabilis, nihil in eâ varium est, nihilque multiplex. Ità S. Aug. lib. 13. Confess. c. 16. *Nam sicut omninò tu es, tu scis solus, qui es incommutabiliter, & scis incommutabiliter, & vis incommutabiliter, & essentia tua scit, & vult incommutabiliter, & voluntas tua est, & scit incommutabiliter*: Cum autem scientia Dei immutabilis sit; perfectissima sit etiam necesse est: Undè licet, quæ futura erant, jam peracta sint, ut Christus, qui olim nasciturus, modò natus est; non est ideò mutata Dei circa hæc scientia.

Scientia Dei à nostræ scientiæ defectibus aliena est longè; unico enim intuitu, & absque discursu perspecta habet omnia, & in seipso, 1. Reg. 16. ℣. 7. Ps. 7. ℣. 10. Jerem. 11. ℣. 17. Undè S. Aug. 2. L. ad Simplic. q. 2. Nomen scientiæ à nobis petitum, ad Deum impropriè, seu metaphoricè translatum esse docet: nos enim scire aliquid dicimur, cum memoriæ nostræ inhærere dicuntur, quæ per sensus, aut per intellectionem concipimus: in tali autem scientiâ ordo, & mutabilitas occurrunt: quæ à Deo procul removenda sunt.

Deus scit ineffabili ratione, semetipsum novit perfectissimè, & quidem solus; quod non probatione, sed expositione solâ opus habet. Addemus tantùm ex Apost. 1. Cor. 2. ℣. 11. *Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi spiritus Dei.*

CONCLUSIO II. Deus quælibet etiam diversæ à se naturæ novit, & solus, & ab æterno.

Aperta quoque est ista conclusio, & prætermissis plerisque Scripturæ locis, quibus probaretur, ut Job 28. Psal. 10. Psalm. 82. Prov. 15. satis sit afferre illud Apostoli Hebr. 4. ℣. 13. *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda, & aperta sunt oculis ejus.* S. Aug l. 5. de Gen. ad Litt. c. 18. sic habet: *Hæc igitur antequam fierent, utique non erant. Quomodo ergò Deo nota erant, quæ non erant? Et rursùs quomodo ea faceret, quæ sibi nota non erant? Non enim quidquam fecit ignorans. Nota ergo fecit, non facta cognovit. Proindè antequam fierent, & erant, & non erant: erant in Dei scientiâ, non erant in suâ naturâ.*

Infinitam Dei scientiam lib. 6. Strom. delineat S. Clem. Alex. comparatione à Theatris petitâ: sicut enim ludorum spectator in arenâ positus, quæ ante se gererentur tantùm, non quæ retrò, conspiceret; qui verò in superiori loco sederet, non modò spectatores, sed & totius undique thea-

tri ambitum uno comprehenderet aspectu : ita Deus, qui omnibus supereminet, omnia uno obtutu conspicit. Aliter disserit S. Thom. libro 1. contra Gentes cap. 66. Sicut enim, inquit, puncta in uno circulo prioris, & posterioris rationem inter se secundùm situm habent ; punctum verò, quod in centro est, omnibus & æquè præsens est, & æquè ab illis distans ; ita Deus extra omne tempus existens, omnibus temporum differentiis æquè præsens est, unus, & immotus manens. S. August. sic exponit lib. 15. de Trinit. cap. 7. *Ita Deus novit omnia, ut, nec ea quæ dicuntur preterita, ibi prætereant ; nec ea quæ dicuntur futura, quasi desint, expectentur ut veniant : sed & præterita, & futura cum præsentibus sint cuncta præsentia.* Item lib. 10. de Civit. c. 12. *Temporalia movens, temporaliter non movetur ; nec aliter novit facienda, quàm facta ; nec aliter invocantes exaudit, quàm invocaturos videt.*

Quaslibet res non modò habet compertas Deus, sed & comprehendit ; nam ratione perfectissimâ suum objectum consequitur.

Deum autem omnia sigillatim nosse ex eo constat, quòd ipse omnia distinctè, & determinatè constituerit. Nam Matth. 6. & Luc. 12. cœli volatilia pascit, lilia vestibus exornat, singulis peccatis meritas pœnas infligit, & omnes actus bonos remuneratur. Job etiam 11. ℣. 11. *Ipse novit hominum vanitatem, & videns iniquitatem nonne considerat ?* Item Ps. 68. ℣. 6. *Deus, tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita.*

Et si Deus res alias à se intelligat, non proindè inæqualis perfectionis in Deo sunt operationes : non enim ex variâ objectorum secundariorum naturâ cognitionum varia qualitas repetitur, sed ex primariis objectis ; primarium autem divinæ scientiæ objectum est Dei essentia, & Deus in se omnia cognoscit ex S. Aug. 49. quæst. ex 83.

Dum autem Abac. c. 1. ℣. 13. oculi Dei dicuntur mundi, ne videant malum. Matth. 7. ℣. 23. de peccatoribus dicitur. *Nunquam novi vos* ; non ideò censendum est peccatores, & peccata latere Deum ; nam, ut monet Orig. Hom. 4. in Gen. Deus nescire peccata, & peccatores dicitur, non quòd reverâ nesciat, sed quòd indigni sint peccatores, qui sciantur. Undè Apost. 1. Cor. 14. ℣. 33. *Si quis ignorat, ignorabitur.* Et ex S. Aug. in Psalm. 1. *Hoc est nesciri à Domino, quod est perire : & hoc sciri à Domino, quod est manere ; ut ad scientiam Dei, esse pertineat : ad ignorantiam, verò non esse : quia Dominus dixit, Ego sum, qui sum.*

CONCLUSIO III. Novit Deus futura, seu datur in Deo præscientia.

Quod ut intelligatur, observandum est, ex futuris alia esse necessaria, quæ pendent à causis necessariis ; alia contingentia, quæ à causis contingentibus, seu non determinatis ad unum, oriuntur. Hæc iterùm, vel libera sunt, quæ à causâ rationali ad utrumlibet indifferente producuntur ; vel conditionata, quæ, positâ videlicet hâc, vel illâ conditione sunt futura : hæc dividuntur in conditionata futura, & non futura ; priora certò erunt, ubi fuerit posita conditio, sub quâ futura dicuntur ; non futura, sunt quæ

pendent à non ponendâ conditione ſub quâ dicuntur futura. His ita poſitis.

Prob. Concl. Deum nempè noſſe cujuſlibet generis futura, palàm eſt ex ſuperioribus probationibus. Præterea Pſalm. 32. ℣. 15. *Intelligit omnia opera eorum.* Pſalm. 138. ℣. 5. *Ecce Domine tu cognoviſti omnia, noviſſima, & antiqua.* Sap. 8. v. 8. *Scit præterita, & de futuris æſtimat .... ſigna, & monſtra ſcit antequam fiant, eventus temporum, & ſæculorum.* Hinc etiam ad Deorum falſitatem demonſtrandam, divinitatis argumentum illud ſtatuit apud Iſaiam Dominus c. 41. ℣. 22. *Accedant, & nuncient nobis quæcumque ventura ſunt, &c. Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia Dii eſtis vos.* Et c. 44. v. 6. *Ego primus, & noviſſimus, & abſque me non eſt Deus: quis ſimilis mei? vocet, & annunciet, & ordinem exponat mihi, ex quo conſtitui populum antiquum; ventura, & quæ futura ſunt annuntient eis.* Eccli c. 23. ℣. 29. *Domino Deo antequam crearentur, omnia ſunt cognita: ſic & poſt perfectum reſpicit omnia.*

Et certè Deus per Prophetas innumera prædixit, ut Judæorum infidelitatem, captivitatem, Templi excidium & reſtaurationem, Gentium fidem. Inde Tertullian. lib. 2. contra Marcion. cap. 5. ita loquitur: *Præſcientia Dei tantos habet teſtes, quantos fecit Prophetas.* Et in Apol. c. 20. *Idoneum teſtimonium divinitatis, veritas divinationis.* Quod & his expreſſit verbis S. Aug. lib. 5. de Civit. cap. 9. *Confiteri eſſe Deum, & negare præſcium futurorum, apertiſſima inſania eſt.* Eadem reperies, tùm apud Origenem lib. 6. contra Celſ. tùm apud Euſebium lib. 6. de Præparat. Evang. tùm & apud alios Patres iſtis vel anteriores, vel æquales, vel etiam poſteriores.

Opp. S. Aug. lib. 11. de Civit. c. 21. probat non eſſe in Deo præſcientiam, ſeu futurorum cognitionem. 1. Quia Deus non eſſet æternus; cum æternitatis reſpectu nihil ſit futurum; variis enim temporum differentiis velut punctum reſpondet æternitas. 2. Quia non eſſet immutabilis; novam enim novi objecti notitiam acquireret; & ſic ejus intelligendi aptitudo non eſſet integra, cum ipſi quid novi accederet. Idem probat lib. 2. quæſt. ad Simplic. his verbis: *Quid eſt præſcientia, niſi ſcientia futurorum? quid autem futurum eſt Deo, qui omnia ſupergreditur tempora? ſi enim ſcientia Dei res ipſas habet, non ſunt ei futuræ, ſed præſentes; ac per hoc non jam præſcientia, ſed tantùm ſcientia dici poteſt.* Et quia, ut addit, niſi præſentia, & futura eodem modo intelligat, *bis ea ſentit: uno quidem modo ſecundum futurorum præſcientiam: altero verò ſecundum præſentium ſcientiam. Aliquid ergò temporaliter accedit ſcientiæ Dei: quod abſurdiſſimum, atque falſiſſimum eſt; nec enim poteſt quæ ventura prænoſcit, noſſe cum venerint, niſi bis innoteſcant, & prænoſcendo antequam ſint, & cognoſcendo cum jam ſunt.*

R. de nomine quæſtionem tantùm moveri, ſi ad rationes, & verba S. Aug. attendatur: non enim futurorum notitiam Deo negat: ſed vult eam nomine ſcientiæ potius eſſe inſigniendam, quàm præſcientiæ uſurpa-

tione; cum nihil Dei respectu sit futurum. Sic ergò futurorum cognitio in Deo dicetur scientia respectu Dei, si convenienti, & apposito vocabulo uti velimus; respectu verò nostri vocabitur præscientia, si nomen adhibeamus, quod nostro intelligendi modo respondeat: rerum enim aliæ respectu nostri præsentes sunt, aliæ præteritæ, aliæ futuræ; Dei autem respectu non ità, sed omnes sunt præsentes.

CONCLUSIO ult. Novit Deus futura conditionata, quorum conditio nunquam est ponenda.

Prob. Nam ex lib. 1. Reg. c. 23. ℣. 11. quærenti David, num à Ceïlanis Saüli traderetur, respondet Deus ab iis esse tradendum: *Si tradent me*, inquit, *viri Ceilæ in manus ejus? & si descendet Saul, sicut audivit servus tuus? Domine Deus Israël indica servo tuo. Et ait Dominus: descendet. Dixitque David: Si tradent me viri Ceilæ, & viros qui sunt mecum, in manus Saul: Et dixit Dominus: Tradent.* Sap. quoque 4. ℣. 10. dicitur de Prædestinato: *Placens Deo factus est dilectus, & vivens inter peccatores, translatus est: raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Matth. etiam 11. ℣. 21. ità Christus increpando loquitur: *Væ tibi Corozaïn, væ tibi Bethsaïda: quia, si in Tyro, & Sydone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent. Verùmtamen dico vobis: Tyro & Sydoni remissius erit in die Judicii, quàm vobis. Et tu Capharnaum, numquid usque in cœlum exaltaberis? usque in infernum descendes. Quia, si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, fortè mansissent usque in hanc diem.*

Deus ergò noverat Ceilanos Davidem esse prodituros, si Ceïlæ commoratus fuisset: item justum illum fuisse peccaturum, nisi præmaturâ morte præreptus fuisset. S. Aug. lib. de Corrept. & Grat. c. 8. ait dono Dei hominem finire hanc vitam, antequam ex bono mutetur in malum. Noverat etiam Deus Tyrios, Sydonios, & Sodomitas fuisse pœnitentiam acturos, si conditio, de quâ Christus locutus est, non defuisset. Quæ omnia sæpiùs contra Pelagianos urget S. Aug. ut quosdam præ aliis probet singulari Dei beneficio à Deo donis affici: Lib. quippè de Dono persever. c. 11. scribit Deum non illis subvenisse, quos prævidit credituros fuisse, si apud eos edita essent miracula; quia Deus in suâ prædestinatione, occultè quidem, sed justè aliud judicavit.

Præterea S. Greg. Nyss. Orat. de Infantibus præmaturâ morte abreptis, docet Deo perspectum esse, quid de illis futurum fuisset, si vitam longiùs produxissent. *Est enim consentaneum ab illo, qui peræquè futurum novit, ac præteritum, prohiberi parvuli progressionem ad perfectam ætatem; ne malum illud, quod præsciens illa vis, & facultas cognoverit in eo, qui ita victurus fuisset, perficiatur; atque ei, qui eâ voluntate, arbitrioque victurus fuißet, materia nequitiæ vita fiat.*

OPP. Futurorum hanc conditionatorum cognitionem in Deo sæpiùs impugnat S. Aug. nec vocari posse futura, quæ nunquam sunt extitura, contendit. Nam lib. 1. de Animâ, & ejus orig. cap. 12. animas parvu-

lorum præmaturâ morte non ſubtrahi, probat contra Pelagianos, quòd libero arbitrio abuſuri eſſent: *Quid quod*, inquit, *ipſa exinanitur omninò præſcientia, ſi, quod præſcitur, non erit. Quomodo enim rectè dicitur præſciri futurum, quod non eſt futurum? quomodo ergò puniuntur peccata quæ nulla ſunt, id eſt, quæ nec vitâ iſtâ nondum incipiente commiſſa ſunt ante carnem, nec morte præveniente poſt carnem?* Et Epiſt. 105. Xiſto. *Quomodo futura dicuntur, quæ nulla erunt?* Et lib. quoque 15. de Civit. c.13. non aliam ſcientiæ Dei cauſam novit, quàm quòd ſcientia ipſa ſit omnium cauſa; & proindè cum futurorum ſub conditione, quæ nunquam futura ſunt, cauſa futurus non ſit Deus, hinc eſt quòd ea noſſe non videatur.

R. Nihil aliud velle S. Aug. quàm Deum nec pœnas infligere, nec præmium tribuere ob culpas, aut benefacta, quæ nunquam eſſent futura. Et verò S. Aug. iſtud adverſariorum commentum refellens lib. de Prædeſt. Sanctor. c. 14. ubi attendit ad illud ſapientis: *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Sic habet: *dictum eſt enim ſecundum pericula vitæ hujus, non ſecundum præſcientiam Dei, qui hoc præſcivit quod futurum erat, non quod futurum non erat: id eſt quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum ſubtraheretur incerto; non quòd peccaturus eſſet, qui manſurus in tentatione non eſſet.* Impugnat ergò tantùm S. Aug. illam futurorum ſcientiam, quâ poſitâ in peccata nunquàm futura decernerentur pœnæ.

Et ſanè ſæpiùs Sanctus Auguſtinus, & alii Patres hanc ſcientiam in Deo ſupponunt, cum quærunt, cur Deus Dæmones crearit, quos malos fore præſciebat? item cur & alios homines creet, quos ſcit peccaturos, & pœnitentiam non amplexuros?

ARTICULUS SECUNDUS.

Quomodo, aut in quo ſeipſum, & cætera, ſeu præſentia, ſeu futura abſoluta, aut conditionata Deus noverit.

CUM ex Apoſt. Rom. 11. ℣. 33. inveſtigabiles ſint viæ Dei, ſcientiæque ejus altitudo incomprehenſibilis; ab inveſtigandis ſcientiæ divinæ operationibus, & præcipuè internis, utpotè ſupra vires intellectûs humani poſitis, abſtineremus, niſi in ſcholis invaluiſſet conſuetudo tractandi, non ſolùm de Dei operationibus, ſed etiam quibus rationibus eliciantur: de illis igitur breviter, & quæ SS. Patres docuerint exſcribemus.

CONCLUSIO I. Semetipſum novit Deus, & per ſeipſum; non enim ab alio ſui cognitionem haurire poteſt; cum intelligere Dei ſit eſſe Dei.

CONCLUSIO II. Deus in ſe, & per ſe novit omnia.

Prob. 1. ex S. August. lib. 15. de Trin. cap. 14. *Novit omnia Deus Pater in seipso; novit in Filio; sed in seipso, tanquam seipsum; in Filio, tanquam verbum suum, quod est de his omnibus, quæ sunt in seipso. Omnia similiter novit & Filius, in seipso scilicet, tanquam ea, quæ nata sunt de his, quæ Pater novit in seipso; in Patre autem, tanquam ea de quibus nata sunt, quæ ipse Filius novit in seipso.*

Et verò nisi in seipso omnia cognosceret Deus, potentiâ, non actu esset intelligens; & creaturæ alibi essent, quàm in ipso; & ab eo, per quod intelligeret creaturas, discreparet: quæ singula repugnant.

In se ergo, ut in causâ efficiente Deus res creatas omnes cognoscit, nihilque mutuatur ab ipsis creaturis. Quam doctrinam his tradidit verbis S. Amb. in Tract. in Symbolum cap. 1. *Ut licet omnia cœlestia, & terrestria, ac minima quæque perspiciat; nihil tamen extra se intelligere, sed singula in se intueri dicatur.*

2. Omnium similitudinem continet in se Deus; & proindè cum perfectissima ejus cognitionis sit ratio, in seipso intelligit, quæ intelligit: longè enim perfectior est creaturarum cognitio, quæ habetur in Deo, quàm quæ ab ipsis creaturis petitur. Hinc S. Aug. lib. 11. de Civ. c. 7. ità loquitur: *Cognitio quippè creaturæ in seipsâ, decoloratior est, ut ità dicam, quàm cum in Dei sapientiâ cognoscitur, velut in arte, quâ facta est.* Item cap. 29. de Angelis loquens sic habet: *Ipsam quoque creaturam meliùs ibi, hoc est, in sapientiâ Dei, tanquam in arte, quâ facta est, quàm in eâ ipsâ sciunt: ac per hoc, & seipsos ibi meliùs, quàm in seipsis: omnia hæc aliter in verbo Dei cognoscuntur ab Angelis, ubi habent causas, rationesque suas, idest, secundum quas facta sunt, incommutabiliter permanentes; aliter in seipsis; illìc clariore, hìc obscuriore cognitione, velut artis, atque operum; & nihil extra se intuetur Deus.*

Ultimò, Si per propriam sui speciem in Dei cognitionem venirent creaturæ, immediatum essent divinæ cognitionis objectum; quod fieri non potest: essentia enim divina divinæ cognitionis immediatum, & primarium est objectum: & quod immediati objecti rationem obtinet, perfectionem cognitioni tribuit: creaturæ verò nihil tale respectu Dei præstare possunt; nec potest fieri intelligens Deus per speciem extrinsecùs advenientem: esset enim in potentiâ respectu illius speciei, quæ ipsum divinum intellectum determinaret ad actum.

Conclusio III. Novit Deus peccata objectivè tantùm, & ex obliquo.

Prob. Nam Deus non potest comperta habere peccata in se, tanquam in causâ; nec in se, ut rerum omnium similitudinem referente: nihil enim secundum eam rationem in Deo est, nisi quod ab ipso ut causâ oritur; non ergò subjectivè in Deo sunt peccata, ut aiunt, sed objectivè, & in obliquo; in quantùm nempè cognitis bonis, bonorum quoque privationes, quæ peccata sunt, Deus cognoscit.

Conclusio IV. Res futuras non novit Deus, quòd sibi coëxistant ab æterno secundum illud esse reale, quod in tempore consequuntur.

Prob. 1. quia res illæ essent Deo coæternæ ex hypothesi, & non essent, utpote futuræ. Pariter successiva essent quædam entia, & non essent, ut quæ sibi coëxisterent, dies, putà hodiernus, & hesternus. Deus ergò non novit res futuras, ut præsentiâ reali sibi ab æterno præsentes, sed tantùm præsentiâ rationis, seu objectivè; quia scilicet à Deo intelliguntur.

Opp. 1. Quæ coëxistunt indivisibili, quod æternum est, & nec principium, nec finem habet, sunt ab æterno. At coëxistunt creaturæ æternitati, quæ ejusmodi est; & proindè realem habent ab æterno existentiam; & sic in reali suâ ab æterno existente præsentiâ cognoscuntur.

R. rem, quandò existit, coëxistere toti æternitati, cum æternitas sit indivisibilis; sed non coëxistere toti æternitati totaliter, nec adæquatè; cum æternitas sit duratio infinita, & finita sit creaturæ duratio: finitum autem infinito adæquari non potest; & proindè creaturis omnibus coëxistit æternitas, non solùm creaturas adæquans, sed excedens: coëxistunt verò res creatæ æternitati cum existunt, sed inadæquatè solùm.

Opp. 2. Deus non cognoscit res futuras ut futuras: ergò eas cognoscit ut sibi coëxistentes: nam ex S. August. lib. 2. ad Simplicianum, quæst. 2. præscientia Dei nihil aliud est, nisi scientia futurorum, quæ non dicenda est præscientia, sed potius scientia; quia nihil futurum est respectu Dei; sed omnia sunt ipsi præsentia: alioquin bis ea sentiret.

R. futura illa Deo esse ab æterno præsentia objectivè; non verò realiter, quasi secundum illud esse reale, quod habent in tempore, ipsi Deo coëxistant ab æterno: nec ideò tamen cum creantur, nova accedit Deo scientia; quia Deus omnia in seipso novit, nec aliquid mutuatur à creaturâ. Quamobrem futurum nihil est Dei respectu, sed nostri tantùm; quia Dei æternitas tempora omnia complectitur: sed indè non sequitur quæ Deus ut præsentia videt, existere realiter: videt quippè ea Deus in seipso, nec cum creantur alibi videt: undè ex S. Gregor. lib. 2. Moral. cap. 23. *Non ab æternitate ejus ideò videntur, quia sunt: sed ideò sunt, quia videntur.*

Conclusio V. Non cognoscit Deus res futuras in voluntate suâ, ut in rerum futurarum causâ. Nam, si res ita esset, tolleretur rerum contingentia, tolleretur & liberum arbitrium: nullâ enim causarum proximarum ratione habitâ res futuras constitueret Deus; & proindè, quod esset futurum, necessariò esset futurum. Imò etiam in Deum peccata forent referenda; quia vellet Deus, ut prius fierent, quàm hominum affectus nosceret.

Opp. 1. Deus comprehendit causam liberam, quemadmodum & causam necessariam; & proindè videt in eâ, non tantùm quod est possibile, sed etiam quod est futurum, non secus ac in principio videt conclusiones omnes.

R. Deum comprehendere causam liberam, & quò magis perspicuè cognoscit causam liberam, eò clariùs eam esse indeterminatam cognoscere. Si autem Deus in suâ voluntate, ut rerum causâ, quæ ab homine sunt

ſunt peragenda, deprehenderet; hominem, non liberum, ſed determinatum animadverteret. Ideò autem concluſiones in principio conſpiciuntur, quia neceſſariò in eo continentur, & ab ipſo deducuntur: actiones verò cauſæ liberæ neceſſariam cum cauſâ connexionem non dicunt; eſſet enim cauſa libera, & non libera, ut quæ eſſet determinata.

INST. 1. Licet ex cognitione illâ ſuppoſitâ, eſſet certò actus hominis futurus, non proindè hominis libertas læderetur; ſicut nec læditur gratiâ efficaci, licet ex eâ ſequatur neceſſariò res futura, & à Deo ſic conſpiciatur.

R. ex gratiæ poſitione non ſequi actum eſſe futurum neceſſariò; videri tamen à Deo ut infallibiliter futurum; alioquin gratia illa eſſet efficax, & non eſſet; quod implicat: undè gratia inclinat voluntatem, ſed non cogit. Deus verò eam cogeret, in voluntate ſua, ſi quid acturus eſſet homo, infallibiliter conſpiceret: determinaretur enim hominis voluntas ad ponendum neceſſariò actum.

INST. 2. Sicut gratia, licet voluntatis determinationem antecedat, & det velle, libertatem non deſtruit; ita hæc Dei cognitio libertati pariter non noceret.

R. diſcrimen in eo eſſe, quòd cognitio hæc divina certa & infallibilis ita determinationem voluntatis humanæ antecederet, ut ab ipsâ voluntate independens eſſet, & proindè ita determinaretur hominis voluntas, ut aliter omninò agere non poſſet; quia ſcilicet errori obnoxia eſſe non poteſt Dei cognitio: at verò gratia quælibet, ſeu excitans, ſeu præveniens, non antevertit determinationem voluntatis; ſed ipſam voluntatem dependenter ab ipsâ voluntate determinat.

OPP. Res neceſſaria pendet à voluntate Dei; ergò & libera.

R. Pendere neceſſarias res à Deo tanquam à cauſâ abſolutâ; res liberas tanquam à concauſâ: nam Deus ita determinat cauſas neceſſarias, ut non poſſint non agere; non verò ità res liberas; poſſunt enim agere, & non agere.

INST. 1. Tam pendent res futuræ à voluntate Dei, quam poſſibiles ab omnipotentiâ.

R. Eas æquè in eſſe pendere; non verò in cognitione. Sicut enim res poſſibiles non poſſunt eſſe niſi ab omnipotentiâ; ità nec res futuræ, niſi à voluntate Dei; quia nihil exiſtit nolente Deo: ſed non, ſicut in ſuâ omnipotentiâ videt res poſſibiles, videt ita in ſuâ voluntate res liberas futuras; alioquin liberæ res eſſent, & non eſſent.

INST. 2. Poſitis decretis divinis de futuritione rei cujuſdam, eam cognoſcit Deus futuram; ſublatis decretis eam non cognoſcit Deus futuram. Igitur res liberas futuras in ſuâ voluntate cognovit. Et verò SS. Auguſt. Proſper, & Fulgentius, voluntatem divinam pro præſcientiæ divinæ regulâ, contra Semipelagian. conſtituunt: quorumdam enim ab aliis ſecretionem divinæ præſcientiæ tribuebant iſti; ſeu hos Baptiſmum conſequi exiſtimabant, & ſalutem, quia eos, ſi ſuperſtites fuiſſent, gratiæ beneficiis benè uſuros fuiſſe Deus præſcierat; hos verò repelli, ſeu

beneficiis illis non donari, quia si vitam agere illis datum fuisset, peccatis se totos tradidissent. Hanc opinionem Patres illi confutant, & salutis beneficium divinæ voluntati tantummodò esse tribuendum contestantur: Istorum sententiam sic exponit S. Prosper Epist. ad S. Aug. *Cumque inter hæc innumerabilium illis multitudo objicitur parvulorum, qui ante discretionem boni & mali, de usu vitæ istius auferendi; alii per regenerationem inter cœlestis regni assumantur hæredes; alii sine Baptismo inter mortis perpetuæ transeant debitores; tales aiunt perdi, talesque salvari, quales futuros illa in annis majoribus, si ad activam servarentur ætatem, scientia divina prævíderit.* Et S. Aug. eam sententiam ita confutat lib. de Prædest. Sanct. c. 12. *Quis enim audiat, quòd dicuntur parvuli pro suis futuris meritis in ipsâ infantili ætate baptizati exire de hâc vitâ, & ideò alii non baptizati in eâdem ætate mori, quia & ipsorum præscita sunt merita futura, sed mala.*

Item etiam habet cap. 14. ejusdem lib. in illud sapientiæ, *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.*

R. S. Aug. ideò Semipelagianorum præscientiam improbare, quod à Deo, ob demerita visa nunquam extitura, Baptismo infantes privari contestarentur; alios verò ob merita prævisa, si vixissent, Baptismi gratiâ donari: nam lib. de Dono persever. c. 9. sic habet: *Quoniam nullus mortuus judicatur ex bonis seu malis, quæ fuerat, si non moreretur, acturus.* Et paulò suprà de Tyriis ità loquitur: *Si secundum facta, quæ facturi eßent, si viverent, mortui judicantur; profectò, quia fideles futuri erant isti, si eis cum tantis miraculis fuißet Evangelium prædicatum, non sunt utique puniendi: punientur autem.* Non igitur ab illis SS. Patribus hominis actus liberi in Dei decreta, seu voluntatem divinam, ut eorum causam, referuntur; sed Dei æquitas vindicatur; non enim æquum esset propter merita, aut demerita nunquam extitura, alios tormentis æternis addicere, alios cœlesti gloriâ donare.

I n s t. 3. Semipelagianos non ideò tantùm ob id arguit S. Aug. sed quia in Deo præscientiam, cujus regula non esset divina voluntas, admittebant; nam l. de Dono persever. cap. 14. hæc habet: *An quisquam dicere audebit, Deum non præscivisse, quibus esset daturus, ut crederent; aut quos daturus esset filio suo, ut ex iis non perderet quemquam? quæ utique si præscivit, profectò beneficia sua, quibus nos dignatur liberare præscivit.* Et c. 18. *Præscivit enim reliquias, quas secundum electionem gratiæ fuerat ipse facturus: hos ergò prædestinavit; sine dubio enim præscivit, si prædestinavit; sed prædestinasse, est hoc præscisse quod fuerat ipse facturus.* Prædestinationem igitur cum præscientiâ conjungit; ita ut voluntatis actum pro prædestinationis regulâ stabilierit, & præscientiæ.

R. damnari à S. August. hanc à Semipelagianis excogitatam præscientiam, quâ positâ, hominum merita, seu opera laude digna in Dei gratiam non referrentur, sed in cognitionem, quâ præsciret Deus hos gratiâ benè usuros fuisse, non istos: nam lib de Prædest. Sanctor. c. 1. ità

scribit : *Hæc est immobilis veritas prædestinationis, & gratiæ; nam quid est, quod ait Apostolus, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem : quod, profectò, si propterea dictum est, quia præsciit Deus credituros, non quia facturus fuerat ipse credentes; contra istam præscientiam loquitur filius dicens, non vos me elegistis, sed ego vos elegi.*

INST. 4. Idcircò confugiebant Semipelagiani ad præscientiam, quam improbat S. Aug. ne decretum seu propositum Dei efficax à meritorum prævisione independens admittere cogerentur : S. igitur Aug. præscientiam ex Dei decreto efficaci non petitam damnabat; si enim præscientiam ex decreto efficaci non ductam admitteret, non probaret quod intendit : nam probare intendebat dari quoddam decretum, seu propositum Dei efficax, quo sic secernerentur homines, ut quidam assumerentur ad gloriam, alii relinquerentur ad pœnam.

Jam verò si præscientia decretum Dei efficax supponat; propositæ opinionis ruent fundamenta : nam ideò negatur Deus præscire futura libera in suo decreto, ne decreto illo efficaci præsupposito, ut ad præscientiam divinam prærequisito, libertas lædatur; quia voluntatis determinationem præverteret illud decretum, everteretque, utpotè quod impleretur necessariò. Si autem decretum illud tanquam conditio ad visionem supponatur, perindè erit; res enim quæ sic prævidebuntur, necessariò erunt pariter futuræ; proindèque non minus libertati humanæ nocebitur, quàm si pro præscientiæ divinæ ratione formali decretum illud habeatur; posito enim decreto illo, ut conditione ad præscientiam divinam prærequisitâ, seu præscientiæ divinæ medio, erit ex æquo determinata res futura, & non minus à libertate humanâ independens, quàm admisso decreto ut divinæ præscientiæ formali ratione. Quolibet pacto de rebus futuris liberis Dei decretum intelligatur, res decretas in illo Deus conspiciet. Qui enim divinam voluntatem comprehendit, res decretas ad quas determinatur, videt necessariò; non secùs ac, qui omnipotentiam comprehenderet, res omnes possibiles necessariò haberet compertas.

Addunt vix posse concipi Deum suam comprehendere voluntatem, quin, quas vult res, conspiciat, propter formalem, & transcendentalem ad res illas decretas habitudinem. Voluntas igitur pro formali præscientiæ divinæ ratione videtur omninò statuenda; cum etiam ad res decretas habeat formalem habitudinem longè majorem, quàm essentia divina, cujus nulla est ad res decretas habitudo formalis.

R. 1. Deum res futuras in essentia, non videre antecedenter ad decretum liberum, quia nulla est res futura, nisi quam Deus futuram decrevit : sed non est indè colligendum cognitionis divinæ rationem formalem esse Dei decretum : nam licet aliquid, tanquam ad effectum conditio prærequiratur, non ideò ejus est ratio formalis. Sic licet ligni ad ignem admotio sit conditio, sine quâ lignum non comburetur; non idcircò illius combustionis est causa formalis. Et sic posito decreto tanquam conditione ad visionem, hominis voluntas remanet indeterminata.

R. 2. S. Aug. non attendisse ad illam visionis futurorum rationem formalem tanto studio à Theologis nunc investigatam: nam in hoc uno sedulam suam collocabant operam antiqui Patres, videlicet in Catholico dogmate constituendo, nec ulteriùs progrediebantur: sic sibi satis esse censuit S. Aug. si adversus Semipelagianos donum fidei esse gratuitum, & nullatenùs in meritorum prævisionem demonstraret referendum.

R. 3. Comprehendi non posse Dei omnipotentiam, quin possibilia omnia cognoscantur; quia necessariam dicunt ad omnipotentiam habitudinem: voluntas verò Dei libera non necessarium ad hunc potiùs, quàm ad illum actum dicit ordinem.

INST. 6. Ideò in omnipotentiâ fiunt nota quæ possunt esse, quod cum ea habeant connexionem; sed futura necessariam cum essentiâ divinâ hanc non habent habitudinem: concipitur enim essentia, non conceptis rebus futuris; dicunt autem ordinem necessarium ad voluntatem, quia nihil futurum est, nisi quod Deus vult. Hinc S. Hilar lib. 9. de Trin. Quod Deus facere decrevit in suâ voluntate, cognovit. Et S. Aug. lib. de Prædest. Sanctor. c. 10. *Ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus.*

R. Futura, sicut & quæ existunt, necessariam dicere cum essentiâ divinâ connexionem; ut potè quæ sit omnis entis origo, & principium. Quod spectat ad SS. Patres in objectione laudatos, dico eos de ratione formali visionis Dei, nequidem cogitasse; sed ad summum voluntatem, ut conditionem ad visionem Dei, admisisse.

CONCLUSIO VI. Non ideò novit Deus futura libera, quia futura sunt.

Prob. 1. Non enim ideò præsciuntur à Deo res futuræ liberæ, quòd futuræ sint, & à causis inferioribus pendeant; sed ideò, inquit S. August. res sunt futuræ, quia præsciuntur. Nam lib. 6. de Gen. ad Litt. cap. 17. sic habet: *Hoc necessariò futurum est, quod ille vult, & ea verè futura sunt, quæ ille præscivit: nam multa secundum inferiores causas futura sunt, sed si ita sunt, & in præscientiâ Dei verè futura sunt; si autem ibi aliter sunt, ità potius futura sunt, sicut ibi sunt, ubi quæ præscit, falli non potest.* Nec enim Deus cognitionem, vel quidpiam à creaturis mutuatur.

2. Scientia Dei, aut præscientia, ejus est essentia; & proindè futuræ res illius causa esse non possunt: ut enim de voluntatibus nostris loquitur S. Aug. lib. 5. de Civit. c. 9. *Ideò quidquid valent*, inquit, *certissimè valent, & quod futuræ sunt ipsa, omnino futuræ sunt, quia valituras atque facturas ille præscivit, cujus præscientia falli non potest.* Et Lib. 1. c. 10. *Occurrit animo quiddam mirum, sed tamen verum; quòd iste mundus nobis notus esse non posset, nisi esset; Deo autem nisi notus esset, esse non posset.*

OPP. Ex Orig. apud Euseb. lib. 6. de Præp. Evang. c. 11. *Atque ut liberè quod res est eloquamur, non Dei modò prænotionem, rerum causam non esse (nec enim, quem peccaturum Deus esse prævidit, eum, dum reipsâ peccat, ad facinus quasi manu deducit) sed etiam, quod à com-*

muni sensu remotius quidem, sed verumtamen idipsum est quod futurum sit ejusdem prænotionis causam esse. Neque enim idcirco, fit quòd futurum esse cognoscatur; sed quòd futurum sit, idcircò futurum esse cognoscitur. Et proindè non ideò res futuræ sunt, quia eas novit Deus; sed ideò novit, quia futuræ sunt; alioquin rebus futuris necessitas imponeretur; cum non possent non esse, positâ Dei præscientiâ.

R. Eamdem stare difficultatem quocunque modo res futuras præscivisse Deus dicatur; quam tamen consequentiam negat ibidem Origenes, & ait Judæ proditionem non necessariò contigisse, sed liberè, licet à Deo præcognitam. Plurimi ex SS. Patribus, ubi de peccatis futuris agunt, non aliter quàm Orig. locuti sunt. Dicendum ergò res futuras à Deo sciri antequam fiant, secundum consequentiæ, non essendi, causam; seu, non quòd illæ futuræ res scientiæ rationem Deo præstent, sed quia novit Deus homines, prout se ad peccatum sunt liberè determinaturi; quia autem nihil eum latere potest, suntque illi omnia præsentissima; ideò quod futurum est animo complectitur.

CONCLUSIO ult. Res futuras liberas in suâ essentiâ videtur Deus notas habere, non liberas verò in omnipotentiâ, ut earum causâ.

De singulis illis vellem silere posse: quid enim certi de illis potest constitui? cum nihil revelarit Deus, & exclamet David Psalm. 138. ℣. 6. *Mirabilis facta est scientia tua ex me*; seu mirabilior est scientia tua, quàm ut ad eam possim assurgere: hinc statim adjungit: *Confortata est, & non potero ad eam*: hoc est, tàm humani vim ingenii supereminet, ut nullomodo eam possim assequi. Satis igitur mihi esset aut cum Davide, aut cum Apostolo exclamare Rom. 11. ℣. 33. *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei.* Si quid tamen probabilius ex iis, quæ vulgò proferuntur, est proponendum; dicam magis arridere mihi sententiam, quæ futuras res contingentes, & liberas à Deo in essentiâ divinâ, rerum omnium speculo, cognosci constituit. Neque enim repræsentari videntur res illæ, seu per causas necessarias, seu per Dei voluntatem; libertatis quippè integritati timeremus indè; nec ejusmodi periculum imminet ex essentiæ divinæ conspectu: Hæc enim res liberas illæsâ libertate repræsentat; quia sunt infiniti essentiæ divinæ thesauri; nullaque res esse potest, quoquomodo intelligatur, quin ut est in se repræsentetur ab essentiâ divinâ. Scimus à Theologis vulgò essentiæ divinæ rerum omnium necessariam tribui repræsentationem, ita ut etiam divinitùs fieri non possit, ut præsentia, præterita, & futura per Dei essentiam non repræsententur: sicut in Dei potestate non est, scire, vel nescire quæ fieri possunt. Hæc enim isti sententiæ non nocent, si essentia divina dicatur repræsentare res omnes necessariò, liberas enim, ut liberas, referet instar speculi rerum naturam non immutantis.

Quomodò conditionata non futura, quæ quidem forent, si quædam poneretur conditio, Deus noverit, non ita constat: varias in partes recentiores Theologi abeunt. Ut pleniùs quæstio explicetur, articulo sequenti de eâ nobis est agendum.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrùm detur ſcientia media.

SCIENTIA media dicitur cognitio rerum, quarum veritas à decreto Dei libero non pendet; cum ipſa illud prævertat. In hujuſmodi autem ſcientiâ, ante voluntatis ſuæ actum liberum, noſſe Deus dicitur, quid libertas hominis præſtaret, ſi in hoc, vel illo ſtatu conſtitueretur. Undè fit ut illarum actionum, ſeu illius objecti veritas, à creaturæ libertate pendeat, & à decreto quodam Dei conditionato; quo ſtatuit ſe creaturæ intelligenti non defuturum, ſi auxilio divino indigeat in hoc, vel illo ſtatu conſtituta. Et ſic libertas creaturæ prior eſt ſcientiâ Dei; ſimulque decretum Dei conditionatum prius decreto abſoluto.

Recens inventam eſſe ſcientiam mediam docent, & probant viri eruditiſſimi, ſcribuntque ne verbum quidem de eâ extare apud veteres Eccleſiæ Doctores; imò nullam de eâ mentionem facere priores Scholaſticos, qui divinam futurorum cognitionem ad ſimplicis intelligentiæ, aut viſionis ſcientiam referunt. Et licet de decretis, & conſiliis Dei hypotheticas proponant quæſtiones, ſimulque conditionales reſponſiones adhibeant, ad illam tamen ſcientiam mediam non videntur attendiſſe.

A recentioribus ideò excogitata fuit illa ſcientia, ut commodiùs divinæ præſcientiæ, prædeſtinationis, & reprobationis difficultates ſolverentur, ſimulque gratiæ efficacis cum libertate concordia faciliùs intelligeretur.

Qui Theologi recentiorum ſententiæ adverſantur, ſcientiam extrinſecè conditionatam in Deo non diffitentur, prout ad noſtras enuntiationes conditionatas de futuris, & poſſibilibus non futuris relationem dicit; eas enim novit Deus, ſimiliter & earum objecta. In removendâ igitur à Deo unicâ ſcientiâ conditionatâ intrinſecâ laborant.

CONCLUSIO. Scientia media, ſeu conditionata propriè & intrinſecè in Deo videtur non eſſe.

Prob. his rationibus, quibus nituntur illi Theologi quibuſcum ſentimus.

1. Apud antiquos in exponendis myſteriis tritas vias ſequi, & ab omni circa Religionis doctrinam excogitatâ recens opinione recedere, decet Theologos Catholicos Catholicè inſtitutos. De ſcientiâ mediâ ſilent antiqui, & recentem eſſe ſcientiæ mediæ excogitationem probant viri illi eruditiſſimi.

2. Summus animum incedere debet timor, ubi de maximè abſtruſis, & altiſſimis Chriſtianæ Religionis myſteriis eſt agendum; cum inſcrutabilia ſint Dei judicia, pronuntiatque Apoſtolus Rom. 11. ℣. 33. *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei*: & ideò ab illis ulteriùs inveſtigandis abſtinere ſatius nobis eſſe ſemper duximus, & acceptæ ab antiquis expoſitioni, & doctrinæ adhærere. Ab aliorum tamen ſtudio, &

labore improbando nobis esse temperandum censemus: nostrum enim non est in viros studiosos, ac magni nominis insurgere, cum Ecclesia de dogmatibus propositis nihil pronuntiavit. Liberos homines esse scimus; gratiæ necessitatem & virtutem, præscientiæ infallibitatem simul & rerum contingentiam novimus; sed hæc quomodo concilientur, non nosse nos malumus fateri, quàm ultra præfinitos terminos, saltem quos cognoverimus, ulteriùs progredi. Consulere dicitur hæc scientia media libertatis, quam gratia movet & juvat, integritati: hanc autem, licet ageretur à gratiâ, nihilominus illæsam esse antiqui propugnarunt; nec tamen de scientiâ mediâ reor cogitasse. Neque apparet quomodò creatura in hâc, aut in illâ hypothesi constituta, hoc vel illud præstitura cognosceretur à Deo, quasi auxilio Dei, aut concursu destituta aliquid boni ex seipsâ producere posset, statimque necessaria videretur alia scientia, per quam etiam Deo fieret compertum, quid auxilii illi creaturæ, hâc aut illâ in occasione præbere vellet.

3. Cur sine necessitate multiplicarentur in Deo scientiæ? cum enim ex omnium consensu Dei scientia in se una sit & simplex, imò & essentia ipsa Dei, sanè qualiscumque scientiæ Dei divisio ex nostro concipiendi modo est repetenda: hinc si scientiæ divinæ objectum omne absque illius scientiæ mediæ intermedio cognoscamus, nihil causæ erit, cui illam adhibeamus. Quæ autem conditionata futura pro scientiæ mediæ objectis constituuntur, ad scientiam simplicis intelligentiæ, aut visionis reduci facilè possunt: nam vel illa futura reverâ sunt, vel non futura, sed possibilia tantùm: si primum, erunt objecta scientiæ visionis: secùs, simplicis intelligentiæ.

4. Si quæstionem hanc perpendamus, occurrit animo in hac scientiâ quid Deo indignum maximè videlicet intrinseca conceptuum & terminorum multitudo, compositio, connexio, & illatio consequentis ex antecedente; nisi enim illa Deo insint intrinsecè, aderunt tantùm exteriùs, quod non diffitemur; nec enim magis perfectioni divinæ officeret scientia conditionata extrinsecè, quàm quòd Deus discursus nostros habeat manifestos; nihil enim in Deo denotat imperfectum ejusmodi cognitio, sed tantùm in hominibus: negari autem non potest, quin conditionatæ cognitionis veritas in solâ cognitione consequentis ab antecedente consistat; quod proindè in Deo imperfectionem summam diceret.

Adde nullum esse decretum conditionatum, quod non in eo, cui inest imbecillitatem, aut imprudentiam videatur arguere: nam, vel in conditionatè volentis potestate sita est conditio, sub quâ res dicitur futura; vel non est sita: si prius; ergò non sapientis est velle sub conditione, quæ simpliciter velle potest, & efficere: si posterius; ergò ex eâ parte non erit omnipotens: sicque hujuscemodi decretum conditionatum, semper inefficax, & inutile erit: positis enim quamplurimis hujuscemodi decretis conditionatis, nihil unquam præstabitur, nisi decretum quoddam absolutum accesserit.

5. Si mentis nostræ lumini obsequamur, non esse admittendam ejus-

modi ſcientiam exiſtimabimus. Deus enim ante liberum ſuæ voluntatis actum, quid à creaturâ in hoc aut in illo ſtatu, aut in hoc aut in illo rerum ordine ſit agendum quomodo noſſet? nihil enim agens creatum poteſt, niſi præceſſerit Dei voluntas, quæ hoc aut illud auxilium eſſe concedendum decernat. Si ſtatuerit Deus rem contingentem eſſe futuram, aut illam in ſeipſo cognoſcet, & ideò per ſcientiam viſionis; aut ſi non in ſe cognoſcet, ſanè in causâ contingenti; de hac proindè nonniſi conjecturalem habebit cognitionem; alia enim non datur effectûs contingentis cognitio, cum in contingenti causâ cognoſcitur. Non poteſt autem in Deo talis cognitio admitti; dubia enim eſſet, & falſum ei ſubeſſe poſſet.

6. Quæ conditionata futura dicuntur, futura reverâ non ſunt, ſed poſſibilia; cum eorum conditio nunquam ſit ponenda. S. Auguſt. lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 12. & 13. ea vocat futura non futura. Item lib. 26. cont. Fauſtum cap. 4. definit non futurum fuiſſe, quod Deus non fecit; ſed futurum erat, quod fecit. Prætereà quod futurum eſt, præſentis, aut præteriti cujuſdam reſpectu dicitur futurum; nullius autem præſentis, aut præteriti reſpectu futura dici poſſunt futura conditionata: igitur non potius dicenda ſunt futura, quàm præterita, aut præſentia. Deindè ſi ponatur quædam ſucceſſio, & quidam ordo in actibus divinis noſtrâ intelligendi ratione conceptus æternitatis deſtruitur; cum æternitas omnem penitùs ſucceſſionem excludat. Cum ergò nihil ſit futurum Dei reſpectu, & ex creatis rebus ejus ſcientia non pendeat; cum omnia unico conceptu complectatur; cum etiam inter futurum, & non futurum non detur medium; ſicut nec inter hominem, & non hominem; cumque demùm in Deo nihil ſit prius, aut poſterius; ſed omnia ſint æterna: hanc ob cauſam ſcientia media prior dici non poſſet ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiâ viſionis: non enim cenſeri poteſt prior prioritate temporis, aut ſucceſſionis: quæ enim ſunt in Deo, æterna ſunt, & quid unum: neque etiam prioritate naturæ, aut cauſalitatis ſe tenente, vel ex parte Dei, cum nihil ſit in Deo cauſatum, aut ab alio pendens; vel ex parte objecti, cum objectum conditionatum non ſit cauſa abſoluti.

Ult. Futura conditionata in decreto conditionato cognoſci non poſſunt; quia inutile eſt tale decretum, nempè de objecto, & conditione nunquam ponendâ. Imò poſito hujuſcemodi decreto, v. c. de reducendis ad meliorem frugem aliquibus hominibus, ſi hæc, vel illa præſtent, non poſſet Deus à peccatis ad juſtitiam hujuſmodi peccatores revocare; nam nonniſi abſolutæ voluntatis decreto talis converſio fieri poſſet: at tale decretum nunquam eſſet futurum: decretum enim prius nunquam eſt mutandum; cum voluntas Dei mutationi obnoxia non ſit. Deindè tale decretum conditionatum prius eſſet; vel poſterius decreto abſoluto, & efficaci; vel concomitans: non poteſt eſſe prius, ſeu duratione, quia utrumque æternum eſt; ſeu cauſalitate, quia hujuſmodi conditionatum non eſt cauſa decreti abſoluti, ſive poſitivi, ſive negativi; non eſt etiam conditionatum abſoluto poſterius eaſdem ob rationes; cum unum decretum

alterius

alterius respectu rationem futuri habere non possit; nec ratio futuri in Deo locum habeat.

Non possum quin hîc inseram quod observat S. Aug. lib. 12. de Civ. cap. 17. ubi quosdam confutans Philosophos, qui infinitorum cognitionem Deo negabant, ita loquitur: *Hîc enim maximè isti errant...... quòd mentem divinam omninò immutabilem, cujuslibet infinitatis capacem, & innumera omnia sine cogitationis alternatione numerantem, de suâ humanâ, mutabili, angustâque, metiuntur; & fit illis quod ait Apostolus; comparantes enim semetipsos sibimetipsis, non intelligunt: nam quia illis quidquid novi faciendum venit in mentem, novo consilio faciunt; mutabiles quippe mentes gerunt; profectò non Deum, quem cogitare non possunt, sed semetipsos pro illo cogitantes, non illum, sed seipsos; nec illi, sed sibi comparant.* Ex aliis enim principiis non videtur esse repetendum, quod de illius scientiæ ratione proferunt authores, licet singularis eruditionis viri.

Opp. 1. Quæ allata sunt superiori conclus. ut probaretur conditionatorum futurorum, quæ nunquam erunt, cognitionem Deo competere, ostendunt dari scientiam mediam; qualia sunt, quæ Matth. 11. ℣. 21. Christus de Tyriorum, & Sidoniorum conversione protulit; quæ 1. Reg. 23. ℣. 11. Davidi de Saüle, & Ceïlanis Deus respondit; quæ 4. Reg. c. 13. ℣. 19. Eliseus Joam Regem affatus est. *Si percussisses quinquies*, inquit, *aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem: nunc autem tribus vicibus percuties eam*; quæ tandem Sap. 4. ℣. 11. de salvandi morte præmaturâ dicuntur: hæc, inquam, omnia dari scientiam mediam evincunt; nec enim Deus ista novit alterius scientiæ beneficio.

R. 1. hæc in simplicis intelligentiæ scientiâ à Deo cognosci absolutè, seu absque ullâ hypothesi, licet hypotheticè in Scripturis enuntientur. Neque enim Deus discurrit, aut quandòque hæret dubius; licet discursus Dei plurimos Scriptura referat. Ejusmodi alia multa dubitantis animi signa, quale est istud Gen. 4. ℣. 9. *Ubi est Abel frater tuus?* in Scripturis occurrunt; licet omnia certissimè Deus cognoscat. Quippè, ut aliàs fuit observatum, loquendi rationem infirmitati nostræ, aut modo concipiendi Deus attemperat. Nec potest aliter intelligi enuntiatio hypothetica, quæ propriè tantùm illatio est. Undè si connexio sit necessaria inter antecedens, & consequens, qualis est ista, si Sol lucet, dies est; illatio manifesta fit vera: si verò non hujusmodi sit connexio, ut, si Christianus es, dilige Deum; in dubio est animus: hinc cum in Deo nulla sit compositio, nec ulla proindè illatio est, nec scientia hypothetica. Quod ergò sub conditione futurum in Scripturis proponitur, licet reverâ futurum non sit, futurum tamen dicitur; quòd causæ quædam naturales, sive morales ad illum effectum ponendum magis propendeant. Et verò sæpè sæpiùs, cum Deus aliquid hypotheticè futurum proponit, si malum illud sit, comminatio quædam est, quâ ad pœnitentiam nos excitet, ut quæ habentur Joan. 5. vel periculi admonitio est, aut objur-

gatio; vel aliquid aliud intendit Deus, quàm rem futuram designare; quo fit ut ab ullâ mendacii suspicione alienum sit Dei Verbum, cum aliquid futurum dicit, quod non evenit.

R. ergò ad Matth. 11. nihil aliud Christum sibi proponere, quàm incolarum Corosaïm, & Bethsaïdæ pertinaciam perstringendam, eamque longè majorem, quàm quæ fuit Tyriorum, & Sydoniorum, licet Ethnicorum. *Tunc cœpit exprobrare civitatibus, in quibus facta sunt plurima virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam.* Gravis hæc est increpatio, quâ indicatur, si miracula Corozaïm, & Bethsaïdæ edita Tyriis, & Sydoniis fuissent concessa, simulque gratiæ Corozaïm, & Bethsaïdæ incolis datæ, Tyriis & Sydoniis indultæ fuissent, Tyrios & Sydonios pœnitentiam fuisse amplexuros. Undè S. Aug. lib. de Dono persever. c. 14. ait: *Non erant ergò sic excæcati oculi, nec sic induratum cor Tyriorum, & Sydoniorum: quoniam credidissent, si, qualia viderunt isti signa, vidissent.* Quòd nempè flectendæ cordis duritiei Tyriorum, & Sydoniorum par fuisset gratia, quæ Bethsaïdæ, & Corozaïm incolis fuerat concessa.

Ad locum 1. Reg. 23. Respondeo nihil aliud ibi indicare Deum, quam quinam essent affectus, & consilia Saülis, & Celeïtarum: quidquid enim futurum erat, jam decreverat Deus: nec tamen indè sequitur idem præstare potuisse dæmonem, aut virum prudentem; solus enim Deus cordium scrutator est, solusque infallibiliter respondere potest, quænam certò decernerent homines, si in hoc, vel illo statu constituerentur.

Ad locum ex 4. Regum 13. depromptum Resp. conditionalem quidem in Eliseo fuisse scientiam, quòd Deus Eliseo revelasset toties Joam Syriam esse vastaturum, quoties terram jaculo percussisset: sed non indè sequitur conditionatam fuisse in Deo omnium cognitionem, licet conditionatam Eliseo concesserit; quidquid enim futurum erat, in visionis scientiâ perspectum habebat Deus.

Ad locum tandem ex Sap. 4. desumptum, Resp. nihil aliud per ipsum indicari, quàm quòd in periculo versentur justi, & sæpiùs præmaturam mortem divinæ gratiæ beneficium esse singulare, ut exponit S. Aug. loco mox laudato ex Lib. de Prædest. Sanct. c. 14.

Nec hujuscemodi Scripturarum expositiones de earum veritate quicquam detrahunt; cum in eas antiqui omnes consenserint, nondum excogitatâ scientiâ mediâ.

INST. 1. Hæc, & similia nec ad scientiam simplicis intelligentiæ, nec ad scientiam visionis possunt ullatenùs referri. Quod enim v. c. Deus 1. Reg. c. 23. respondet Davidi, ipsum scilicet à Ceilanis traditum iri, & Saülem descensurum, nequit ad scientiam visionis revocari; quia non fuit traditus David à Ceïlanis, nec Saül accessit: neque etiam ad scientiam simplicis intelligentiæ; illud enim non est ex merè possibilibus; de possibilibus enim non inquirebat David: & aliundè hæc propositio, Si David maneat Ceilæ, tradetur, &c. esset in materiâ necessariâ; quod non est ità, cum pendeat à conditione contingenti. Præterea illud etiam non

est merè possibile, quod est contingens, & pendet à decreto divino, quod est totius contingentiæ radix.

R. ut superiùs, traditionem scilicet illam fuisse merè possibilem; nam futura non erat: quod enim futurum est, respectu præsentis, aut præteriti futurum est; & inter futurum, & non futurum non datur medium. Hinc illa traditio, sicut & cætera conditionata non futura, nonnisi ad possibilia reduci possunt. Nec ideò in materiâ necessariâ sunt collocanda: duplicis enim generis possibilia sunt: alia in materiâ necessariâ: alia in materiâ contingenti, qualis fuit conversio Judæ; alioquin hæc non fuisset possibilis, &c. quod est contra fidem. Porrò autem conditionata non desinunt esse possibilia, licet à conditione contingenti pendeant; quia conditio illa quoque merè possibilis est. Cæterùm possibile ideò necessarium dicitur, quia necessariò est possibile; non verò, quòd in se necessarium sit: possibile enim duplex est, necessarium scilicet, & liberum; sicut & entia quorum alia possibilia sunt, alia libera.

INST. 2. Magis erat futurus descensus Saülis in urbem Ceïlam, quàm alter mundus possibilis. Ergò sicut ex ratione discriminis, quod intercedit inter objectum futurum, & possibile, scientia duplex admittitur, nempè visionis, & intelligentiæ; ita alia scientia est, quâ Deus possibibilem mundum spectat, alia quâ descensum Saülis. Nisi enim magis futurus fuisset descensus ille, quàm alter mundus, frustrà Davidem timor incessisset. Pariter si conversio v. c. Tyriorum non magis futura fuisset, quàm alter mundus possibilis; non esset cur in judicio universali graviùs essent puniendi Corozaïtæ & Bethsaïtidæ.

R. Non magis futurum fuisse descensum Saülis Ceïlam, quàm alterum mundum possibilem, si descensus ille in seipso spectetur. Ideò autem timore justo correptus fuit David, quòd Deus descensum illum, ut erat in se, non revelaverit; sed Davidem monuerit tantùm de pravo Celeïtarum, & Saülis affectu. Verum est etiam mitiorem meritò futuram esse Tyriorum damnationem, quàm Corozaïtarum, & Bethsaïtidarum; non quòd magis futura fuerit illa conversio, quàm alter mundus possibilis; sed quòd illorum animi non ita in peccatis obdurati fuerint, ac Bethsaïtidarum, & Corozaïtatum, qui Deo monenti, & adjuvanti restiterunt, quemadmodum docet S. August. lib. de Dono persever. cap. 14. suprà laudato. Et proindè magis hâc ratione possibilis fuit conversio Tyriorum, & Sydoniorum, quàm Corozaïtarum, & Bethsaïtidarum, quòd nimirum gratiæ Dei, & ejus miraculis non ita obstituri fuissent; cum non tam indurato, & obcæcato essent corde; & ideò non est par conditio; sicque justa est objurgatio.

INST. 3. Conversio Tyriorum v. c. haberi non potest merè possibilis; non enim tantùm dicuntur posse converti; sed convertendi, si facta fuissent miracula: hæc autem admodùm sunt diversa.

R. non differre ista in genere possibilium: & sicut per eamdem scientiam visionis, & quæ libera sunt, & quæ necessaria conspiciuntur; quia quidquid creatum existit, scientiæ visionis est objectum; ità per

de eâ cognitione, cui conjuncta sit voluntas dandi auxilia, ut effectus quem Deus prævidet sequatur. Sic enim omnia Deus attemperat, ut nihil sit quod non ad finem conducat: simul etiam adjungit donis externis beneficia interna, quibus in bonum animus inclinatur; sicque præscit Deus quid in illis, & cum illis sit præstiturus. Lib. quippè de Prædest. Sanctor. c. 9. hæc habet: *Quid enim est verius, quàm præscisse Christum, qui, & quandò, & quibus locis in eum fuerant credituri? sed utrùm prædicato sibi Christo à seipsis habituri essent fidem; an Deo donante sumpturi; idest, utrùm tantummodò eos præsciverit, an etiam prædestinaverit Deus? quærere, ac disserere tunc necessarium non putavi. Proindè quòd dixi tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quandò sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri: potest etiam sic dici, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quandò sciebat, & ubi sciebat esse, qui electi fuerant ante mundi constitutionem.* Item lib. de Corrept. & Grat. cap. 12. *Tantùm quippè Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, ut ideò possint, quia sic volunt; ideò sic velint, quia Deus operatur ut velint.* Et lib. etiam de Grat. & Lib. arbitr. c. 16. *Certum est nos facere*, bona, *cum facimus; sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit, faciam ut in justificationibus meis ambuletis, &c.* Et cap. adhuc 21. *Quid mirum est, si per Spiritum Sanctum operatur in cordibus electorum suorum bona, qui operatus est, ut ipsa corda essent ex malis bona.*

ARTICULUS ULTIMUS.

Quotuplex scientia Dei? Quis in illa ordo? Quid præstet? Quævè sit Præscientia?

MULTIPLEX dicitur scientia Dei, licet una sit; cum ejus essentiæ identificetur. Varias appellationes ipsa sortitur, quòd circa varia versari concipiatur.

1. Dividitur in scientiam visionis, & simplicis intelligentiæ; prior est, quâ Deus intuetur, quæ aliquandò in rerum naturâ existunt, sive præsentia, sive futura, sive præterita sint; posterior verò versatur circa merè possibilia, quæ nunquam futura sunt.

2. in necessariam & liberam; prior est de Deo, & creaturis merè possibilibus; posterior est de contingentibus, & actu futuris, quæ ex liberâ Dei voluntate pendent.

3. In practicam, seu approbationis; & speculativam, seu simplicis notitiæ, & improbationis: prior circa bona versatur; posterior circa mala. Quibus ita positis.

CONCLUSIO I. Scientia Dei est rerum causa, non quidem solitariè sumpta, sed prout adjunctam habet voluntatem; ita ut in divinorum

operum partem, & societatem venire dicantur, scientia, ut dirigens; voluntas, ut inclinans; potentia, ut exequens.

Prob. 1. ex Scripturis. Psal. 103. ℣. 24. *Omnia in sapientiâ fecisti.* Psalm. 135. ℣. 5. *Qui fecit cœlos in intellectu.* Et Sap. 7. ℣. 21. *Omnium enim artifex docuit me sapientia.*

Prob. 2. ex S. August. qui lib. 6. de Gen. ad Litt. c. 7. citato art. 3. Concl. 6. istius Quæst. docet res ideò esse futuras, quia à Deo præsciuntur. Idem lib. 15. de Trin. cap. 13. scribit res existere, quia cognitæ sunt à Deo; seu habere ab ejus cognitione, quòd existant. *Universas autem creaturas suas, & spiritales, & corporales, non quia sunt, ideò novit; sed ideò sunt, quia novit: non enim nescivit, quæ fuerat creaturus: quia ergò scivit, creavit; non quia creavit, scivit; nec aliter ea scivit creata, quàm creanda: non enim ejus sapientiæ aliquid accessit ex eis; sed illis existentibus, sicut oportebat, & quandò oportebat, illa mansit ut erat.* Quod iterùm repetit lib. 11. de Civit. Dei cap. 10. *Porrò si sciens fecit omnia, ea utique fecit, quæ noverat; ex quo occurrit animo quiddam mirum, sed tamen verum, quòd iste mundus nobis notus esse non posset, nisi esset: Deo autem nisi notus esset, esse non posset.*

Prob. 3. hâc ratione. In Deo est nobilissima operandi ratio: hæc autem in intellectu, & voluntate sita est; quia & dominium in operationes designat, simulque operantem sibi ipsi finem præfinire.

Cæterum simplicis intelligentiæ scientia non est rerum causa; quia tantùm est speculativa, & versatur circa ea, quæ nec sunt, nec fuerunt, nec futura sunt; nec prior est suo objecto. Restat ergò ut scientia visionis causa sit rerum, prout adjunctum sibi habet voluntatis actum.

Opp. 1. Visionis scientia res factas supponit, Gen. 1. ℣. 31. *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* Ergò scientia visionis non est causa rerum.

R. Visionis scientiam esse æternam, & suum in tempore objectum efficere; & proindè illud non supponere: nihil aliud autem Scripturæ indicant, quàm scire Dei, aut videre, idem esse ac facere: Deus enim operando scit, & sciendo operatur.

Inst. 1. Si Dei scientia esset rerum causa, esset tantùm causa dirigens, & ad præeligendum ex possibilibus unum præ altero Deum moveret: nihil autem in rebus possibilibus occurrit, quod non ex æquo omnibus conveniat, possibilitas scilicet: & proindè nihil voluntati divinæ objicit visionis scientia, quo voluntas Dei moveatur.

R. Licet possibilia ut sic, æquè sese menti offerant; ubi tamen Deus finem aliquem sibi proposuit, ex illis mediis alia præ aliis assumit magis idonea, seu quæ magis conferunt ad finem, quem sibi proposuit consequendum: hæc autem præmonstrat scientia dirigens, & voluntas Dei exequitur; & cum ex multis possibilibus Deus sibi unum sumit, itaut in eo nihil aliud sit præter possibilitatem, quam cum cæteris communem habet, libero suo arbitrio unum præ alio eligit.

Inst. 2. Visionis scientia decretum aliquod de re futurâ supponit;

& proindè non dirigit, nec est rerum causa, sed decretum.

R. scientiam visionis non supponere decretum: non enim Deus hæc, aut illa cœco more producit; & proindè quid, & quandò sit agendum, per scientiam visionis intelligit.

INST. 3. Si scientia hæc sit rerum causa, Deus est peccati author; quia illud per scientiam visionis cognoscit.

R. Deum non esse propterea peccati causam; quia non novit peccatum in recto, sed in obliquo; nec ut velit peccatum, hominis voluntatem dirigit.

CONCLUSIO II. Scientia Dei, aut præscientia non inducit necessitatem, nec officit libertati.

Conveniunt Philosophi libertatem perimi, cum vel naturalis, vel absoluta, vel antecedens occurrit necessitas; non verò si sit necessitas hypothetica, seu consequens, & modò hypothesis à libero arbitrio pendeat. Hoc posito,

Prob. Concl. 1. ex S. Aug. lib. 3. de lib. arb. c. 3. & 4. ubi his probat rationibus Dei præscientiam non officere libertati. 1. quia Deus ipse, quæ exequitur, prævidet; nec ideò sibi libertatem aufert. Etiam homo quid ipse sit acturus, præscit; nec ideò minus liberè statuto tempore illa præstat. Potest igitur Deus eâdem ratione se erga nos gerere. 2. qui homicidium à quodam homine perpetrandum præscit; non ideò homicidæ illi necessitatem imponit: ergò à pari &c. 3. hominem beatitudine donandum esse præcognoscit Deus; nec ideò tamen ille vel invitus beatitudinem assequitur. 4. quæ gerenda sunt à nobis, non solùm prævidet Deus, sed etiam actûs nostri rationem, seu liberum agendi modum, quo usuri sumus: & proindè non lædit, vel minuit libertatem divina præscientia; imò eam potius adstruit, cum Deus decipi non possit. 5. quemlibet actum eliciat voluntas, non potest quin liberè eliciat: ibi enim libertas, ubi est agendi, & non agendi potestas; cum nihil magis penes nos sit, quàm quod ex voluntate nostrâ proficiscitur. Hæc sunt ipsius verba ex cap. 4. deprompta. *Sicut enim tu memoriâ tuâ non cogis facta esse, quæ præterierunt; sic Deus præscientiâ suâ non cogit facienda quæ futura sunt.* Item lib. 5. de Civ. cap. 9. probat impios minùs esse fati defensores, quàm qui præscientiam negant: *Nam*, inquit, *& confiteri Deum esse, & negare præscium futurorum, apertissima insania est.* His argumentis confutat Ciceronis rationes, quibus ille libertatem præscientiâ destrui contendebat; *Atque ita*, inquit, *dum vult facere liberos, facit sacrilegos.* Idem S. August. cap. 10. ejusdem libri probat preces cum præscientiâ Dei benè convenire: *Et preces*, inquit, *valent ad ea impetranda, quæ se precantibus concessurum esse præscivit.* Addit ibidem necessitatem peccandi non indè nobis imponi, quòd nos peccaturos Deus prævideri: nam si nolumus, omninò non peccamus: *Sed si peccare*, inquit, *noluerimus, etiam hoc ille præscivit.* Lib. quoque de Prædest. & Grat. cap. 14. his, qui Pharaonem non potuisse mutari contendebant, quia Deus eum mutatum non iri præcognoverat, Dei

QUÆSTIO DUODECIMA.
De voluntate Dei.

ARTICULUS PRIMUS.
Utrùm ſit in Deo voluntas? quæ? & quotuplex?

CUM in Deo ſit intellectus, & ad naturæ intelligentis integritatem voluntas ſit neceſſaria, in eo certè eſt voluntas; cuilibet enim naturæ ineſt appetitus naturalis: ſi natura ſit ſenſitiva, appetitus illi ineſt ſenſitivus &c. Cum ergò Deus ſit ſummum intelligens, ſummum etiam eſt volens; non quod appetat ſibi congruentia quaſi ei deſint, ſeu quod in ea, quæ non obtinet, feratur; ſed quod ſemetipſum, ut ſummum bonum, infinito amore proſequatur, & de cæteris ſtatuat pro libito.

Voluntas in Deo non eſt facultas ejus naturæ adveniens, ſed ipſa Dei eſſentia, cui nihil poſſit accidere; cum Deus ab æterno ſit quidquid eſt.

Non ſolùm ipſa voluntas à Deo eſt indiſtincta, ſed etiam ipſe à nobis conceptus voluntatis actus, quo, verbi causâ, creaturas creandas decrevit, ipſaſque de facto è nihilo eduxit: ſi enim, ut modò notatum eſt, quid de novo voluntati accedere videretur, ſimplex eſſe deſineret.

Illa Dei voluntas eſt immutabilis Num. 23. ℣. 19. *Non eſt Deus, quaſi homo, ut mentiatur: nec, ut Filius hominis, ut mutetur: dixit ergò, & non faciet? locutus eſt, & non implebit?* 1. Reg. 15. ℣. 29. *Triumphator in Iſraël non parcet, & pœnitudine non flectetur.* Iſaiæ 46. ℣. 10. *Conſilium meum ſtabit.* Malach. 3. ℣. 6. *Ego enim Dominus, & non mutor.* Et certè ſi quædam mutatio in Dei voluntate contingere poſſet, vel ex recenter comparatâ intellectione duceretur, vel ex novo affectu, qui ex cujuſdam boni deſiderio oriretur; quæ omnia à Deo longè aliena ſunt. Nam, ut probat S. Aug. lib. 12. Confeſſ. c. 15. Mutabilis eſſe voluntas Dei non poteſt; quia quod æternum eſt, mutationi obnoxium non eſt; Dei autem voluntas, ut ipſe Deus, æterna eſt. Quæ q. 5. retulimus, huc congerenda eſſent, ſi ſuo loco non eſſent inſerta.

Sæpè ſæpiùs ſuæ voluntatis mutationem videtur polliceri Deus. Nam Jerem. 18. ℣. 7. *Loquar adversùm gentem*, inquit, *& adverſus regnum, ut eradicem, & deſtruam, & diſperdam illud; ſi pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum adverſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi ut facerem ei.* Ejuſmodi locutio, ut & aliæ plures, quæ in Scripturis occurrunt, ſunt metaphoricæ. Precum enim, & pœnitentiæ noſtræ efficaciam hîc Deus commendat, utpotè quarum merito, & incolumitatem, & ab imminentibus malis immunitatem penes nos ſit obtinere. Sic mutat Deus ſententiam, ſed

non voluntatis consilium, ut rectè observat Sanctus Gregorius libro 10. Moral. cap. 23.

Dei voluntas dividitur in beneplaciti, & signi voluntatem. Per priorem, quæ Deo interior est, Deus absolutè futura constituit. Signi voluntas est externum aliquod indicium, quo Deus se velle aliquid demonstrat. Undè voluntatis divinæ appellationem sortiuntur signa illa, quæ quinque numerari solent, præceptum, permissio, consilium, prohibitio, operatio Dei.

Iterùm dividitur Dei voluntas in antecedentem, & consequentem; seu in primam, & secundam. Ex re creatâ petitur hæc divisio, non ex Deo, in quo nihil prius, & posterius. Hanc duplicem voluntatem explicat S. Chrys. Hom. 1. in Epist. ad Ephes. in hunc locum: *Secundum propositum voluntatis suæ: hoc est, ut ita dicam, ejus desiderium. Ubique enim* Εὐδοκία, *hoc enim vocabulum hîc usurpat Paulus, est voluntas princeps, & quæ præcedit. Est enim alia voluntas, ut puta, voluntas prima est, ut non pereant qui peccarunt. Voluntas secunda est, ut qui facti sunt mali, pereant. Non enim eos castigat necessitas, sed voluntas. Id etiam videre licet in Paulo, ut quandò dicit, volo omnes homines esse sicut me ipsum. Volo rursùs juniores nubere, filios procreare.* Εὐδοκία *ergò, prima inquit, voluntas, vehemens voluntas, voluntas quæ est cum desiderio, quæ est in nobis.* Hanc in Deo voluntatem, cui Angeli, & homines obsistant, S. Aug. exponit in Enchirid. c. 100. ubi sic de Angelis loquitur: *Quantum ad ipsos attinet, quod Deus noluit, fecerunt.* Non tamen ideò læditur omnipotentia, quia de Angelis facta est Dei voluntas, quod qui non servant in bonis ordinem, ordinentur in malis, seu pœnis subjaceant. Idem cap. 103. vario sensu exponit hæc Apostoli verba, Vult omnes homines salvos fieri, aliis sensibus non exclusis; modò Dei omnipotentiæ officere non videantur. Lib. quoque 22. de Civit. cap. 2. eadem exponit verba de voluntate quam in justis operatur, qui omnium salutem exoptant. *Ut idipsum dicamus velle, qui ut velint isti, facit.*

Ex S. Damasc. lib. 2. Orthod. fidei cap. 29. Voluntas antecedens ex Deo manat, quâ vult omnibus salutem, & bonum: consequens verò ex nostro vitio; quæ duplex, una scilicet dispensatoria, & erudiendi vim habens; altera à desperatione proficiscens, seu ad extremam pœnam tendens; quia res creatæ spectari possunt absolutè, & in se, aut prout in his, aut illis adjunctis constituuntur. Ideò duplex illa voluntas statuitur: prior, quâ res in se, & absolutè considerantur; posterior verò, seu consequens, quâ res suis adjunctis circumvestitæ spectantur.

Distinguitur item voluntas in efficientem, & permissivam; quæ divisio ex terminis satis patet.

Opp. Vel illa voluntas antecedens est sincera, vel non: si primum; ergò suos sortitur effectus, & aliquid producit; si non sit sincera, Deum dedecere palàm est.

R. Voluntatem illam esse sinceram, ut S. Chrysost. exponit. Sicut enim sincera est voluntas judicis, qui neminem vellet suppliciis affice-

re: ita Deus non vult mortem peccatoris, sed magis ut vivat: vultque omnes homines salvos fieri. Hæc voluntas non est otiosa; ex eâ enim beneficia, quibus possibilia fiunt Dei mandata, seu auxilia sufficientia proficiscuntur: per aliam verò, seu consequentem, & cum homine operantem, gratiæ efficaces fiunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

Circa quæ versatur Dei voluntas? & an circa peccata, & mala pœnæ?

DEUS vult seipsum, & alia à se: cum enim Deus velit omne bonum, sitque ipse, & respectu sui, & respectu nostri summè bonus; hinc ejus essentia, & simul quæ nobis confert bona, sunt ejus voluntatis objectum.

CONCLUSIO I. Deus non vult per se mala pœnæ; sed tantùm per accidens.

Prob. 1. pars. Deus per se non vult, quod ratione sui non habet quo appetatur: at pœnæ mala sunt hujuscemodi: nam eo fine sunt, ut creaturis molestiam pariant.

Prob. 2. pars. Quod ad majus bonum conducere potest, & de facto conducit, suæ utilitatis causâ potest exoptari. Sed mala pœnæ plurimùm conferunt, tùm ad virtutem muniendam, tùm ad homines magis ac magis ad virtutem excitandos: nec enim potest Deus mala impunita pati, aut velle. Hâc ergò ratione divinæ voluntatis objectum esse possunt, & proindè ea Deus per accidens vult. Amos quippe 3. ℣. 6. *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit?* Isaiæ quoque 45. ℣. 7. *Ego Dominus faciens pacem, & creans malum.* Item Eccles. 11. ℣. 14. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt.*

CONCLUSIO II. Nec Deus vult mala culpæ, seu peccata per se, nec per accidens; licet ea quidem permittat.

Aliud censebant Simon Magus ex Commonit. Vincentii Lirin. cap. 34. Florinus ex Euseb. lib. 5. Hist. c. 20. Marcion, Manichæi, Priscillianistæ, Albigenses, & alii, quorum hæreses, ubi de peccatis, fusiùs referentur, & exponentur.

Prob. 1. Quia nullomodò vult Deus, quod nolle se, imò & odio prosequi per prophetas testatur. At Ps. 5. ℣. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Sap. 14. ℣. 9. *Odio sunt Deo impius, & impietas ejus.* Habac. 1. ℣. 13. *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum.* 2. cum Deus sit summè bonus, malum nunquam velle potest; cùmque malum nihil sit; & rectus ordo id exigat, ut Deus odio peccata prosequatur, odit illa. Denique cum rectæ rationi peccata semper repugnent, nec ex se ad majus bonum possint conferre; hinc nec ratione sui, nec ratione alterius, Deus ea velle potest.

Peccata permittit Deus; quia ex S. August. in Enchirid. cap. 11. *Usque adeò est omnipotens & bonus, ut de malo etiam benefaciat.* Item c. 27. *Melius judicavit de malis benefacere, quàm nulla mala esse permittere.* Et c. 96. *Nec dubitandum est Deum facere benè, etiam sinendo fieri quæcumque fiunt malè. Non enim hoc, nisi justo judicio sinit: & profectò bonum est, omne quod justum est...... Nam nisi esset hoc bonum, ut essent & mala; nullo modo esse sinerentur ab omnipotente bono: cui procul dubio, quàm facile est quod vult facere, tam facile est, quod non vult esse, non sinere.*

Opp. 1. Per accidens saltem Deus vult peccata: nam ex S. Aug. in Enchirid. cap. 11. conducunt maximè ad illustrandum virtutis meritum, imò & ad commendandas divinorum operum perfectiones; quod contraria contrariis opposita longè amplius illustrentur. Addit autem permisisse Deum Judæorum infidelitatem, simul & Deicidium, ut inde ad ardentioris amoris in Deum stimulos accenderentur: sæpiùsque docet, ut ibi, & lib. 1. de Civit. c. 28. gravissimo quodam lapsu quarumdam virginum superbiæ mederi. Adde peccatorum pœnas esse quandóque ipsa peccata: igitur eâ saltem ratione per accidens peccata vult Deus.

R. Quæ nullam iniquitatem involvunt, & cuidam bono prosunt, aut conducunt, voluntati divinæ placere quidem posse; sed non quæ sunt absolutè, & in se mala; quæque non possunt Dei vindictam declinare. Hæc enim est divinæ misericordiæ œconomia, ut quæ sibi vulnera justo Dei judicio viribus suis permissi homines inflixere, gravioribus vulneribus sanandis tanquam remedia adhibeat: quod misericordiæ divinæ infinitam virtutem, & omnipotentiam commendat; cum ex tam gravibus malis tanta eliciat bona: solus enim Deus omnipotens, & misericors id præstare potest.

Inst. 1. Ex se vult Deus gratiæ substractionem, & proindè peccat: nam qui ex se vult id ex quo aliud infallibiliter sequitur, censetur & illud velle quod sequitur: peccatum autem infallibiliter ex gratia negatâ sequitur; nonnisi enim gratiæ beneficio peccata declinantur.

R. Velle Deum gratiæ substractionem, ut peccatorum pœnam; non verò peccata, quæ ex gratiâ negatâ sequuntur: namque constat homines è gratiæ statu sponte suâ excidere, & sic solum hominem sui casûs esse authorem.

Inst. 2. Deus absolutè vult, quod præcipit; hujusmodi sunt ipsa scelera: nam lib. 2. Reg. c. 16. ✝. 10 ità David de Semei: *Dominus præcepit ei ut malediceret David: & quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit?* Act. 4. ✝. 27. Apostoli dicunt: *Convenerunt adversus sanctum Puerum tuum Jesum Herodes, & Pontius Pilatus cum Gentibus & populis Israël, facere quæ manus tua, & consilium tuum decreverunt fieri.* Igitur Dei decreto à Judæis, Herode, Pilato, cruci affixus fuit Christus. Et verò electum ideò fuisse Judam, qui proderet, scribit S. Aug. lib. de Corrept. & Grat. c. 7. his verbis: *Electi autem sunt ad regnandum cum Christo; non quomodò electus est Judas ad opus cui congruebat: ab*

illo quippè electus est, qui novit benè uti etiam malis, ut per ejus opus damnabile, illud propter quod ipse venerat, opus venerabile compleretur. Cum itaque audimus: nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus est: illos debemus intelligere electos per misericordiam, illum per judicium: illos ad obtinendum regnum suum, illum ad effundendum sanguinem suum. Igitur ad regnum fuerant undecim electi, & Judas ad Domini sui necem fuerat destinatus. Prætereà hominum quorumdam virtutibus, tanquam mediis ad finem, quem sibi proposuit obtinendum, Deus utitur; imò & aliorum vitiis; virtutibus scilicet, ad misericordiæ manifestationem; vitiis verò, ad justitiæ significationem. Porrò quia Deus hominum voluntates in bonum inclinat, ipse meritò dicitur author virtutum: sic eâdem ratione author est peccatorum. Undè S. Aug. lib. de Grat. & Lib. arb. c. 21. in illud 2. Paral. cap. 21. ℣. 16. *Et suscitavit Dominus super Joram Spiritum Philistiim, & Arabum, qui finitimi erant Æthyopibus, & ascenderunt in terram Juda, &c.* sic habet: *Hìc ostenditur Deum suscitare hostes iis terris vastandis, quas tali pœnâ judicat dignas.* Et post pauca. *Agit enim omnipotens in cordibus hominum, etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipse voluerit, qui omninò injustè aliquid velle non novit.* Et sub finem: *His,* inquit, *& talibus testimoniis manifestatur operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quòcumque voluerit; sive ad bona, pro sua misericordiâ; sive ad mala, pro meritis eorum: judicio utique suo aliquandò aperto, aliquandò occulto, semper tamen justo.*

R. non posse à Deo præcipi malum: nam ex S. Aug. lib. de Grat. & Lib. arb. cap. 20. *Si Semeï obtemperasset Deo, laudandus potiùs, quàm puniendus esset; sicut ex hoc peccato posteà novimus esse punitum.* Hæc tamen maledicta dici potuerunt à Deo præcepta, non prout erant peccata, sed prout pœnæ erant peccatis Davidis meritò inflictæ. Quare David ipse pœnitenti animo maledictum illud tolerandum esse censuit, ut iram Dei à se averteret; quod vel patet ex istis verbis in eodem capite lib. 2. Reg. contentis: *Et ait Rex: Quid mihi, & vobis est, filii Sarviæ? dimittite eum, ut maledicat; Dominus enim præcepit ei ut malediceret David: & quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit? Et ait Rex Abisaï, & universis servis suis: ecce filius meus, qui egressus est de utero meo, quærit animam meam: quantò magis nunc filius Gemini? dimittite eum, ut maledicat juxta præceptum Domini, si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodiernâ.* Peccare graviter Semeï Rex quidem noverat; novit postmodùm & ipse Semeï, qui c. 19. ℣. 16. redeunti Davidi post Absalonis cædem, cum viris mille ex Tribu Benjamin occurrit; & ℣. 18. veniam ab eo postulavit, se ad ejus pedes prostravit, & impunitatem ad tempus saltem obtinuit. Hunc, quo tempore regnum Israëliticum David reciperet, interimi noluit: nam ex lib. 3. Reg. c. 2. ℣. 8. se juramento obstrinxerat, se illum gladio non interfecturum, quia sibi in transitu Jordanis occurrerat: attamen filio suo Salomoni

præcipit ne innoxium illum patiatur, quòd sibi pessimè maledixisset: *Habes*, inquit, *apud te Semei, qui maledixit mihi maledictione pessimâ, quando ibam ad castra; sed quia descendit mihi in occursum, cum transirem Jordanem, & juravi ei per Dominum, dicens: non te interficiam gladio; tu noli pati eum esse innoxium.*

Nec etiam Deus præcepit proditionem Judæ, & alia scelera adversus Christum; sed illis criminibus, quæ perpetranda præviderat, usus est, ut de procurandâ hominum salute decreta implerentur, & in hoc elucescit omnipotentia, ut loquitur S. Aug. lib. de Corrept & Grat. cap. 9. Igitur Deus peccata futura non decernit, quasi ea velit; sed pro infinitâ suâ bonitate, ac sapientiâ utilitatem ex illis peccatis vult decerpi: quare ipse S. Aug. lib de Lib. arb. cap. 1. & alibi, sæpiùs probat contra Manichæos Deo non esse tribuenda peccata; tùm quia Deus est suprema bonitas; tùm etiam quia, ut habet cap. 10. ejusdem lib. non esset justus Deus, qui homines in peccatum impelleret. Lib. quoque 1. de ordine c. 1. ait majoris esse impietatis asserere Deum peccatorum esse authorem, quàm inferiorum curam ipsi negare. Nihil igitur aliud vult c. illo 7. lib. de Corrept. & Grat. nisi Deum Judæ peccato ad implendam hominum reparationem fuisse usum. Peccata quoque permittit Deus, & pravis hominum voluntatibus utitur ad hoc potiùs malum perpetrandum, quàm illud; non quidem positivè impertiendo malitiam, sed denegando gratiam. Idem in Enchir. cap. 95. & alibi contra Pelag. docet peccata fieri ex Dei voluntate: *Non ergò*, inquit, *fit aliquid, nisi Omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo*; quia nihil omninò fieri potest, nisi quod Deus fieri aut velit, aut permittat: velle autem fieri mala est pravæ voluntatis, quæ illis delectatur; quod alienum est prorsùs à Deo: mala verò permittit, ac patitur, utpotè summus rerum provisor, cujus est rerum naturalium integritati consulere, libertati non officere. Oeconomia illa ostenditur ex S. August. lib. de corrept. & grat. cap. 13. ut intelligatur quid per se possit liberum arbitrium; quæ sit gratiæ beneficii necessitas, vindicisque justitiæ utilitas. Igitur ex S. August. Deus mala permittit, non invitus; illisque pro suâ summâ potestate, atque providentiâ utiliter admodùm utitur.

CONCLUSIO III. Voluntas Dei est causa rerum.

Prob. ex iis quæ suprà laudavimus, ubi de Dei scientiâ agentes diximus creaturas ex scientiâ, ex voluntate, & ex omnipotentiâ Dei originem suam ducere; ex scientiâ, ut dirigente; ex voluntate, ut imperante; & ex omnipotentiâ, ut perficiente.

Voluntatem Dei liberis hominum voluntatibus necessitatem non imponere jam fuit probatum: siquidem causas liberas liberè agere voluit. Undè cum non modò fiant, quæ statuit, sed etiam eâ ratione quâ statuit; necessarium est, ut causæ liberæ operationes suas eliciant liberè; sicut necessariò agunt necessariæ. Nec S. August. docet aliud Enchir. c. 103. ubi nullum fieri salvum scribit, nisi quem Deus voluerit; & ideò rogandum esse ut velit; quia necesse est fieri, si vo-

luerit. Non enim de necessitate antecedente, & absolutâ, sed de conditionali, & hypotheticâ loquitur.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrùm Deus sit liber? & quomodò?

CONCLUSIO. Non est liber Deus quoad actus, qui ad ejus essentiam pertinent; in cæteris verò est liberrimus

Prima pars est in aperto; non enim Deus potest non se amare; non potest Pater Filium non generare &c.

Est etiam evidens pars altera; Deus enim rebus creatis bona largitur, & aufert, prout vult. Ecclef. 39. ℣. 8. *Si Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum.* Ephes. 1. ℣. 11. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* 1. Cor. 12. ℣. 11. *Hæc omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult.* Igitur quidquid extra se operatur Deus; pro liberæ voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio illud operatur.

Confirmatur, quia ex S. August. lib. de Fide contra Manichæos c. 28. nullam necessitatem patitur Deus; neque necessitate facit, quæ facit: sed summâ, & ineffabili voluntate, ac potestate: *Decet enim*, inquit cap. 49. ejusdem libri, *Omnipotentem facere quæ voluerit.*

Prætereà si Deus fatali quâdam necessitate adstrictus mala immitteret, aut bona conferret; supervacaneæ forent nostræ ad Deum preces, ejus ad nos hortationes &c. quod quidem impium prorsùs est excogitare.

Deniquè necessitas quâ ad unum determinaretur Dei voluntas, vel esset naturalis, vel externa. Non primum; quod enim necessitate agitur naturali, non diversâ; sed semper eâdem agit ratione; Dei autem operatio hujuscemodi non est: & si tali afficeretur necessitate, ad sui similis productionem impelleretur, potius quàm ad aliquid aliud; & proindè exurgeret infinita Deorum multitudo. Nec etiam secundum, seu non potest necessitate impelli externâ; quid enim Deo est superius, & in eum obtinet potestatem?

Opp. Velle Dei est esse Dei: ergò cum esse Dei sit necessarium; ejusdem naturæ est illius velle.

R. Dei velle secundum substantiam spectatum, esse necessarium, non verò prout ad objecta externa dicit ordinem; tunc enim maximè liberum est. Quam doctrinam sæpiùs exposuimus.

Inst. Nec est in Deo indifferentia; nec Deus ex indeterminato determinatus evadit, nec discurrit, nec deliberat, nec etiam eligit.

R. indifferentiam esse duplicem, negativam unam, privativam alteram: prior est, quâ quis nec ex se, nec ex naturâ suâ est determinatus; privativa verò, quâ quis ita est indifferens, ut nondum determinatus possit determinari. Indifferentiæ prioris argumenta sunt effectus, qui necessarium ad causam suam non habent ordinem: oritur posterior ex

vincitur Deus, qui justè justos ordinare novit, rectè ordinans in pœnis, qui perversè se ordinaverint in peccatis. Lib. de agone Christiano cap. 7. *Boni sunt, qui totâ voluntate Deo serviunt; mali autem necessitate serviunt: nemo enim Omnipotentis leges evadit. Sed aliud est facere quod lex jubet, aliud pati quod lex jubet. Quapropter boni secundum leges faciunt, mali secundum leges patiuntur.*

Prob. secunda pars, quòd nempè voluntas antecedens, & signi non semper impleatur; id enim patet ex Scripturæ locis, in quibus Deus voluisse se multa testatur, quibus obstiterunt homines, ut Ezech. 24. v. 13. Voluit mundare Jerusalem, & non est mundata: vult omnes homines salvos fieri; salutem tamen non consequuntur omnes: vocat omnes; Deo vocanti, & præcipienti non omnes volunt obsequi; ejus beneficiis multi reluctantur, maluntque affectibus suis servire, quàm interiùs, & exteriùs monenti, & adjuvanti Deo morem gerere; undè ex ipsis perditio est, non ex Deo, Oseæ 13. v. 9.

Nec semper impletur voluntas signi; cum & Dei præcepta infringant homines, consilia negligant, prohibitiones parvi faciant. Aliam etiam Dei voluntatem non impleri docet S. Aug. l. 22. de Civit. c 1. & 2. his verbis: *Sicut orant*, Sancti, *pro quibusdam piè sanctèque, & quod orant non facit, cum ipse in eis hanc orandi voluntatem Sancto Spiritu suo fecerit.* Undè multa in votis habent Sancti, quæ non fiunt: in gratiam enim peccatorum multa precantur, quæ non consequuntur, licet Deus hanc ipsis precandi voluntatem infuderit. Undè voluntas Dei dicitur esse in Sanctis, quia divinæ gratiæ opus est.

ARTICULUS ULTIMUS.

Utrùm inter Dei decreta instituendus sit ordo?

QUÆSTIO non est, num reverâ inter Dei actus internos quidam prioritatis, aut posterioritatis ordo intercedat; cùm quæ in Deo sunt realiter, unica res sint, essentia nempè Dei: occurrit quidem inter divinas Personas originis ordo, quo una persona est ex alterâ; sed non is, quo una sit prior alterâ. Nec etiam fit quæstio, num ex objectis, quæ nostro respectu priora, & posteriora sunt, possint denominari priora, & posteriora Dei decreta: hæc enim denominatio extrinseca ex solâ intellectûs hominum infirmitate repetitur, qui hunc ordinem in Dei actibus statuit, quem in suis operationibus deprehendit, & qui v. c. nihil eligit, nisi quod diligit, nihil etiam diligit, nisi quod bonum judicavit.

Alium quidem inter decreta Dei antiquis incognitum constituunt ordinem ex recentioribus quidam Theologi, quem ad abstrusissimas Theologiæ quæstiones, de gratiâ, de prædestinatione, & de concordia libertatis cum præscientiâ illustrandas aptissimum esse prædicant. Plurima nempè instantia supponunt; & in primo, hoc, vel illud decrevisse Deum; in secundo, novum aliquid, & sic de cæteris, constituunt.

CONCLUSIO. Videtur nobis inutilis, nec decere divinam majestatem, hic divinorum decretorum ordo.

1. Inutilis videtur, quòd absque tali ordine difficultates omnes solverint Patres antiqui; etsi quid eorum intelligentiæ viribus impervium esset, illud ut mysterium adoraverint; nec sibi fas esse, aut tutum existimarint ulteriùs hæc mysteria perscrutari.

2. Deum non decere videtur ille ordo: nam si in decretis ideò admittendus est quidam ordo, quòd nos hunc, vel illum ordinem in nostris deprehendamus consiliis: ergò Deus à pari discurret, in deliberationem multa vocabit, ut, quæ ad finem comparandum conducant, comperire possit; & proindè plurimorum inscius erit dicendus. Nos quidem mentis imbecillitate cogimur in multos partiri conceptus, quæ præ multitudine uno actu complecti non possumus; non ea autem est intelligendi ratio in Deo.

3. Quod sit quidam ordo naturæ, & causalitatis inter causam, & effectum; gloriam, & merita; non idcircò infertur duplicem esse in Deo voluntatem; alteram priorem, nempè causam; posteriorem alteram, nempè effectum. Vult enim quidem Deus causam priorem esse suo effectu; sed non ideò priùs vult causam, quàm effectum: uno enim & eodem actu utrumque vult: sic qui uno intuitu scalam intuetur, unum quidem gradum videt primum, alterum secundum; non tamen primo unum, deindè alterum aspicit; sed simul gradus omnes intuetur. Sic licet dicatur Christus prædestinatorum primus, non sequitur in Deo prius quoddam esse decretum de Christi prædestinatione; sed tantùm prædestinationem Christi externam, æternæ hominum cæterorum prædestinationis causam esse finalem, & exemplarem.

4. Non solùm istum ordinem arguit ejus adinventionis novitas, & inutilitas; sed & sententiarum de illo varietas: aliter enim sentit Scotus, aliter Suarez, aliter Vasquez, aliter Delugo, aliter Hurtadus, aliter Salazar, aliter alii. Vel hoc solo argumento satis apertum fit, recens inventa esse talia decreta.

Si quis igitur ordo inter Dei operationes esset instituendus, nullus foret intrinsecùs, sed tantùm extrinsecùs. Parcent Theologi opinionum illarum authores, si timeam mihi, cum Patres Sanctos non sequor, videaturque gravissimum imminere periculum, ne, cum Deus aliquid priùs, aliquid posteà velle dicitur, præbeatur occasio existimandi prius, & posterius aliquid esse reale in Deo distinctum. In Codicibus sacris aliud nihil deprehenditur, quàm, ubi Deus aliquid ante sæcula statuisse dicitur, significari Deum ab æterno hoc, vel illud decrevisse. Aliundè qui hunc decretorum constituunt ordinem, in Deo nihil esse successivum fatentur, sed omnia quid unum esse, & indistinctum. Nec quomodo hic decretorum ordo intellectum nostrum juvet, video. Addimus quod cum in Deo nullum sit decretum conditionale, nec etiam scientia media. Hinc illius inter decreta ordinis fundamenta penitùs corruunt. Successio autem illa, & ordo repugnaret æternitati; quia hæc quidem variis tem-

poribus extra Deum respondet; non verò variis instantibus, quæ in Deo sint.

Opp. Qui ordinatè aliquid vult, vult priùs finem, deindè media, & proindè media viciniora. 2. remotiora: Deus autem ordinatè omnia vult. Rom. 13.

R. velle quidem Deum existere in rebus ordinem rerum, ut media finem præcedant; sed uno & eodem actu. Ex imbecillitate autem nostrâ fit, ut priùs unum, quàm aliud velimus.

QUÆSTIO DECIMA-TERTIA. De omnipotentiâ Dei.

ARTICULUS.

An Deus sit omnipotens? & in quibus sita sit omnipotentia?

De Dei omnipotentiâ dubitarunt Judæi, de quibus Ps. 77. v. 19. dicitur: *Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?* Negavit Rabsaces 4. Reg. cap. 18. v. 35. Et cap. 19. v. 10. imparem dixit Judæorum Deum, qui Sennacheribi manibus Judæos, & Ezechiam eripere posset.

De omnipotentiâ quoque malè sensisse videntur Petrus Abailardus, & Joannes Vviclephus, sicuti post nonnullos tradit Alphonsus Castrensis lib. 7. adversus hæreses; dixerunt enim potentiam Dei, & actualem creationem ejusdem esse mensuræ; adeò ut non valeat Deus plures res creare, quàm creavit; nec aliter res facere, quàm fecit.

Conclusio I. Deus est omnipotens.

Prob. 1. Res in aperto est, Gen. 18. v. 14. *Numquid Deo est quidquam difficile?* Num. 11. v. 23. *Numquid manus Domini invalida?* Jobi 42. v. 2. *Scio quia omnia potes.* Jerem. 32. 17. *Non erit tibi difficile omne verbum.* Math. 19. 26. *Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Sic etiam Marci 10. v. 27. & Luc. 18. v. 27.

2. Antiquorum authoritates adducere superfluum esset; hæc enim veritas ità comperta est, ut scribat antiquus doctor: *Non dico, da mihi Christianum, da mihi Judæum; sed da mihi paganum, Idolorum cultorem, Dæmonum servum, qui non dicat Deum esse omnipotentem: negare Christum potest; negare omnipotentem Deum non potest.*

3. Nulla Deo neganda est perfectio summa, cujusmodi est omnipotentia.

4. Si non esset Deus omnipotens, Deus non esset; intelligeret quod

non posset; & sic majus esset Dei intelligere, quàm posse; & posse Dei, non esset esse Dei; aut ſeipso Deus major, aut minor foret: quæ omnia implicant. Ità autem omnipotens est, ut ne verbum quidem in ejus decretis mutare possit homo, ut constat ex Num. cap. 22. v. 18. cap. 23. v. 8. 20. cap. 24. v. 13.

5. Quia Deus est omnipotens, defectibus nostris obnoxius non est, peccare non potest, nec mentiri: nam ex S. Aug. magna Dei est omnipotentia non posse mentiri; nec ideò minus potens est Deus, quia peccare non potest; cum omnipotens esse non possit, qui hoc potest. Item lib. de nat. & grat. cap. 49. & aliis in locis docet esse quamdam divinæ illius potentiæ excellentiam, & virtutis exuberantiam, quòd Deus à defectibus immunis, & alienus sit

CONCLUSIO II. Potest efficere Deus alia, eaque perfectiora, quàm quæ condidit.

Prob. 1. Potuit Deus, & potest omnes omninò homines gratiâ, & justitiâ donare. Potuit Sap 11. ℣. 18. Ægyptiis immittere ursorum multitudinem, leones audaces, vaporem igneum. Potuit è cœlis Angelorum multitudinem evocare. Math. cap. 26. v. 53. *An putas*, inquit Christus, *quia non possum rogare patrem, & exhibebit mihi modò plus quàm duodecim legiones Angelorum?*

2. Si Deus alia non posset efficere, eaque meliora iis quæ condidit, potentiæ non esset infinitæ; operibus enim creatis coërceretur ejus potentia, nec fines præscriptos valeret transilire; & sic Dei omnipotentia illius essentiæ non identificaretur: infinita enim esset essentia Dei, & finita esset ejus omnipotentia: quæ omnia implicant.

3. Ex hâc veritate supposuerunt, plurimaque collegerunt antiqui, ut Tertul. lib. contra Prax. cap. 10. Hinc infert S. Athanas. orat. 3. cont. Arianos, non statim advenisse Christum. S. Aug. in Enchir. c. 95. & lib. de nat. & grat. cap. 7. sic habet: *Quia Dominus Lazarum suscitavit, sine dubio potuit: quia verò Judam non suscitavit, numquid dicendum est, non potuit? Potuit ergò, sed noluit: nam si voluißet, eâdem etiam hoc potestate fecisset; quia & filius quos vult vivificat.* Et lib. de Spir. & Litt. conclusionem nostram probandam sibi sumit. Marcellinum scilicet moverat hæc S. Aug. propositio, posse hominem divinâ gratiâ adjutum ab omni peccato esse immunem; ex hominibus tamen nullum hanc gratiam, aut esse consecutum, aut esse consecuturum. Cap. autem 1. multa Deum posse probat quæ non contigerint, ut per foramen acûs camelum traducere; duodecim Angelorum legiones immittere; item & nova moliri posse tormenta, quibus peccatores torqueantur. Lib. quoque de agone Christ. cap. 11. ait aliâ ratione in orbem prodire potuisse Christum, quàm ex muliere, nempè non assumpto corpore; sed aut ex cœlesti, aut ex aliâ materiâ; alia ipsi præstò fuisse media, quibus nos à calamitatibus, & peccatis liberaret; potuisse quoque aliam nascendi, & moriendi rationem sibi eligere.

Et verò si Deus nihil, nisi quod est optimum, constitueret; nec

melius quid valeret producere, certè nihil nisi Angelos, & homines crearet; nec etiam quâ homines, & Angelos libertate instruxit, instruxisset, & in quodam impeccabilitatis statu collocasset.

Opp. 1. Abailardus lib. 3. Introductionis Theolog. c. 5. sic ratiocinatur: Nihil nisi bonum Deus facere potest, & rationi consentaneam habet actûs sui causam. Undè necessariò agit quæcumque agit; & proindè nec ab opere, nec ab operis ratione abstinere potest: alioquin impotentiæ esset incusandus, si, quod optimum judicavit, non efficeret; vel invidiæ esset insimulandus, si nollet. Quâ ratione S. August. nititur lib. 83. quæst. q. 63. ut Filii Divini cum Patre æqualitatem inferat.

2. Nulla ratio occurrit, ex Abailardo, quâ Deus dicatur aliquod consultò bonum prætermisisse: nam si quædam occurrat ratio, bonum illud omittere non debuit. Ex quibus concludit Deum solum illud bonum facere posse, quod fecit; quam opinionem fatetur, & à Sanctorum dictis, & à ratione aliquantulùm dissentire. In utramque partem quæstionem priùs moverat; sed demùm conclusit nihil posse Deum, nisi quod fecit.

R. 1. satis esse ab hâc sententiâ nos tùm invictarum suprà rationum pondere, tùm opinionis, ex ipso Abailardi consensu, novitate deterreri.

R. 2. Verum quidem est Deum non posse, quin à peccato abhorreat, licet penes ipsum sit, aut illud permittere, aut prohibere; cum Deus solus boni supremi rationem obtineat: alia verò inter utilia, & media bona sunt referenda; hinc ex illis quamplurimis illud, vel aliud pro libertate suâ, & voluntate seligit, ut hunc, vel illum ad gloriam illustrandam aptiorem ordinem in creaturis instituat: quis autem consiliarius ejus fuit, sicut habet Apost. ut audeat, vel à Deo institutum opus carpere, vel proferre, cur ità fecerit, vel non fecerit Deus?

Ad rationem ex S. Aug. petitam dico, creaturarum, & Filii æterni conditionem esse variam: Filius enim in omnibus Patri æqualis esse debet, ut qui sit ejusdem cum eo substantiæ. In Arianorum confutatione solvetur argumentum ab illis hæreticis de voluntariâ Filii Divini generatione. Satis sit hîc statuisse non idem judicium de rebus creatis, ac de Dei Filio esse ferendum: ejus quippè perfectionis non est creatura, cui nihil addi possit; nam creaturæ rationem deponeret. Quâ ratione Deus rei creatæ invidere dici posset, non capio? cum à se invicem infinito discrimine distinguantur, nihilque in creaturâ emineat, quod ab illo fonte supremo non fuerit derivatum.

Inst. 1. Optimi est semper optimum instituere; ac proindè Deus nihil nisi præstantissimum potest efficere; sicque nihil melius v. c. unione hypostaticâ, nihil præstantius beatâ Virgine.

R. 1. esse optimi optima efficere quoad modum; sed non quoad rem: cum autem Deus, ut observatum est, nihil non divinâ ratione operetur; hinc ejus opera omnia conficiuntur semper summâ sapientiâ, & potentiâ: non verò quod est præstantissimum ille exequitur; nec est ne-

cesse divinam exhauriri potentiam, cui nullus commensurari potest effectus.

R. 2. Christi naturam consideratam, ut Verbo conjunctam, digniori hypostasi non posse conjungi, ut nobiliùs constituat suppositum, quàm quod Christus est; sed naturam Christi humanam, ut in creaturarum ordine spectatam, cæteras res creatas actu è nihilo eductas, aut quæ possint creari, perfectione non superare; cum Angeli præstantioris sint naturæ, & ex hominibus plures præstantioris fuerint formæ corporeæ ipso Christo, possitque Deus res creatas longè perfectiores efficere.

Idem de Beatâ Virgine dicendum; nulla quidem excogitari potest superior dignitas, quàm quæ est Deiparæ; sed non indè colligendum est B. Virginem res creatas omnes corporis dotibus, vel donis naturalibus superasse.

Inst. 2. Sapientiæ Dei est media constituere, quæ magis ad gloriæ suæ significationem conducant; proindéque semper quod est optimum efficere.

R. ad finem sibi propositum consequendum seligere Deum, & constituere media magis idonea: nam Sap. 8. v. 1. *Deus attingit à fine ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Nec proindè perfectissima quælibet efficit, ob rationes allatas. Dei gloria, non ex operis perfectione, sed ex operandi modo elucescit; nec minùs conferunt ad Dei gloriam manifestandam, quæ viliora nostris oculis obversantur; imò & minutissimis quandóque operibus longè ampliùs illustrari videtur: non enim mirum, si perfectissimus perfectissima possit; sed quòd se ad vilia dejiciat: hinc illius magnitudo illustratur; cum præsertim ejus opera hominum commodis inserviant. Qui gloriæ splendor è creaturis in Deum refertur, ex hujus, aut illius creatione non oritur; sed ex hominis beneficiis cumulati gratitudinis significatione: in procurandis enim suæ imagini, seu homini, commodis, gloriam suam Deus omnimodam, ex SS. Patribus, constituit.

Opp. 2. Peritissimi artificis est opus moliri perfectissimum; omnem enim suam industriam in opere collocat, & exhibet. Quis autem artifex Deo non inferior?

R. peritissimi esse artificis in operibus elaborandis perfectissimis operam collocare, quòd ex ejus operibus pendeat ipsius commendatio integra, & omnem opificis industriam postulet operis natura, & artificis conditio. At Deus nullâ lege ad opus conficiendum tenetur; nec ex operis præstantiâ, sed ex operandi ratione suam gloriam Deus excerpit, & ex proportione operum ad fines, quos sibi proponit. Sic v. c. perfectior est Angelorum nunc beatorum conditio, quàm quæ fuit viatorum: satius tamen fuit Angelos creare in statu, in quo peccare possent, quàm in statu impeccabilitatis, ut commendaretur Dei æquitas, sapientia &c. Non ergò unius tantùm attributi habenda est ratio, sed omnium Dei attributorum; cum de Dei gloriâ agitur.

Conclusio III. Non potest Deus efficere, ne præterita sint non præterita; nec ideò minùs omnipotens est habendus.

Prob. 1. Ex S. Aug. lib. 26. contra Faust. c. 5. *Quisquis itaque dicit, si omnipotens est Deus, faciat, ut quæ facta sunt, facta non fuerint; non videt hoc se dicere, si omnipotens est, faciat ut ea quæ vera sunt, eò ipso quò vera sunt, falsa sint ..... Sententia quippè, quâ dicimus aliquid fuisse, ideò vera est, quia illud de quo dicimus, jam non est. Hanc sententiam Deus falsam facere non potest, quia non est contrarius veritati.* Hinc non potest Deus, ut quod contigit, non contigerit: nec ideò minùs potens; quia effici illa non possunt, nisi spectentur in se, seu in sensu diviso, ut dicitur; sensu enim illo præterita potest efficere Deus omnipotens. Undè vera est hæc propositio, Deus potest carnem induere, carnem nostram licet assumpserit; quia Dei voluntas, & potentia, quibus humanam naturam induere voluit, & induit, nec mutationi sunt obnoxiæ, aut variis temporis differentiis; nihilque præteritum est, aut futurum respectu Dei. Si verò in sensu composito consideretur omnipotentia, prout connotat, & habitudinem dicit æternam ad id, quod respectu nostri præteritum est; in omnipotentiâ situm non est quod ità gestum est: nec ideò quidquam omnipotentiæ detrahitur: non enim ex imbecillitate oritur, quod non possit, ne præterita sint non præterita; sed ex parte ipsorum præteritorum, quæ non possunt non esse præterita: & proindè cùm Deus in errorem labi non possit; nec simul possit esse verum, res præteritas esse præteritas, & non præteritas: hinc non est in Deo imbecillitatis argumentum, quod efficere non possit, ut præterita non præterierint.

CONCLUSIO ult. Potentia Dei infinita est; & ideò omnipotens est Deus, quòd pati nihil possit, omniaque possibilia, seu quæ contradictionem non involvant, præstare & efficere.

Prob. 1. Potentia Dei est essentia Dei; quæ enim sunt in Deo, realiter ab ejus essentiâ sunt indistincta: alioquin Deus non esset simplex, & proindè cum nullis omninò limitibus coërceatur Dei essentia, ejusdem latitudinis est ejus omnipotentia, entium omnium fons, ut docet S. Aug. lib. 26. contra Faust. cap. 5. Entium nullum est possibile, quod à Deo non sit, aut esse possit, & debeat.

2. Si Deus omnia possibilia efficere non posset, ad certam entium speciem definita esset ejus potentia, & sic non esset omnipotens: at virtute suâ omnia valet exequi. Undè S. Aug. in Enchirid. c. 100. probat nihil esse quod divinæ voluntati non cedat; neque contrariis creaturæ conatibus posse Dei voluntatem retardari, aut impediri. Igitur nihil non potest Deus, quod fieri possit, seu quod contradictionem non involvat: censetur autem aliquid contradictionem involvere, cum subjecto prædicatum repugnat, ut hominem fieri animal irrationale: hæc autem non potest, quia sunt impossibilia.

Ultimò. Ex S. Aug. lib. 5. de Civit. cap. 10. *Dicitur omnipotens faciendo, quod vult; non patiendo, quod non vult*; pati quippè non potest Deus; quia nihil Deo est superius, à quo lædi possit; nec inferius, à quo corrumpi.

QUÆSTIO DECIMA-QUARTA
De justitiâ, & misericordiâ Dei.

ARTICULUS UNICUS.
Utrùm in Deo sint misericordia & justitia? & quomodò?

DIVINAM justitiam exosam habebant Marcionitæ, & damnabant ut iniquam; ideòque à Deo suo, quem optimum prædicabant, longè amandandam esse arbitrabantur, ex Tertull. lib. 2. contra Marcionem cap. 11.

Adversabatur verò misericordiæ Basilides, adeò ut ne ipsa quidem ignorantiæ peccata condonari contenderet, ex Sancto Clemente Alexand. lib. 4. Strom.

CONCLUSIO I. In Deo justitia est.

Prob. 1. tùm ex Psal. 10. ℣. 8. *Justus Dominus, & justitias dilexit:* tùm ex innumeris aliis scripturæ locis, quæ prætermittimus. Sic autem adversus Marc. lib. 2. cap. 11. citato Tertull. *Si non judicem agnoscat, certè perversum ac vanum disciplinæ non vindicandæ, id est, non judicandæ constitutorem: Etsi grave malum injustitiæ est, boni loco habenda est justitia: Nec species solummodò, sed tutela reputanda bonitatis; quia nisi justitiâ regatur, ut justa sit, non erit bonitas, si injusta sit; nihil enim bonum, quod injustum: bonum autem omne, quod justum.* Etiam c. 12. & 13. ait justitiam Deo esse naturalem, & ex ordine esse, quòd meritis gratia conferatur: Itemque justitiæ opera, bonitati esse tribuenda. *Ità omne hoc justitiæ opus procuratio bonitatis est: quod judicando damnat, quod damnando punit, quod, ut dicitis, sævit; utique bono, non malo proficit. Denique timor judicii ad bonum, non ad malum confert: non enim sufficiebat bonum per semetipsum commendari, jam sub adversario laborans. Nam etsi commendabile per semetipsum, non tamen & conservabile; quia expugnabile jam per adversarium, nisi vis aliqua praeßet timendi, quæ bonum, etiam nolentes, appetere & custodire compelleret.* A gravissimis, quibus creator nos percellit, minis abhorreamus licet; vix tamen à peccatis, aut averti, aut nos continere possumus. Quid ergò mali præteriremus, si nihil timendum occurreret? Sic cum bono soli faveat justitia, mali notam quomodò sustinere potest? Si verò impunitum, aut omni supplicio, authore Deo, eximeretur crimen; ut justitiæ inimicus nonne traducendus esset Deus? cùm ejus authoritate nixum scelus triumphum ageret. Additque: *Quis boni author, nisi qui & exactor? proindè quis mali extraneus, nisi qui & inimicus; quis*

inimicus, nisi qui & expugnator? quis expugnator, nisi qui & punitor? Sic totus Deus bonus est, dum pro bono omnia est. Sic deniquè Omnipotens, quia & juvandi, & lædendi potens. . . . . . Usquè adeò justitia etiam plenitudo est divinitatis ipsius, exhibens Deum perfectum, & Patrem, & Dominum: Patrem, clementiâ; Dominum, disciplinâ: Patrem, potestate blandâ; Dominum, severâ: Patrem, diligendum piè; Dominum, timendum necessariè: diligendum, quia malit misericordiam, quàm sacrificium: & timendum, quia nolit peccatum. Sic & Lactant. lib. de irâ Dei cap. 18.

2. S. August. lib. 3. de lib. arb. cap. 15. addit justitiæ divinæ nihil subtrahi, & hominem, quod debet semper Deo præstare, aut obsequendo, aut patiendo. *Si non reddit faciendo quod debet, reddet & patiendo quod debet.* Et epist. 140. Honorato, cap. 2. *Nec efficit anima perversè utens creaturis, ut ordinationem effugiat creatoris; quoniam si illa malè utitur bonis, ille benè utitur etiam malis; ac per hoc illa perversè bonis utendo fit mala; ille ordinatè etiam malis utendo, permanet bonus. Qui enim injustè se ordinat in peccatis, justè ordinatur in pœnis.* Non igitur potest Deus, quin æquam à peccatoribus vindictam sumat; alioquin & ordo inverteretur, peccata foverentur, opprimeretur justitia, in Deum referretur iniquitas &c.

Opp. 1. Non potest censeri justitia attributum, quod Deo naturaliter insit, ut quæ sit Deo extranea, & ex pravis hominum affectibus orta. Ex Tert. lib. de resurr. carn. cap. 14. *Accipe igitur & causam, qui apud Deum meum discis tam optimum, quàm & justum: de suo optimum, de nostro justum. Nisi enim homo deliquisset, optimum solummodò Deum nosset, ex natura proprietate. At nunc etiam justum eum patitur ex causæ suæ necessitate: tamen & hoc ipso optimum, dum & justum. Et bono enim juvando, & malo puniendo, justitiam exhibens, utramque sententiam bono præstat; hinc vindicans istud, indè remunerans illud.* Item l. cont. Hermog. c. 3. judicem non potuisse Deum esse probat ante delictum; nec eâdem ratione esse judicem, ac Deum; cùm ab æterno Deus sit, non judex.

R. ex nostro justum esse Deum, exponente ipso Tertull. quod nimirùm iniquitas nostra Deum in absolutam exercendæ justitiæ necessitatem inducat, ut qui malum non possit impunitum pati: pati autem nequit, quia optimus est, & bonum authoritate suâ tutatur; malum verò propulsat. Sic ex se pronus in bona conferenda; in mala verò infligenda impellitur tantùm occasione datâ, videlicet positis hominum sceleribus.

Opp. 2. Marcionitæ volunt Deum injustum esse dicendum; cum peccata parentum in filiis esse mulctanda decernat in quartam generationem Exod. 34. ℣. 7.

R. cum Tert. c. 15. l. 2. c. Marc. pœnas illas benignitati Dei tribuendas esse, ut illas veriti parentes, posteris suis non nocerent admodùm, & legi divinæ obedirent. Addit insuper Ezech. 18. decrevisse Deum pro propriis peccatis filios tantùm mulctandos esse postmodùm, *ut post duritiem*

populi, duritiâ legis edomitâ, justitia jam non genus, sed personas judicaret. Quanquam si Evangelium veritatis accipias, ad quos pertineat sententia reddentis in filios patrum delicta cognosces: ad illos scilicet qui hanc ultrò sibi sententiam fuerant irrogaturi, sanguis illius super capita nostra, & filiorum nostrorum.

Concl. II. Propriè non est in Deo justitia commutativa, benè tamen distributiva.

Prima pars sic ostenditur; quia justitia commutativa in dati, & accepti qualitate posita est: nihil autem Deo contulimus, aut conferre possumus. Unde Rom. 11. v. 35. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Et Ecclesia Dominicâ 6. post Pentecosten: *Cujus est totum, quod est optimum.*

Est tamen in Deo quidam justitiæ commutativæ modus. Sicut enim patrem inter, & filium; licet non sit propriè dicta justitia commutativa; quòd à patre accepta beneficia nunquam referre possit filius: nihilominus justitiæ commutativæ nonnihil deprehenditur, cum officio suo erga patrem non modò non deest filius; sed & nihil non exequitur quo memorem suum animum possit testificari. Pariter si omnem operam in implendâ divina voluntate, ejusque servandis legibus homo collocet, justitiæ commutativæ modus quidam occurrit; præsertim cùm vitæ æternæ præmium Deus polliceri sit dignatus: & proindè partim gratiæ, partim promissioni est tribuendum, quod hominum meritis Deus rependit. Undè S. Aug. l. 5. Conf. c. 9. Deum alloquens, sic habet: *Dignaris, quoniam in saeculum misericordia tua, eis, quibus omnia debita dimittis, etiam promissionibus tuis debitor fieri.*

Altera pars ita probatur; quia justitia distributiva est in eo propriè qui rependit præmia pro meritis: at Deus sic se gerit: Nam ex S. Dionysio, seu autore libri de divinis nominibus cap. 8. *Omnibus tribuis propria secundum uniuscujusque existentium dignitatem.* Quam quidem doctrinam passim tradit S. Augustinus, tùm lib. 4. cont. Julian. cap. 3. tùm & lib. de nat. & grat. cap. 2. & alibi.

Et sanè justitia distributiva annexos non habet defectus, qui reperiuntur in justitiâ commutativâ. Nam justitia distributiva non arguit in distribuente debitum aliquod simpliciter, ortum nempè ex acceptione rei quam alius dedit: siquidem potest Princeps justè bona communia distribuere, licet ab iis, quibus illa distribuit, nihil accipiat, aut expectet. Si quæ autem obligatio justè bona partiendi est in distributoribus, oritur à legibus quibus illi sunt subjecti: undè cum Deus nullis superioris legibus sit subjectus, sed ratio propriæ sapientiæ sit ipsi tanquam lex justitiæ, uti aptè admodùm docet S. Thomas, certè sine ullâ obligatione potest justè præmia distribuere.

Concl. III. Misericordia in Deo non est secundum affectum; cujusmodi laudatur in hominibus, qui calamitosum aliorum statum miserantur, seu quorum cor quasi miserum fit malorum aspectu; iis enim affectibus Deus non est obnoxius; sed est in Deo secundum effectum: nam misericordiâ suâ Deus vitiis nos liberat, pœnas interminatus infligendas: nos

ab illis hac in vitâ eximit, cum ad meliorem vitæ frugem redimus. Sic exponit S. Aug. in Ps. 135.

Prob. ex Ps. 102. v. 8. *Misericors, & Miserator Dominus.* Ubi de Deo ut summo bono actum est, plurimis argumentis hanc veritatem firmavimus, videlicet divinam maiestatem decere maximè misericordiam. Undè Clem. Alex. l. 2. Strom. soli Deo misericordiam convenire probat, quòd solus Deus supremam in nos potestatem obtineat; quòd utilitatem ex nobis nullam possit percipere; simulque malis, quæ undiquè imminent, nos valeat eripere: hinc, ut omnium malorum gravissimum, iniquum hominis de suâ misericordiâ judicium mulctat pœnis omnium gravissimis; cum enim Ezech. 9. v. 8. imminentes Jerusalem calamitates videret Propheta, exclamat: *Ergò ne disperdes omnes reliquias Israël?* Et respondet Dominus: *Iniquitas domûs Israël, & Juda, est magna nimis valde. Dixerunt enim, dereliquit dominus terram, & dominus non videt. Igitur & meus non parcet oculus, neque miserebor.*

Concl. IV. In Deo sibi non adversantur justitia, & misericordia.

Prob. 1. Effectus oppositos licet elicere videantur, aut contraria præstare, justitia, & misericordia; non desunt tamen esse unum quid; cum quidquid in Deo est, Deus sit. Undè idem Deus immutatus manens, non merenti beneficium præstans, dicitur misericors; & sceleris reum meritò castigans, justus appellatur. Quamobrem adeò non sibi invicem reluctantur; quinimò, si quoad effectus spectentur, sibi invicem ut comites semper adhærent, simulque operationes suas eliciunt; hinc Ps. 24. v. 10. *Universæ viæ domini, misericordia & veritas.* Et certè cum Deus impium ab impietate avocat, vel peccatorem damnationi æternæ addicit, aut impletur quod docet S. Jacobus c. 2. v. 13. *Judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam:* Tunc & quæ opera misericordiæ tribuuntur, sine justitiâ non sunt; nec quæ justitiæ tribuuntur, sine misericordiâ. Undè Cassiodorus in Psal. 100. *Misericordiam, & judicium cantabo tibi domine:* sic habet: *Potestas domini semper miseretur, aut judicat; sed nec ipsius misericordia sine judicio, nec judicium sine misericordiâ reperitur.* Neque enim Deus damnatos condignis mulctat suppliciis; & sic quædam misericordiæ ratio in damnatione ipsa occurrit: cum verò peccatori peccata condonat, & justitiam infundit, licet misericordiæ solius opus justificatio videatur, suas etiam in eâ justitia partes obtinet, in quantùm pœnitens in seipsum peccata vindicare tenetur; sicque ex S. Augustino aliquid injustitiæ in Deo esset, si pœnitentem à peccatore non secerneret: ita enim scribit in expositione inchoatâ in Ep. ad Rom. *Sed hoc planè justum est apud Deum: quia verè justum est, ut ii, quos peccatorum suorum pœnitet, eo tempore, quo nondum pœnarum manifestus terror apparet, misericorditer separentur ab eis, qui dissensiones peccatorum suorum pertinaciter exquirentes, nullâ pœnitentiâ corrigi volunt.* Item Ep. 5. Marcellino. *Cum evertit subsidium vitiorum, & copiosas libidines inopes reddit, misericorditer adversatur.* Et anteà. *Nibil est infelicius felicitate peccantium, quâ pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut hostis inte-*

rior roboratur. Proindè nunquam à se divelluntur justitia, & misericordia: Misericors enim Deus pœnas infligit Levit. 26. v. 16. 17. 18. 40. & 41. Deuter. 13. v. 12. 13. &c. Tobiæ 13. v. 4. 5. &c. Peccatores penitùs non deserit Deuter. 4. v. 30. 31. Ps. 77. v. 38. &c. Et verò S. Clem. Alex. l. 1. Pædag. c. 8. & 9. Nullum esse docet divinæ justitiæ opus, quod hominum saluti non conducat; nec ideò improbandum esse speculum, quòd vultûs deformitatem, aut rugas exhibeat; nec medici artem licet acerbam, quâ sanitati consulitur, esse damnandum. *Quamobrem*, inquit, *Deus quidem bonus est per seipsum; justus autem propter nos: & ideò quia bonus. Quod justum est autem, nobis per suum ipsius verbum ostendit, illinc è superis undè ipse fuit pater.* Hunc suppliciorum, quæ Deus infligit, usum esse notat l. 4. Strom. ut & à peccatis justi absterreantur, & ne in Dei contemptum veniant. Docuerat etiam S. Iren. l. 3. c. 35. pœnas Adamo, & Evæ inflictas, effectus esse misericordiæ, quæ eos, ut serpentem, maledicto non subjecit. *Ut neque maledicti à Deo in totum perirent, neque sine increpatione perseverantes Deum contemnerent.* Per misericordiam etiam è Paradiso expulsum Adamum, ut ad pœnitentiam excitaretur, docuit S. Theophilus Antioch. l. 2. ad Autol. Adamo quoque inflictam fuisse mortem, ne peccatum foret æternum, scripsit Proclus in Origenem apud S. Epiphanium l. 2. tom. 1.

2. Deuter. 28. dicitur Deus æquè justitiâ, & misericordiâ delectari. *Et sicut ante lætatus est dominus super vos, bene vobis faciens, vosque multiplicans: sic lætabitur disperdens vos, atque subvertens, ut auferamini de terrâ, ad quam ingredieris possidendam.*

Equidem misericordiæ beneficia longiùs latiùsque nunc temporis proferuntur, quàm justitiæ opera: nam intra generationem quartam comprimitur hujus exercitium; in ulteriores autem generationes extenduntur misericordiæ dona, Exod. 34. v. 7. Deut. 5. v. 9. & 10. Deuter. 7. v. 9. in aliâ verò vitâ amplior justitiæ locus dabitur, quàm misericordiæ; & proindè æqualitas quædam indè repetenda esset, aut compensatio, si quædam inæqualitas occurreret. Sed totum quod videtur, aut objicitur discrimen, ex hominibus est petendum, quibus hîc misericordiæ beneficiorum longè major est necessitas: in alterâ verò vitâ, cum locus merito non sit futurus, justitiæ pondus experientur homines.

Justitiæ non dantur efficientes causæ. Pro motivis alias non designat scriptura, præter Dei gloriam, & nominis ejus sanctitatem, Ex. 14. v. 17. 31. Levit. 10. v. 1. 2. 3. Deuter. 32. v. 43. Nec etiam misericordiæ alias designat, præter hominum calamitates, & Dei benignitatem, Gen. 8. v. 21. Ps. 24. v. 7. 8. Ps. 78. v. 8.

Alia sunt in Scripturis, & apud antiquos, tùm justitiæ, tùm misericordiæ, & aliorum attributorum effecta; sed in iis solis ferè immorandum esse censuimus, quæ ad difficultates solvendas conferre possent: Nam cætera expositione opus non habent: gravissimi tamen sunt momenti ad rectè componendos mores, & ad divinæ majestatis commendationem.

QUÆSTIO DECIMA-QUINTA de Providentiâ Dei.

ERRORES.

AB Epicuro, & Aristotele providentiam fuisse negatam docet Orig. lib. 2. contra Cels. De Aristotele aliter sentiunt alii, ut S. Thom. lib. 3. contra gentes cap. 75. Negavit & Democritus, qui omnia casui ascribebat, mundumque fortuitò coaluisse asserebat. Incorruptiblia sola providentiæ subdiderunt illi, de quibus Job cap. 22. ℣. 14. *Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, & circa cardines cœli perambulat.* Alii omnium irrationabilium curam Deo abstulerunt: alii Deo rerum maximarum, cœli scilicet & terræ; animantium verò & stirpium, Angelis; divitiarum, dæmonibus curam demandatam esse crediderunt.

Plerosque ejusmodi errores sic complectitur S. Greg. Naz. orat. 16. *Alii casum, atque fortunam, fortuitò sanè temerèque confictam, induxerunt; alii siderum principatum quemdam rationis expertem, atque indissolubilem, res humanas arbitratu suo, imò etiam necessariò contexentium; & errantium quarumdam, atque fixarum stellarum congressus, & recessiones, ac motionem, quæ mundo dominetur: Alii ...... providentiam ad nos usque demittere gravati sunt; veriti nempè, ne benefactorem eò meliorem esse pronuntiarent, quò plures beneficiis afficeret; aut ne Deus benè de pluribus merendo defatigaretur.*

Ejusmodi errores indè repetit S. Ambr. lib. 1. de Officiis cap. 14. quòd nollent homines supra se constitui judicem, quem nihil lateret. Undè apud Ciceronem lib. de nat. Deorum, Vellëius Epicureus, qui providentiam impugnat, ità disserit: *Imposuistis in cervicibus nostris sempiternum Dominum, quem dies, & noctes timeremus: quis enim non timeat omnia providentem, & cogitantem, & animadvertentem, & omnia ad se pertinere putantem, curiosum, & plenum negotii Deum?*

In eos errores viros illos proculdubio præcipites egit temeritas scrutandi mysteria, quæ mentis nostræ vires longè superant.

Ut autem hi errores propriis confutentur argumentis, impugnanda est primò illa fatalis necessitas, simul & fortuitus ille rerum ordo: deindè ostendendum rerum omnium procurationem Deum maximè decere.



ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm fatalis sit quædam necessitas? an fatum, & sors quomodocumque probari possint?

ERRORES.

QUI fatalem quamdam necessitatem propugnarunt, bifariam divisi sunt: voluerunt enim quidam hanc à Deo sideribus inditam esse virtutem, ut supremâ authoritate hominum fortunas, & statum definirent. Nihil aliud astris tribuerunt alii præter signorum necessariorum naturam, per quam, quæ futura essent, demonstrarentur. Et, sic ex utrisque, fatum est quod pro siderum dispositione, & astrorum concursu, in conceptione, aut hominis ortu constituitur, aut constitutum demonstratur. Huic autem necessitati quidam omnia subdiderunt: alii liberas voluntates fatorum legi subduxerunt.

Inter hæreticos, qui multa fato tribuerunt, fuit Bardesanes, seu Bardesanius Syrus, teste S. August. lib. de hæres. cap. 35. hunc tamen errorem illi non vitio vertunt, Euseb. lib. 4. hist. cap. ult. & S. Epiphan. hæres. 56.

Ex Conc. Braccar. 1. cap. 9. & 10. & ex S. Leone epist. ad Turribium Asteticensem Episc. cap. 13. & 14. homines fatales esse stellis subditos censuit Priscillianus, & corpus nostrum juxta cœli signa duodecim esse compositum.

CONCLUSIO I. Fatum non datur.

Prob. 1. quia ex S. Justino in Apol. ad Senatum, admisso fato, nulla superesset libertas, nulla virtus, nullum vitium. Quæ certè præter sanam sunt mentem: imò summa indè sequeretur impietas, & injustitia, ut addit in Apol. ad Antonin.

2. Quia ex Tert. in Apol. cap. 35. & lib. de Idololat. cap. 9. homines à Dei cultu penitùs avocarentur.

3. Quia ex Origen. in Philocal. cap. 23. libertate hominibus sic ereptâ, Deus omnium scelerum author diceretur. Iisdem rationibus à Minutio, & Lactantio pluribus in locis fatum rejicitur.

5. Quia ex Euseb. lib. 6. de Præpar. cap. 4. rueret omnis Divinitas, si fatum admitteretur: nec Christianæ Religionis institutio, aut propagatio, tribui fato posset, cum ea ab omni fatali necessitate abhorreat, & quamplurimorum constantia Martyrum homini datam libertatem probet simul & confirmet. S. verò Chrys. orat. 2. de Providentiâ, iisdem rationibus addit per fatum fidem Dæmonibus majorem, quàm Deo conciliari. Idem ait orat. 3. eò gravioris sceleris conscios fieri homines, quòd inductâ fati necessitate vitia singula Deo imputarent. Eas omnes rationes congerit S. August. epist. 243. & lib. 2. cap. 17. de Gen. ad Litt. additque nobis à sideribus imponi non posse necessitatem;

cum corporum virtus in spiritus nequeat exeri; cumque Astrologi nosse non possint, quid inter gemellos distet; quod ex Esaü, & Jacob facilè comprobatur.

Ult. Immotum non esse Astrorum cursum; sed divinæ potestati subjici, & à Deo pro nutu moveri, satis superque demonstravit Deus, cum Solis, aut Lunæ cursum inhibuit, aut immutavit, Josue 10. ℣. 12. & 13. Lib. 4. Reg. cap. 20. ℣. 10. & 11. Isaiæ 38. ℣. 8. & 9.

CONCLUSIO II. Nihil fit fortuitò; idcircò casus, aut fortuna rejicienda sunt. Nam ex S. Aug. lib. 1. contra Academicos cap. 1. quæ casu contigisse videntur, à Deo intenduntur, & universo congruere comperiuntur, licet intendi non videantur: *Quæ vulgò fortuna nominatur*, inquit, *occulto quodam ordine regitur; nihilque aliud in rebus casum vocamus, nisi cujus ratio, & causa secreta est: nihilque, seu commodi, seu incommodi contingit in parte, quod non conveniat, & congruat universo.* Undè licet in plurima, quæ fortuita videntur, oculos conjiciamus; hæc quidem nostri respectu casu contingere, sed reverâ à Deo decreta fuisse comperiemus. Sic v. g. lib. 1. Reg. cap. 9. ℣. 3. quæ Saüli asinas patris quærenti obvenerunt, fortè fortunâ obtigisse censerentur, nisi attenderetur Dei voluntas, quæ Samuëli fuerat prædicta. Undè respectu Dei sumus quidem nos instar servi, quem fodere terram jubet dominus, ut è terræ visceribus thesaurus eruatur; fortuita enim servo penitùs est inventio thesauri; non verò domino, qui terræ fossionem imperavit. Sic duorum, quos in varias regiones misit dominus, servorum occursus est fortuitus; non respectu domini, qui eorum occursum intendebat. Plurima hinc in probatis authoribus, merè fortuitò haberentur, nisi quædam occurrerent adjuncta, quæ nos in aliam sententiam impellunt. Hujuscemodi est quod lib. 6. Hexamer. cap. 4. refert S. Ambros. de cane, qui Antiochiæ juxta corpus heri sui à milite interempti stetit, domini deflens casum; cumque admirabundus venisset cum cæteris interemptor, ut innocentiæ fidem astrueret, sequestrato paululùm doloris questu, in illum canis irrupit, solum ex plurimis tenuit, nec dimisit: undè negandi criminis effugium illi militi fuit omninò ablatum. Inferendum ergò est nihil occurrere fortuitum; licet ità nobis videatur, quòd habitudinem, connexionem, & omnium inter se eventuum relationem non noverimus, vel ob breviorem vitæ nostræ cursum, vel ob mentis nostræ infirmitatem.

OPP. Non potest non admitti fatalis quædam necessitas, quæ cuique naturæ præsit, ex siderum concursu impressa, aut situ; cum tot & ab Astrologis, & Vatibus prædicta sint, quæ certò evenerunt.

R. 1. cum Tatian. in orat. ad gentes, hæc à Dæmonibus, qui præstabant quod futurum prænuntiarant, fuisse prædicta; Dæmonesque sese gessisse non secùs ac qui clàm filios parentibus subripiunt, quos posteà pretium accepturi palàm restituunt.

S. August. lib. 2. de Doct. Christ. cap. 23. ait Dæmones potestate, quam in inferiora obtinuerunt, abuti in decipiendis hominibus: *Hinc*

fit, ut qui occulto quodam divino judicio, cupidi malarum rerum eis tradantur illudendi, & decipiendi pro meritis voluntatum suarum. Et infrà : *Multa observantibus secundum observationes suas eveniant, quibus implicati curiosiores fiant, & se se magis magisque inserant multiplicibus laqueis perniciosissimi erroris.* Et lib. 2. de Gen. ad Litt. cap. 17. *Instinctu quodam occultissimo fit, quem nescientes humanæ mentes patiuntur; quòd cum ad decipiendos homines fit, spirituum seductorum operatio est: quibus quædam vera de temporalibus rebus nosse permittitur; partim quia subtilioris sensûs acumine; partim quia corporibus subtilioribus vigent; partim experientiâ callidiore propter tam magnam longitudinem vitæ; partim sanctis Angelis, quod ipsi ab omnipotente Deo discunt, etiam jussu ejus sibi revelantibus, qui merita humana occultissimæ justitiæ sinceritate distribuit. Aliquando autem iidem nefandi spiritus, etiam quæ ipsi facturi sunt, velut divinando prædicunt.* Istis adjicit lib. de Divinatione cap. 5. eos præmonere de illis quæ ipsos exequi jussit Deus, ut terræ motus, fames, pestes &c. aut quæ ex naturalibus signis futura prænoscunt, instar medicorum, qui plurima prævident artis suæ peritiâ; aut quòd affectus nostros compertos habeant. Addit adhuc cap. 7. & 8. eosdem nihil ausos proferre contra Deum, aut Religionem. Denique scribit lib. 2. quæst. ad Simpl. q. 3. *Nihil nisi temporaneum à Dæmonibus prædici, & hoc eis concedi, ut malum, quod eis impendet, antequam veniat, prænoscendo patiantur.... & verum, quod nosse potuerint, non docendi magis, quàm decipiendi fine prænuntiant.*

CONCLUSIO III. Christiano sensu admitti potest fatum quoddam, si fati nomine intelligatur Dei voluntas, aut præscientia.

Prob. ex S. Justino in Apol. ad Antonin. ex Lact. lib. de irâ Dei c. 11. & ex Minut. in Octav. ubi per fatum Dei præscientiam intelligit. *Quid enim*, inquit, *aliud est fatum, quàm quod de unoquoque nostrùm Deus fatus est; qui cum possit præscire materiam, pro meritis, & qualitatibus singulorum etiam fata determinat: ità in nobis non genitura plectitur; sed ingenii natura punitur.* Et ex S. August. lib. 5. de Civit. cap. 1. *Si propterea quisquam res humanas fato tribuit, quia ipsam Dei voluntatem, vel potestatem fati nomine appellat; sententiam teneat, & linguam corrigat.*

CONCLUSIO IV. Licita dici potest aliquandò sors; nec indè tamen colligendum fortuitò aliquid fieri.

Prob. quia sic docet Origenes Hom. 23. in Josue, ubi ad hanc veritatem confirmandam quædam profert exempla ex sacris codicibus deprompta, ut de Jonâ, & Mathiâ &c.

S. etiam August. epist. 180. Honorato, sortis usum probat, cum inter Clericos dubium est, qui tempore persecutionis in Ecclesiâ sint remansuri. *Si inter Dei ministros indè sit disceptatio, qui eorum maneant, ne fugâ omnium, & qui eorum fugiant, ne morte omnium deseratur Ecclesia..... Quæ disceptatio si aliter non potuerit terminari,*

quantùm

quantum mihi videtur, qui maneant, & qui fugiant sorte legendi sunt; ideò sicut scriptum est, contradictionem sedat sortitio, & inter potentes definit. . . . Res quidem fiet minus usitata, si fiat ista sortitio; sed si facta fuerit, quis eam reprehendere audebit? Non vult tamen meliori sententiam suam præferri. Item lib. 1. de Doct. Christ. c. 28. non improbat etiam sortis usum, cum duo occurrunt pauperes iisdem in angustiis constituti; nec, quod dandum præ manibus est, potest dividi. Cæterùm quæ sorte obtingunt, non fortunæ aut casui, sed divinæ providentiæ sunt tribuenda.

ARTICULUS ULTIMUS.

Utrùm Dei providentiæ omnia, etiam vel minima subjaceant?

PER Dei providentiam nihil aliud est intelligendum, quàm rerum omnium in suos fines ordinatio, ejusque ordinis executio; seu Dei voluntas, per quam res aptè administrantur; seu divina rerum omnium procuratio. Sic non nuda est rerum cognitio, sed certum rebus consulendi propositum: & proindè, quatenùs ratio ordinis est, seu rerum administrandarum voluntas, proculdubio est æterna; quatenùs verò est illius ordinis executio, est temporaria dicenda; utpotè quæ temporalem ad creaturas dicat relationem, aut habitudinem.

CONCLUSIO Dei providentiæ nihil est quod non subdatur, seu cujus administrationem Deus non sustineat.

Prob. 1. Sap. 6. ℣. 9. *Æqualiter cura est illi de omnibus.* Sap. 8. ℣. 1. *Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Sap. 14. ℣. 3. *Tua autem, Pater, providentia gubernat.* Judith. 9. ℣. 5. *Tua judicia in tuâ providentiâ posuisti.* 1. Petr. 5. ℣. 7. *Ipsi cura est de vobis.* Item Math. 6. & Lucæ 12. Christus ait vel minimorum curam Deum gerere, ut capitis capillorum, liliorum, volatilium; & indè argumento ducto confirmat se potiori jure, quæ ad homines pertinent, curare.

2. Essentialem omninò esse Deo hanc rerum omnium providentiam probant, S. Iren. l. 2. c. 45. S. Clem. Alex. lib. 6. Strom. Tertul. l. 2. cont. Marcio. c. 24. Orig. l. 4. & 6. cont. Cels. necnon S. Aug. l. de utilitate credendi c. 16. ubi sic habet. *Si Dei non præsidet providentia rebus humanis, nihil est de Religione satagendum.* Item l. de Ord. cap. 1. ejusdem impietatis damnat negare providentiam, & Deum peccati authorem facere. Lib. quoque 5 de Gen. ad Litt. c. 2. sic habet. *Quid ore suo Salvator, cum dicit, unum passerem non cadere in terram sine Dei voluntate, & quod fænum agri post paululum mittendum in clibanum, ipse tamen vestiat? Nonnè confirmat non solum totam istam mundi partem rebus mortalibus & corruptibilibus deputatam, verùm etiam vilissimas ejus abjectissimasque particulas divinâ providentiâ regi?*

3. Lactantius l. de irâ Dei c. 10. quòd seipsum orbis non creaverit; seipsum quoque administrare non posse confirmat. S. Greg. Naz. orat. 16. ait, omninò esse necesse, ut quarum rerum Deus sit conditor, earum sit etiam moderator: alioquin si mundus casu ageretur, primo quoque tempore, velut navis ventorum turbine, propter materiæ perturbationem dissolveretur, & in vetus chaos relaberetur. Nostris autem præsertim rebus præest; sed administrationis ratio est incognita; ob id fortasse ut in admirationem rapiat: quidquid enim facilè percipitur, facilè quoque in contemptum venit: quò enim, quod supra nos est, difficilius percipitur, eò etiam mirabilius videtur. Undè quanta utilitas ex variâ rerum dispositione percipi possit, studiosâ inquirendum est sollicitudine. Sic disserunt S. Ambr. l. 1. de offic. c. 13. S. Aug. l. de animæ immort. c. 8. & l. 4. de gen. ad Litt. c. 12. ubi sic habet. *Creatoris potentia, & omnipotentis atque omnitenentis virtus, causa subsistendi est omni creaturæ: quæ virtus, ab eis, quæ creata sunt, regendis si aliquandò cessaret, simul & illorum ceßaret species, omnisque natura concideret. Neque enim sicut structuram ædium cum fabricaverit abscedit, atque illo cessante atque abscedente stat opus ejus; ità mundus vel ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimen sui subtraxerit: proindè & quod Dominus ait, Pater meus usque nunc operatur, continuationem quamdam operis ejus, quâ universam creaturam continet atque administrat, ostendit.* Idem etiam probat. S. Greg. mag. l. 24. Moral. c. 11. cum ait: *per se mundum regit, quem ipse condidit; nec eget alienis adjutoriis ad regendum, qui non eguit ad faciendum.*

Et certè nulla occurrit ratio, cur Deus creaturis non provideat: non defectus potentiæ; cum longè minus sit existentibus providere, quàm è nihilo illas educere: non defectus voluntatis; quæ enim eum benignitas ad creandum movit, ad providendum quoque movet. Cum ergo bonitate solâ motus creaturas procreaverit, quomodò à se productas negligeret? Hinc Math. c. 7. ỷ. 11. *Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quantò magis Pater vester, qui in cœlis est?* &c. Paternæ igitur bonitatis est indefessam filiorum curam gerere.

Aliud quoque argumentum ad astruendam Dei providentiam, ex variis hominum affectibus desumitur: Alii enim in hanc, vel illam artem propendent; & quod quibusdam est molestissimum, aliis maximè arridet. Undè fit, ut ex variis illis hominum naturæ insitis affectibus, nihil sit in humanis quod non placeat, hominumque commodis simul & necessitatibus non conducat.

Aliud argumentum est ipsa temporum successio, & cætera, quæ primæ quæst. probationibus, artic. 3. exscripsimus.

Ultimum tandem illud est, quod oculis nostris semper obversatur; sol nempè, cujus virtute & effectibus quidquid ipse Deus præstat, delineare nobis voluisse videtur: Omnia enim ut maximè abdita sol penetrat; nihilque est, quod ejus virtuti acceptum non referatur. Hinc divinæ providentiæ universalitatis rectè dicitur imago.

Opp. 1. Si Deus providentiâ cuncta regeret, bonis & malis bona & mala non æquè obvenirent. Quod ita animos percellit, ut vel indè justi commoveantur: hinc Job. 21. ℣. 7. *Quarè ergò impii vivunt, sublevati sunt?* Ps. 72. ℣. 2. *Mei autem penè moti sunt pedes* &c. ℣. 3. *pacem peccatorum videns.* ℣. 5. *in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* ℣. 6. *ideò tenuit eos superbia* &c. ℣. 11. *Et dixerunt, quomodo scit Deus; et si est scientia in excelso?* ℣. 12. *Ecce ipsi peccatores, & abundantes obtinuerunt divitias* &c. ℣. 13. *Et dixi, ergò sine causâ justificavi cor meum* &c. ℣. 14. *Et fui flagellatus totâ die* &c.

R. iniquorum felicitatem, aut bonorum quorumdam operum esse mercedem, aut quandoque scelerum pœnam. Undè justis abundè fit satis ibidem apud Jobum ℣. 13. *Ducunt, inquit, in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt, qui dixerunt Deo: recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus: quis est omnipotens, ut serviamus ei? Et quid nobis prodest, si oraverimus illum? verumtamen quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium impiorum longè sit à me. Quoties lucerna impiorum extinguetur, & superveniet eis inundatio, & dolores dividet furoris sui. Erunt sicut palea ante faciem venti, & sicut favilla, quam turbo dispergit. Deus servabit filiis illius dolorem Patris; & cum reddiderit, tunc sciet: videbunt oculi ejus interfectionem suam, & de furore omnipotentis bibet.* Ps. etiam 36. v. 1. *Noli æmulari in malignantibus; neque zelaveris facientes iniquitatem: quoniam tanquam fœnum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum citò decident.* Item Ps. 72. 2. 18. &c.

S. August. lib. 1. de Civ. c. 8. bonis & malis bona & mala obveniunt, ut nec dolores vitentur, nec omnia peccata hîc mulctentur, nec mercede suâ omnia præclarè facta donentur; inhil enim divino servaretur judicio. Hinc addit ex sceleribus quædam hîc meritis subjici pœnis, ut semper insigne quoddam extet providentiæ testimonium: interdum etiam bonos felicitate uti temporaneâ, ut jam ex hâc vita præmium aliquod virtutis habeant; idque à Deo profectum esse constare; si verò piis omnibus concederetur hæc felicitas, non ob aliud præstandum videretur Deo obsequium, quàm ut illa bona obtinerentur. *Nec,* inquit, *pios nos faceret talis servitus, sed potiùs cupidos, & avaros. Flagellantur enim simul, non quia agunt simul malam vitam, sed quia simul amant temporalem vitam; non quidem æqualiter, sed tamen simul quam boni contemnere deberent, ut illi correpti atque correcti consequerentur æternam.* Aliam verò rationem affert Epist. 122. Solatio Victoriano scilicet suas justis esse pœnas, quæ meritorum materiam præbeant; impios autem criminandi providentiam hinc occasionem arripere. Item lib. 83. quæst. q. 82. dicit in bonis mala pœnæ, medicinæ locum habere. Et lib. quoque 22. contra Faustum cap. 21. scribit, pœnas justis evenire propter perfectionem; peccantibus verò propter æquitatem. Nec certè sine causâ: quia si soli boni, bonis abundarent, putarent mali propterea Deo es[…] iendum: rursùs bona si solis malis darentur, timerent boni adhuc [...] ad Deum converti, ne ista fortè illis deessent. Cum enim adhuc anima, ut ita dicam, infir-

ma est, illam fovere, vel sustentare debet Deus, donec validior illa fiat. Sic agricola, teneris adhuc arbusculis fulcra adhibet, donec altius in terrâ radicibus actis vim tempestatum possint sustinere.

Inst. Si provideret Deus, non pateretur justos opprimi à peccatoribus, & impiorum subjacere imperio. Sic, inquiebant Ethnici apud Minutium, nec Phalaris imperium obtineret; nec exilio Camillus, nec veneno Socrates fuissent sublati; nec subitis grandinibus jamjam maturæ segetes verberarentur.

R. 1. cum Orig. Hom. 4. in Ps. 36. bonis spiritualibus nunquam destitui justos, quæ veram felicitatem sola constituunt; nec etiam improborum manibus justos penitùs permitti: sed Deum variis rationibus, occultis quidem, aut opem ferre, aut aliquandò apertè in ipsorum hostes insurgere, ut patet ex Gen. 32. de Jacobo, & ex quarto Regum de Eliseo, &c.

2. Lact. lib. 5. cap. 22. ait peccatorum imperio justos subjici necessariò, ut eximiæ argumenta patientiæ præbere, simul & præmia possint consequi: *Patientia est enim malorum, quæ aut inferuntur, aut accidunt, cum æquanimitate perlatio.* Quam virtutem, ut omnium præstantissimam, Philosophi, & Oratores commendant.

3. S. Aug. lib. de Agone Christ. cap. 7. scribit bonis detrimenti nihil improbos inferre posse: *Nam quod diligunt, & undè beati sunt, auferre illis nemo potest. Cruciatus verò corporis malas animas miserabiliter affligit, bonas autem fortiter purgat.*

Addit verò improbos æquè ac dæmones justitiæ divinæ decreta quidem exequi etiam inscios boni, quod eorum fit ministerio. *Non itaque*, inquit ibidem, *pro meritis officii, sed pro meritis malitiæ stipendiantur.* Et verò persecutione, quâ mali justos exercent, summa bona comparantur. Sic ex plurimorum Episcoporum exilio persecutionis Arianæ tempore multarum nationum conversio contigit, & fidei Catholicæ pluribus in Ecclesiis novum robur fuit additum.

Quamobrem colligi potest tribulatione reos compelli ad pœnitentiam; inscios erudiri; firmari, purgarique justos; excitari torpentes; & deprimi superbos. Aliæ etiam & egregiæ rationes proferuntur à S. Hilar. lib. 10. de Trin. & S. Greg. Magn. Præf. in Job. cap. 2. & in suis Moral. libris.

Inst. Adhuc si nostra curaret Deus, ex orbe terrarum jam mala, seu peccata sustulisset. Sic enim apud Lact. lib. de irâ Dei cap. 13. differunt Philosophi: Deus aut vult tollere mala, & non potest; aut potest, & non vult; aut nec vult, nec potest; aut vult, & potest. Si velit & non possit, infirmus est, & proindè nec Deus; si possit & nolit, invidet homini; quod Deo indignum; si possit & velit, nulla ratio subest, cur irâ per orbem debacchari permittat mala.

R. Ibidem Lactant. *Deus potest quidquid velit, & imbecillitas vel invidia in Deo nulla est: potest igitur mala tollere, sed non vult; nec ideò tamen invidus est: idcircò enim non tollit, quia & sapientiam (sicut docui) simul tribuit, & plus boni ac jucunditatis in sapientiâ,*

quàm in malis molestia. Sapientia etiam facit, ut etiam Deum cognoscamus, & per eam cognitionem immortalitatem assequamur, quod est summum bonum. Additque nisi hâc Deus uteretur œconomiâ, justitiæ & sapientiæ vestigium nullum superfuturum fuisse. S. verò Chrysost. lib. 2. de Provid. c. 4. sed præcipuè, lib. 4. & 5. de eâdem Provid. scribit, si Deus omnibus pro merito pœnas hîc infligeret, in terris neminem superfuturum: nemo enim est, quem suppliciis obnoxium peccata non fecerint.

S. Greg. Naz. Orat. 16. ait ad justitiæ splendorem plurimùm peccata conferre; hæc sunt ejus verba: *Rerum autem hujus ævi alia forma est, aliaque gubernatio, tametsi omnia eò ferant, atque apud Deum æquabile quiddam procul dubio habeat id quod nobis inæquale esse videtur: haud aliter atque in corporibus eminentes ac demissæ partes, magnitudines item & parvitates; atque in terrâ, tam ea, quæ altè se afferunt, quàm quæ subsidunt: ex quibus pulchritudo mutuâ inter se habitudine conflatur, ac perspicitur. Quandoquidem opificis quoque materia, quæ priùs inæquabilis atque incondita erat, per quam tamen artificiosa esset, si ad operis cujusdam structuram accommodaretur: id quod tùm demùm intelligimus atque fatemur, cum operis elegantiam undiquè perfectam & absolutam intuemur.*

S. August. similia tradit in lib. imperfecto de Genes. ad Litt. cap. 5. ubi sic loquitur: *Et divisit Deus inter lucem & tenebras, ne vel ipsæ privationes non haberent ordinem suum, Deo cuncta regente atque administrante. Sicut in cantando interpositiones silentiorum certis moderatisque intervallis, quamvis vocum privationes sint, benè tamen ordinantur ab iis, qui cantare sciunt, & suavitati universæ cantilenæ aliquid conferunt: & umbræ in picturis eminentiora quæque distingunt, ac non specie, sed ordinatione placent. Nam & vitiorum nostrorum non est author Deus: sed tamen ordinator est, cum eo loco peccatores constituit, & ea perpeti cogit, quæ merentur. Ad hoc valet quòd oves ponuntur ad dexteram, hædi autem ad sinistram. Quædam ergò & facit Deus, & ordinat: quædam verò tantùm ordinat.* Lib. de Ordine cap. 7. *Ita quasi ex antithetis quodammodò, quod nobis etiam in oratione jucundum est, id est ex contrariis omnium simul rerum pulchritudo figuratur.* Sic ergò cum contrariorum oppositione pulchritudo commendetur, quælibet hinc peccata justitiæ opposita non levem addunt justitiæ splendorem. Undè Eccles. 33. ℣. 15. *Contra malum, bonum est; & contra mortem, vita: sic & contra virum justum, peccator. Et sic intuere in omnia opera altissimi; duo & duo, & unum contra unum.*

Opp. 2. S. Hieron. in Cap. 1. Habac. docet *absurdum esse ad hoc deducere Dei majestatem, ut sciat per momenta singula quot nascantur culices, quotve moriantur: quæ cimicum, & pulicum, & muscarum sit in terrâ multitudo: quanti pisces in aquâ natent* &c. Igitur noluit S. Hieron. cuncta Regi divinâ providentiâ, & eam ad minima quæque extendi.

R. S. Hieron. negare duntaxat alternatim Deum talia nosse, vel per

diversa temporum momenta sic illa cognoscere, sicuti per diversa momenta desinunt, aut incipiunt.

Potest etiam responderi S. Hieronymum eò loci tantùm velle, Deum non habere talem curam animalium illorum, qualem habet nostri. Quo quidem sensu intelligendus est pariter iste locus 1. Cor. 9. *Numquid de bobus cura Deo est?* Addunt adhuc nonnulli prædictum locum ex illis esse, quos ipse S. Hieron. in lib. 1. adversùs Ruffin. ait se in Commentariis in Prophetas, non ex suâ, sed ex aliorum scripsisse sententiâ.

Opp. 3. Si cuncta quæ sunt hoc in mundo, Dei regantur providentiâ; undè proveniunt tot monstrorum horrendi partus? *Quid quod*, inquit S. Ambros. lib. 3. Hexam. cap. 9. *Cum utilibus etiam lethalia & perniciosa generantur.*

R. Hæc omnia divinam commendare providentiam, ad quam attinet permittere defectus aliquos in particularibus naturis, ne perfectum universi bonum impediatur; quia si omnia mala impedirentur, multa deessent universo bona: nec enim esset vita leonum, nisi esset occisio animalium; neque esset patientia martyrum, nisi esset persecutio tyrannorum. Hinc ex S. August. in Enchir. cap. 33. *Deus omnipotens nullo modo sineret malum aliquod in suis operibus esse, nisi usque adeò bonus, & omnipotens esset, ut benefaceret etiam de malo.* Addo insuper monstra suo modo conducere ad universi decorem, atque pulchritudinem, necnon etiam inservire plurimùm manifestandæ rerum aliarum perfectioni, ac integritati, quæ magis ex ipsorum elucescit deformitate. Nam inquit, citato loco S. Ambros. *Singula eorum, quæ generantur è terris, specialem quamdam rationem habent, quæ pro virili portione complent universæ plenitudinem creaturæ: alia ergò esui; alia alii nascuntur usui. Nihil vacat, nihil inane germinat terra. Quod tibi putas inutile, aliis utile est; imò ipsi tibi frequenter alio est usu utile. Quod escam non adjuvat, medicinam suggerit: & sæpè eadem quæ tibi noxia sunt, avibus aut feris innoxium ministrant pabulum. Deniquè sturni vescuntur conio, nec fraudi est eis, quoniam per qualitatem sui corporis venenum succi lethalis evadunt. ..... Helleborum autem periti loquuntur escam esse & alimenta coturnicum, eo quòd naturali quodam temperamento sui corporis vim pabuli nocentis evitent.*

Opp. ult. cum Epicuro apud Cicer. lib. 1. de naturâ Deorum, amovenda est à Deo rerum sublunarium procuratio; si enim eâ implicatus esset; & laboriosissimus, & variis molestiis laboraret: nihil autem beatum est, nisi quietum.

R. natam esse hanc difficultatem ex non intellecto discrimine, inter nostram, & divinam agendi rationem: animalis enim homo non sapit ea quæ Dei sunt: Deus autem non, ut nos, multo rerum apparatu indiget; nec variis turbari potest molestiis ex inscitiâ & imbecillitate nostrâ profectis: solâ enim omnipotenti voluntate præstat quidquid voluerit.

Q. 1. An æqualem omnium curam Deus gerat.

R. Deum non æqualem omnium curam gerere: Nam Orig. Hom. 1. in Gen. terram ait dictam esse scabellum pedum Dei, quòd circa homines deditos sensibus ultima providentiæ pars occupetur. Idem lib. 2. contra Celsum notât Nativitatis Christi tempore orbi universo pacem fuisse concessam, simulque præfuisse unicum Imperatorem; ne vel bellorum dissidiis, aut interrupto commercio, si varia viguissent imperia, Evangelii propagatio retardaretur. Lib. etiam 4 contra eumdem Cels. ait pro hominum affectu varia esse providentiæ beneficia. Prætereà in gratiam Justorum singularis providentia describitur Psal. 36. & 9.. & ex Historiis Sacris compertum est quantâ sollicitudine suis Deus consulat. Undè S. Greg. Thaumat. Orat. panegyricâ in Orig. singulari Dei providentiæ, & Angeli Custodis curæ tribuit, quod Origeni erudiendus fuisset traditus. Item S. Cypr. lib. de Orat. Domin. exemplis Danielis, Eliæ, &c. in angustiis Deum nunquam deesse suis probat. *Neque enim deesse quotidianus cibus potest justo, cum scriptum sit: non occidet Dominus fame animam justam. ..... Cum Dei sint omnia, habenti Deum nihil deerit, si Deo ipse non desit. Sic Danieli in leonum lacu jussu Regis incluso, prandium divinitùs procuratur, & inter feras esurientes & pascentes, homo Dei pascitur.* Idem lib. de opere & eleemos. similia scribit. *Metuis ne*, inquit, *patrimonium tuum fortè deficiat; si operari ex eo largiter cœperis! Quandò enim factum est, ut justo possent deesse subsidia vitæ? cum scriptum sit: non occidet fame Dominus animam justam. ..... Nisi, si putas, quia qui Christum pascit, à Christo ipse non pascitur; aut eis terrena deerunt, quibus cœlestia, & divina tribuuntur.*

Q. Ultimò num providentiæ leges expendere possimus?

R. Tertull. lib. de carne Christi cap. 4. humano judicio divina non esse metienda: *Sit planè stultum*, inquit, *de nostro sensu si judicemus Deum; sed circumspice Marcion, si tamen non delesti, stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientiam. Quænam hæc stulta sunt? conversio hominis ad cultum veri Dei, &c.*

S. Greg. Naz. Orat. 16. ait nostrum non esse definire, cur infligantur pœnæ; nec in pœnam peccati ea infligi certò esse statuendum; quia Dei judicia sunt incognita, & ad virtutis probationem eas immittere potest Deus: observatque Deum nihil non sapienter agere, nosque temerè aut inconditè res gubernari existimare; quia exploratam earum rerum non habemus notitiam; aut quia absolutum opus non intuemur; undè conjicimus minus aptas, aut dispositas esse partes; *quin potiùs*, inquit, *non multùm iis, qui nauseâ & vertigine laborant, dissimiles sumus, qui omnia sursùm deorsùmque verti putant, cum ipsi vertantur; idem enim his, de quibus loquimur, accidit. Neque enim Deum se sapientiorem esse putant.* S. Aug. l. de ver. Rel. c. 22. ait, non posse quidem nos de providentiâ judicium ferre, cum ipsius orbis partes, nos ipsi tantùm simus, & inter eas constituti; proindèque impares, qui totius operis elegantiam conspiciamus.

QUÆSTIO DECIMA-SEXTA
De Prædestinatione Sanctorum.

HOC in Tractatu, sicut & in superioribus, meam in rebus non definitis ignorantiam non infrequenter profitebor : & istis in capitibus de Prædestinationis mysterio, eò continentioris animi sum futurus, quò sagaciùs sum meditatus Apostoli exclamationem Rom. 11. *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus !* Undè Tertull. contra Marcion. *O profundum*, inquit, *divitiarum sophiæ Dei, ut investigabilia judicia ejus, utique Dei judicio : ita & investigabiles viæ ejus, utique intellectûs, & scientiæ, quas ei nemo monstraverit, nisi fortè isti censores divinitatis dicentes : sic non debuit Deus, & sic magis debuit.* Ne verò ex recentibus de gratiâ controversiis præjudicati aliquid ad subsequentes de Prædestinatione quæstiones afferre videar, antiquorum temporum, quæ contentiones illas seculis pluribus antevertunt, dogmata simplici & sincerâ mente proponam. Cuique fontes illos venerandos adire liberum erit; & ex illis puris canalibus, quid & quo animo sit hac in materiâ sentiendum, deducere.

ARTICULUS PRIMUS.
De nomine, atque naturâ Prædestinationis.

PRÆDESTINATIONIS vocabulo quandòque intelligitur divinæ providentiæ ordo : sensu illo à S. Hieron. in 1. cap. Ephes. usurpatur, & à S. August. Tract. 68. in Joan. Aliquandò sumitur pro destinatione rationalis creaturæ, sive ad vitam, sive ad mortem; sive ad præmium, sive ad pœnam. Sic à S. August. cap. 100. Enchir. *Benè utens malis*, inquit, *tanquam summè bonus, ad eorum damnationem, quos justè prædestinavit ad pœnam ; & ad eorum salutem, quos benignè prædestivavit ad gloriam.* Eodem quoque sensu usurpatur ab ipso S. August. Tract. 43. & 107. in Joan. à S. Prosp. in Resp. ad 10. & 11. object. Vincenti. à S. Fulg. lib. 1. ad Monimum cap. 13. 28. & 29. necnon tandem à Conc. Valentino an. 853. cap. 3. ubi sic habetur : *Fidenter fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem.* Aliter nuncupatur electio, discretio, Dei beneplacitum, dilectio, præordinatio, præscientia, atque præparatio : propriè verò creaturæ rationalis ad æternam beatitudinem destinatio.

Definitur à S. August. lib. de dono Persev. cap, 14. *Præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur.*

liberantur. Pręſcientia dicitur ab Apoſt. Rom. 11. ℣. 2. *Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſcivit.* Non eſt autem mera rei futuræ præcognitio; ſed cum aliquo voluntatis beneplacito conjuncta. Rom. 8. v. 29. *Quos præſcivit & prædeſtinavit &c.* Hinc S. Auguſt. lib. de prædeſt. Sanct. cap. 10. ſic habet: *Prædeſtinatio ſine præſcientiâ eſſe non poteſt; poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia; prædeſtinatione quippè Deus ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus..... præſcire autem potens eſt etiam quæ ipſe non facit, ſicut quæcunque peccata.* Cum ideò in Sanct. Auguſtinum Maſſilienſes inſurgerent, & prædeſtinationem nihil eſſe aliud præter præſcientiam contenderent; in reſponſ. ad 14. objectiones S. Proſper eos confutat, oſtenditque à Deo prædeſtinari quæ ſit ipſe facturus, gratiæ beneficiis homines adjuvando. Undè in definitione S. Aug. ſubjungitur: *Beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur quicunque liberantur:* ſeu gratiæ vocationis, juſtificationis, meritorum, perſeverantiæ, & gloriæ præparatio; quibus beneficiis à peccati ſervitute homines certiſſimè liberati æternam felicitatem conſequuntur: quod paucis expreſſit S. Fulgent. lib. 3. de veritate prædeſt. *Prædeſtinavit ergò Deus Sanctos ſuos, & ad gratiam vitæ bonæ, & ad gratiam vitæ æternæ.* Vita æterna nuncupatur gratia Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.* Sępiùs exindè à S. Aug. gratia dicitur.

A Theologis vulgò, ut à S. Thomâ, definitur præparatio gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro: aut voluntas æterna Dei ex creaturis intellectualibus quaſdam ad vitam æternam, ſeu ad finem ultimum ordinantis. Quæ verò eſt prædeſtinationis ex S. Aug. mox allata notio ad ſolum hominem lapſum pertinet. Ex quibus prędeſtinationem eſſe duplicem ſupereſt colligendum, priorem ad gratiam, ad gloriam verò poſteriorem.

ARTICULUS SECUNDUS.

An Prædeſtinatio detur? & qui ſint ejus effectus?

ERRORES.

CIRCA prædeſtinationem non ſolùm graviter errarunt viri prophani, de quibus Sap. 2. v. 22. *Et neſcierunt ſacramenta Dei, neque mercedem ſperaverunt juſtitiæ, nec judicaverunt honorem animarum ſanctarum:* ſed etiam errarunt ſecundi ſeculi hęretici, qui cum Valentino & Baſilide duas in claſſes homines partiebantur, utroſque naturâ ſalvandos, aut reprobos. Lib. 5. Strom. S. Clem. Alex. hanc ex duplicis divinitatis bonæ & malæ excogitatione natam oberrationem exſcribit. Quem errorem Marcioni, Valentino, & Manichęo Eccleſia Lugd. in lib. cont. Joan. Hertum tribuit. Errarunt Pelagius, & Semipelagiani, qui prædeſtinationem Dei decreto ſancitam removerunt, ut ex quâ ſequeretur non naſci homines judicandos, ſed jam judicatos; nec ex perverſo libertatis uſu, ſed ex Dei arbitrio hominum damnationem eſſe

repetendam, & in corripiendis hominibus operam non esse collocandam. Sic Faust. Regien. lib. 1. de libero arbit. cap. 4. aliique Pelagiani atque Semipelagiani, quos S. August. lib. de dono persev. cap. 9. novos prædestinationis hostes appellat.

Ex malè intellectis S. August. libris prodierunt alii, ut notat Sigebert. in chronico ad an. 415. qui colligebant indè nec piæ vitæ institutionem profuturam, nec è morum depravatione sibi esse utcunque timendum. Lucidus Presb. impositos sibi hos errores in libello ejuravit; nimirùm ad mortem Dei præscientiâ homines impelli, primique hominis lapsu fuisse libertatem extinctam.

Ambrosius Catharinus magni nominis Theologus ordines duos inter prędestinatos constituit lib. de prędestinat: In altero eximiæ virtutis viros egregios reponit; cujusmodi fuerunt Virgo Deipara, Apostoli, Prophetæ, Patriarchæ: In alio collocat cęteros communibus prudentiæ legibus relictos, quorum sors nondùm certa sit, aut definita.

Sententiam hanc ut novam proponit, & à S. August. doctrinâ prorsùs alienam. Eadem placuerat statim Sixto Senensi; sed hanc postmodùm deposuit, ut quam Theologis plurimis videret admodùm exosam, quemadmodùm ipse testatur lib. 6. Biblioth. sanctæ num. 848.

Conclusio I. Prædestinatio est admittenda necessariò.

Prob. Tàm apertè prędestinationem docuit Christus; tàm apertè, támque constanter exposuit Apostolus, ut nemini de illâ dubitationem movere liceat. Luc. 12. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Rom. 8. *Quos prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Ephes. 1. *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum.* Undè S. Aug. lib. de dono persever. cap. 19. *Hoc scio, neminem contra istam prædestinationem, quam secundum Scripturas sanctas definimus, nisi errando, disputare potuisse.* Et cap. 21. *Nimiæ contentionis est prædestinationi contradicere, vel de prædestinatione dubitare.* Cap. etiam 23. *Prædestinationis hujus fidem, quæ contra novos hæreticos novâ sollicitudine nunc defenditur, nunquam Ecclesia Christi non habuit.* Item Prosp. in respons. ad primam ex 15. object. Gallorum ità loquitur: *Prædestinationem Dei nullus Catholicus negat.* Similia habet S. Fulgent. in lib. de Incarn. & gratiâ Christi.

Opp. 1. Ex SS. Prosp. & Hilario ad S. Aug. Semipelagiani dicebant fatalem hâc sententiâ necessitatem induci, omnemque ad opera pia contentionem subverti, legis promissiones, & minas irritas fieri. Undè Faustus Regien. lib. 2. de Grat. & lib. arb. cap. 4. ità S. Aug. de prædestinatione sententiam perstringit. *Sub pietatis*, inquit, *fronte gentilitatis fartum; & inter gratiæ vocabulum, absconditum erit fatale decretum.*

R. prædestinatione nullam electis inferri necessitatem, quæ liberum arbitrium vel leviter offendat. Nam providentiæ non est (ait S. Dionys. lib. 4. de divinis nominibus) naturam violare; Deus enim, cujus est *attingere à fine usque ad finem fortiter, & disponere omnia suaviter*, ut ha-

betur Sap. 8. rerum omnium, quas movet, integritati eâ ratione consulit, ut agentia naturalia necessariò, libera verò liberè operentur. Undè non est cur admissâ prædestinatione divinâ, legis promissiones dicantur inutiles item & irritæ minæ: Imò ex S. Greg. lib. 3. Dialog. cap. 13. quæ Sancti viri efficiunt, ita prædestinata sunt, ut ea precibus obtineant: nam ipsa quoque præmii prædestinatio ita est ab omnipotente disposita, ut ad hoc electi ex labore perveniant, quatenùs postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus disposuit donare.

INST. Positâ prædestinatione colligere possum: Si sum prædestinatus, salutem consequar: Si sum reprobus, damnationem non declinabo: Igitur ad quid Legibus servirem? Cur molestam admodùm & laboriosam Evangelicam vivendi rationem amplecterer?

R. non attendisse Semipelagianos argumento simili præscientiam Deo eripi: Undè, ut ait S. Aug. lib. de bono persev. cap. 15. quemadmodum nos non deterremur à confitendâ Dei præscientiâ, si quis de illâ populo sic loquatur, ut dicat: sive nunc rectè vivatis, sive non rectè, tales eritis posteà, quales vos Deus futuros esse præscivit; vel boni, si bonos; vel mali, si malos. Sic pariter argumentatione prædictâ fides prædestinationis non evertitur. Quærant indè Semipelagiani suæ dubitationi lucem & responsionem, Codices Sacros evoluant, & deprehendent nihil solemnius, nihil frequentius, nihil magis accommodatum, quàm electionis & prædestinationis doctrinam, simul & mandatorum fidæ observationis & accuratæ mercedem toties promissam in Scripturis. Satis sit ad hanc S. Petri admonitionem non levi studio attendere. *Satagite*, inquit epist. 2. cap. 1. *ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Igitur, ut infert S. Prosp. lib. 2. de vocat. Gent. cap. 36. *Studia non tolluntur orandi, nec per electionis propositum liberi arbitrii devotio relaxatur; cum ... implendæ voluntatis Dei ita sit prædestinatus effectus, ut per laborem operum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum; ut qui bona egissent, non solùm secundùm propositum Dei, sed etiam secundum sua merita coronentur.* Igitur ad virtutem incitamentis nec obest prædestinatio, nec reprobatio; cum nemo adultus non meritus fiat coronæ particeps; nec ullus damnatorum pœnis sit obnoxius, nisi violatæ legis conscius.

Conscientiæ suæ lumen Semipelagiani consulant; an in negotiorum procuratione; An in sanitate curandâ sic disserunt? Si de valetudine prosperâ Deus decretum emisit; illâ proculdubio utar, & nihil mihi timendum occurrit: Si verò de morbo, aut morte inferendâ mihi legem tulit, recuperandæ, aut servandæ sanitati frustrà studebo, & incassùm ad medicos & ad remedia confugiam. At non ea est hominum disserendi ratio; immò rebus suis summo studio consulunt, & saluti suæ non minori sedulitate provident.

CONCL. II. Prædestinatio non ad quosdam tantùm, & eximios homines; sed ad singulos electos pertinet.

Prob. Discrimini, quod inter electos constituit Catharinus, reluctatur

quidquid in Scripturis refertur; in quibus unica proponitur electorum species. Matth. enim 24. ℣. 31. Christus tempore judicii *Mittet Angelos suos cum tubâ & voce magnâ; & congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à summis cœlorum usque ad terminos eorum.* Matth. etiam 25. sic Christus die judicii pariter ad electos est allocuturus. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Ergo salvandis omnibus regnum à constitutione mundi fecit paratum. Igitur nec Apostolus Rom. 8. aut Eph. 1. ad quosdam tantùm eximiè prædestinatos sermonem habet, sed ad singulos electos: Rom. quippè 8. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti: nam quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui; quos autem prædestinavit hos & vocavit.* Item Eph. 1. *Elegit nos in ipso, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate.* Undè S. Fulg. cap 35. lib. de fide ad Petrum: *Firmissimè tene & nullatenus dubites, omnes, quos vasa misericordiæ gratuitâ bonitate Deus fecit, ante constitutionem mundi in adoptionem Filiorum Dei prædestinatos à Deo; neque perire posse aliquem eorum, quos Deus prædestinavit ad regnum cælorum; nec quemquam eorum, quos non prædestinavit ad vitam, ullâ posse ratione salvari.* Et verò si à Deo non essent electi, qui regnum cælorum essent adepturi; seipsos discernerent, contra istud 1. Cor. 4. *quis te discernit?* Equidem ex parabolâ de operariis, quæ Matth. 20. refertur, Catharinus suam colligit sententiam: At ex parabolæ illius expositione, de quâ quæst. 8. art. 9. de attrib. actum est, nullo pacto quidquam in ejus sententiæ confirmationem posse deduci, vel leviter attendenti fiet compertum. Nec Ecclesia in precibus ullum unquam discrimen interposuit in Canone Missæ. *Ab æternâ damnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari.*

ARTICULUS TERTIUS.

De Causis prædestinationis: & an ad primam gratiam electio sit gratuita?

ILLIUS efficiens causa solus est Deus: claritas & splendor divinarum perfectionum, causa finalis: Dei benigna voluntas creaturam intellectualem in æternam beatitudinem transmittens, causa formalis: Intellectualis verò creatura, causa materialis. De causis illis non movetur quæstio, sed de rationibus Deum impellentibus tùm ad gratiam primam, tùm ad gloriam impertiendam.

ERRORES.

Animas ante mundum visibilem creatas ob varia vitæ prioris merita in corporibus sortes varias capere, prædestinationemque aut reprobationem sortiri censuit Origines.

Ex S. Aug. in æquum & laudabilem liberæ voluntatis usum justitiæ & gloriæ consecutionem Pelagius retulit.

Ad hunc Pelagii errorem utcunque accesserunt Massilienses, seu Semipelagiani; à nobis enim salutis ac fidei initium, & fidem repetebant. Referuntur viri Theologi de Ecclesiâ benè meriti, quorum nomina reticeri velim, in opiniones à veritate alienas prorsùs abiisse; ut qui censuerint à Deo prædestinatos esse, quos gratiâ, necnon libero arbitrio rectè usuros, aut gratiæ non posituros obicem Deus præsensit.

Duplicem jam prædestinationem, ad gratiam primam, & ad gloriam distinximus; istam verò quoad intentionem, & quoad executionem esse spectandam addimus.

CONCL. Hominis ad primam gratiam & vocationem Electio est omninò gratuita, nec ex meritorum præscientiâ, nec ex liberi arbitrii usû, aut ex alia causâ in homine positâ, est repetenda: gratiæ verò secundæ incrementum, operum bonorum, quæ divino beneficio eliciuntur, merito est tribuendum.

Prob. 1. Gratuita beneficentiæ suæ dona prima quęlibet esse interprete Apostolo Rom. 9. Deus significavit Gen. 25. ubi Esaü primogenito pręlatus fuit Jacob: *Major serviet minori.* Item Gen. 48. ℣. 14. Prępositus quoque fuit Ephraïm natu minor Manasse natu majori, obsistente ipso Josepho Patre, Deut. 10. ℣. 15. Electi sunt similiter in Dei gentem Israëlitæ præ cęteris universi orbis nationibus, *elegitque semen eorum, post eos, id est vos, de cunctis gentibus sicut hodiè comprobatur.* Ejusmodi fuit Saülis in Regem electio; ut & Davidis præ fratribus. Tam munificam & gratuitam penitùs liberalitatis divinæ largitionem, seu gratiæ & prędestinationis effusionem magnificam verbis expressis postmodùm Deus voluit omnibus esse testificatam. Undè Ps. 58. *Misericordia ejus præveniet me.* Ps. 76. *Et dixi, nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ excelsi.* Ps. 78. *Citò anticipent nos misericordiæ tuæ.* Porrò autem si misericordia pręvertat actus: si mutatio, seu ad Deum conversio sit dexteræ excelsi opus; profectò in unicam Dei beneficentiam prędestinantem & pręvenientem salutis negotium potest referri: Propterea nihil quidquam boni absque Christi gratiâ pręstatur; nec ad ipsum acceditur, nisi Patre dante ac movente: Joan. quippè 15. ℣. 5. *Sine me nihil potestis facere.* Joan. 16. ℣. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum*, vel, ut aliquantò post habetur, *nisi fuerit ei datum à Patre meo.* Joan. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Primus ergò ad salutem gradus non libero arbitrio, non hominum meritis; sed soli miserentis Dei clementiæ adscribatur necesse est: nec certè aliter ad primam gratiam prædestinatio esset gratuita; seu gratia non esset gratia, sed meriti pręmium. Undè sit compertum, quantùm Pelagius & discipuli à recto fidei tramite aberrarint.

Uberiorem longè Pelagianæ hęreseos confutationem circa caput istud, & ex capite isto consecutiones quisque colligere poterit ex gratiæ Christi defensore nunquàm satis laudato, S. videlicet Aug. lib. de prædest. Sanct. cap. 8. lib. 1. adversus 2. epist. Pelag. cap. 3. & 19. lib. de grat.

& lib. arbit. cap. 5. & epist. 107. Item ex aliis SS. Patribus, nimirùm S. Hieron. lib. 3. contra Pelag. S. Prosper epist. de lib. arbit. ad Ruffinum, & lib. cont. Collatorem: qui doctrinam catholicam cont. Pelagianos his S. Pauli testimoniis præsertim confirmarunt. Rom. 11. v. 6. *Si autem gratia, jam non est gratia.* ℣. 35. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* 1. Cor. 4. v. 7. *Quis enim te discernit? quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* 1. Cor. 1. v. 31. & 2. Cor. 17. *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* 2. Cor. 3. *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* Ephes. 2. v. 8. *Gratiâ enim estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est: non ex operibus, ut ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Si prior dedit Deus; ad dandum rectus voluntatis humanæ affectus Deum non impulit; si nos ipsos non secernimus, & à Deo solo secretionem habemus acceptam; si ad piè cogitandum vires non suppetunt; si salus omnis ex gratiâ & ex fide, non verò ex nobis pendet; deniquè si in Christo divinitùs sumus creati; cur ad liberi arbitrii laudes Pelagiani confugiunt, cum nihil recti possit voluntas sibi relicta? Totum igitur salutis beneficium in solâ Christi munificentiâ reponatur. Consecutiones tàm apertæ uberiori explanatione non indigent: prioribus Apostolorum discipulis ideò fuerunt in promptu.

S. Iren. lib. 4. cap. 16. asserit implevisse Christum S. Joannis verba, posse nempè ipsum ex lapidibus suscitare filios Abrahæ: Patrem nemini notum esse, nisi cui voluerit Filius revelare: *Revelat enim omnibus Filius, à quibus velit agnosci Pater; & neque sine bonâ voluntate Patris, neque sine administratione Filii cognoscet quisquam Deum.* Et ideò se vocavit viam, veritatem, & vitam; & neminem nisi per ipsum docuit accedere ad Patrem.

Tertull. lib. de præscript. cap. 3. gratuitam electionem probat ex his verbis: *Cognoscit Dominus qui sunt ejus, & plantam quam non plantavit Pater, eradicat.*

S. Hilar. can. 2. in Matth. ait mercedem deberi ex opere; *Sed gratuitam gratiam Deus omnibus ex fidei justificatione donavit.* Non igitur codices sacros utriusque fœderis, nec præsertim Gentium Apostolum Paulum, nec Apostolicam traditionem Pelagius consuluerat.

2. Hanc doctrinam à Deo traditam, & ab Apostolis explanatam, contra Pelagium firmarunt Concilia Carthaginensia, Hispal. Arausic. Valent. & tandem Trident.

Definit Synodus Arausic. 2. an. 529. à fide alienos esse, qui humanâ invocatione gratiam Dei conferri censent; non autem ipsam gratiam facere ut Deus à nobis invocetur. Decernit etiam Apostolicis dogmatibus illos adversari, qui dicunt, tùm Deum expectare voluntatem nostram, ut à peccato purgemur; nec efficere per operationem & infusionem Spiritûs sancti, ut à peccato purgari velimus: tùm initium fidei, ipsumque

credulitatis affectum, quo in Deum credimus, & ad regenerationem baptismatis adducimur, non per gratiæ donum, sed naturaliter inesse sine Dei gratiâ: tùm credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, quętentibus, pulsantibus nobis misericordiam conferri; aut humilitati, vel obedientiæ humanæ subjungi adjutorium gratiæ: tùm demùm nos per naturæ vires aliquod bonum ad æternæ vitæ salutem pertinens cogitare, ut expedit, aut eligere posse. Can. 9. addit divini muneris esse cogitationes rectas, & falsitatis & injustitiæ odium: *Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur.*

Constituerunt pariter Innocent. I. & Zozim. cont. Pelag. nihil absq; Dei gratiâ posse, sive inchoari, sive perfici: & Cœlest. in epist. ad Præsules Gallic. à gratiâ Dei omnia hominum merita pręveniri, eoque auxilio & munere non auferri liberum arbitrium, sed liberari, *Ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de imprudente fiat providum. Tanta est enim erga omnes homines bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona; & pro iis quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus: agit quippè in nobis, ut quod vult, & velimus, & agamus; nec otiosa esse in nobis patitur, quæ exercenda, non negligenda dedit; ut & nos cooperatores simus gratiæ Dei.* Ex Patribus antiquis, & ex coætaneis, ut divinam hanc ostendat fidem, plures laudat S. Aug. lib. de bono persev. Eandem quoque fidei veritatem edocet lib. de prædest. Sanct. lib. de corrept. & grat. epist. 105. ad Sixtum, & Enchir. 32. ubi sic habet: *Si nullus dicere Christianus audebit: non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, ne Apostolo apertissimè contradicat: restat ut propterea rectè dictum intelligatur: neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam, & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam.*

3. Veritatem hanc quandòque singularibus misericordiæ suæ operibus facit Deus conspicuam, & inexpectatis mediis, gratiæ suæ, quos vult, facit participes. Palàm est Act. 9. S. Pauli conversio. In S. Aug. vitâ Possidius aliud refert exemplum eximium, Firmum scilicet mercatorem Manichæum ad S. Augustinum accessisse, & ad ejus pedes procubuisse; sed cum à suis Clericis inquireret S. August. an observassent ipsum à proposito in concione discessisse, & adversus Manichæos perorasse; Firmi auditoris cognitâ conversione, gratias Deo egisse: *Qui cum voluerit, & undè voluerit, & quomodò voluerit, & per scientes, & per nescientes salutem operatur animarum.*

Pręclara prorsùs ejusdem benignitatis divinæ monumenta referunt Historici Ecclesiastici, ut Ruffinus lib. 1. cap. 9. ubi dicit citeriorem Indiam semina fidei à Frumentio accepisse, qui à Pręceptore Meropio Philosopho regiones perlustraturus fuerat adductus. Et lib. 2. c. 4. refert Lucii Ecclesiæ Alex. invasoris authoritate in Insulam quamdam Paludum Ægypti transvectos esse Maccarios duos; quam cum totam idololatriæ deditam deprehendissent, doctrinâ & exemplis ad fidem advocarunt.

Qui subsecuti sunt, ut S. Prosper lib. 2 de vocat. gent. cap. 1. & ultimo lib. contra Collat. in respons. ad Capit. Gallorum, S. Fulgent. de Incarnat. cap. 20. S. Greg. Mag. lib. 1. dial. cap. 8. & Hom. 3. in Ezechiel, Beda, Primasius, & alii Catholici Doctores in epist. ad Rom. eam doctrinam explanarunt.

Ultimò Pelagianorum cavillationibus locum omnem præripit hominum status miserandus: quâ enim ratione gratiâ digni forent, qui nascuntur iræ filii? an meritorum prævisio illam Dei munificentiam utcunque promereretur? At ex infantibus non pauci percepto baptismo; alii etiam fidelium filii eâ gratiâ non donati occumbunt, sicuti docet S. August. lib. de prædest. Sanct. c. 12. Si autem de adultis sit quæstio; quodnam fuit Pauli persecutoris meritum? Quamobrem ex his omnibus compertum prorsùs est, electionem hominis ad primam gratiam, & vocationem, esse omninò gratuitam, seu à meritorum præscientiâ independentem.

Opp. 1. Proverb. 16. v. 1. *Hominis est animam præparare, & Domini gubernare linguam.* ℣. 9. *Cor hominis disponit viam suam; sed Domini est dirigere gressus ejus.* Zachar. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Matth. 25. *Tribuit unicuique talenta secundum propriam virtutem.* Rom. 7. *Velle adjacet mihi; perficere autem bonum non invenio.* Igitur fidei & operum principium petitur ex homine seipsum parante, disponente, convertente ad Deum, juxta vires accipiente à Deo talenta &c.

Rt. S. Aug. lib. 2. ad Bonif. cap. 8. & lib. de grat. & lib. arbitr. 6. cap. 5. his in locis commendari liberum arbitrium; sed non excludi gratiæ prævenientis adjumentum; quemadmodum in istis: *Converte nos Deus salutaris noster: & præparatur voluntas à Domino:* Commendari gratiæ prævenientis beneficium; sed non excludi liberæ voluntatis cooperationem. Quam responsionem ut Ecclesiæ Catholicæ doctrinam proponit ad fidem Conc. Trid. sess. 6. cap. 5. *Cum dicitur*, inquit, *convertimini ad me, & ego convertar ad vos; libertatis nostræ admonemur: cum respondemus converte nos Domine ad te, & convertemur; Dei gratiâ nos præveniri confitemur.* Quæ nisi essent ità; sine Christo exequi multa & summi momenti penes nos esset. Matth. 25. tribuitur quidem talentorum varietas secundum propriam virtutem; sed nomine propriæ virtutis non significatur dispositio naturæ, sed gratia unicuique collata, ut talento sibi credito benè uti possit. Undè Eph. 4. *Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Cæterùm nomine talentorum intelligendæ sunt gratiæ gratis datæ, ut sunt v. c. gratia sanitatum, genera linguarum, interpretatio sermonum, & alia id genus. Quid ex Rom. 7. gratiæ Christi hostes velint inferre, non est in propatulo. An contendunt rectum voluntatis propositum ex naturæ viribus haberi? cum ex nobis, teste Apostolo, tanquam ex nobis non simus sufficientes, qui piè vel aliquid cogitemus. Ideò condelectabatur Apostolus legi *Dei secundum interiorem hominem*; nec tamen, quæ in votis erant, perficere inveniebat; quia sentiebat, *aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis, & captivantem in lege*

peccati-

peccati. Neque cum datur voluntas bona, illicò fit exequendi facultas, nisi querentibus, petentibus, ac pulsantibus; ut, qui dedit desiderium, prestet effectum. Undè Abel justo, inquit Arausic. Syn. 2. cap. 25. & Noë, & Abraham, & Isaac, & Jacob, omnique sanctorum antiquorum multitudini illam preclaram fidem, quam in ipsorum laudem predicat Apostolus Heb. 11. non per naturæ bonum priùs in Adam datam; sed per gratiam Dei, credimus fuisse collatam: Quam gratiam, etiam post adventum Domini, omnibus, qui baptisari desiderant, non in libero arbitrio habere, sed in Christi novimus simul & credimus largitate conferri, juxta illud S. Pauli Philip. 1. ℣. 29. *Vobis donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini.* Et ℣. 6. *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu.* Quamobrem manifestissimè credendum est, ait ista Synod. Latronis ad paradisi Patriam vocati, & Cornelii Centurionis Angelicâ visitatione cohonestati, & Zachæi Christum domo excipientis fidem mirabilem, non fuisse naturæ donum; sed divinæ largitatis beneficium. Sic S. Aug. de Cornelio lib. de prædest. Sanct. cap. 7. *Nec tamen sine aliquâ fide donabat & orabat; nam quomodò invocabat, in quem non crediderat? Sed si posset sine fide Christi salvus esse, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apostolus Petrus.*

Opp. 2. Clemens Alex. lib. 5. Stromat. sub finem docet naturalem in omnibus esse justitiam: hoc etiam addit: *Est autem unusquisque nostrùm benevolentiæ particeps ad id, quod vult; differentiam enim fecit electionis anima, quæ evasit digna, voluntariumque institutum, & exercitatio.*

Orig. lib. 7. in cap. 8. ad Rom. electionem in affectum, quem Deus in vocato deprehendit, refert; ità ut, quos salutis suæ desiderio teneri videt, ad fidem Deus vocet.

S. Hil. in Psal. 11. S. Greg. Nazianzenus orat. 13. & Sanctus Chrysostomus in eandem descendunt sententiam. Hic Homiliâ. 42. in Generat. de Abraham docet Abrahamum magna dona gratiæ à Deo accepisse, sed anteà se ad illa per bona opera disposuisse: *Verùm*, inquit, *nisi primùm & ipse, quod suum erat, fecisset; non tanta à Domino obstinuisset.* Et paulò post. *Attende quomodò primùm in omnibus virtutis suæ indicium exhibuerit, atque sic divinum meruerit præsidium.* Item Hom. 17. in Joan. ait Deum suis in nos beneficiis nostras non prævenire voluntates; sed à nobis esse incipiendum: cum autem nos prompto paratoque animo ad gratiam suscipiendam exhibemus; tunc multa nobis offerre salutis media. Lib. quoque de compunctione cordis hec habet: *Ad eos qui nec initium faciunt convertendi ad Dominum, omninò non venit; rectas enim diligit mentes, & sine fuco propositum: quod etiam in Paulo prospiciens, licet alio adhuc itinere videretur incedere; tamen quia proposito recto & zelo Dei hoc agebat, dicit de eo Dominus, quia vas electionis est mihi iste: hæc autem testatus est de eo, priusquam ei gratia daretur.* Ita Hom. 12. in epist. ad Heb. & Hom. 41. ad pop. Antioch. S. Hieronymus lib. 3. cont. Pelag. nostrum esse rogare scribit, Dei verò tribuere, quod rogatur; nostrum incipere, illius perficere; nostrum offerre quod possumus, illius implere

quod non possumus. Quod argumentum ex SS. Patrum consensione eò est validius, quòd Patres isti sacrorum codicum fuere interpretes commendati maximè. Et ideò recens habita est, & à S. Aug. excogitata mox allata expositio. Et certè S ipsi Augustino ità constabat sententiæ novitas, ut ab antiquorum doctrinâ recedere se non diffiteatur; ideò lib. de prædest. Sanct. cap 19. *Opus non est*, inquit, *ut eorum scrutemur opuscula, qui, antequam ista oriretur hæresis, in hac difficili quæstione versari non fuerunt coacti.*

R. SS. Patrum monumentis evolvendis à Theologis quibusdam non fuisse datam operam, saltem eam, quæ par erat, ne tàm illustribus Ecclesiæ magistris vel levissima erroris labes inureretur: SS. enim Patres illos, aut ex illis quosdam, Semipelagianorum authores fecerunt; & S. August. novæ doctrinæ dedisse locum protulerunt. Parcant si dicam à S. Aug. propugnatam adversus excitatas suo tempore hæreses doctrinam istis in Patribus illos fuisse deprehensuros, si Pelagianis & Semipelagianis nondùm exortis expendissent, quid vel ipsi felicibus illis temporibus, quibus florebant SS. Patres, in scriptis, aut ad plebem sermonibus habitis protulissent: collegissent subitò, non aliam futuram fuisse suam disserendi rationem, si tunc vitam egissent, quàm quæ fuit Sanctorum illorum Patrum, qui aliam damnatis illis hæresibus viam dubio procul iniissent, non absimilem ab accuratâ Theologorum nunc scribendi ratione. Primæ gratiæ causam antecedentem in homine positam nunquam ii professi fuerunt. Equidem Deum ut benignum; sed prudentem bonorum largitorem verbis suis expresserunt, qui tempus, locum, opportunitates & alia adjuncta in vocati commodum attemperet; nec continuò efficacissimæ gratiæ virtutem quibuscunque impertiat: imò & ea tunc, ut habet S. August. tract. 9. in epist. primam S. Joan. non secùs ac faber lignarius non dolatum lignum adamat, quid indè velit efficere apud se reputans: *Sic adamat quod inde facturus est, non illud quod est.* Non igitur naturæ quidquam tribuerunt antiqui, quod à Deo non esset acceptum; nec libero arbitrio adscribunt obsequii meritum. Similes enim dicendi rationes plerumquè in Scripturis occurrunt, quæ universam salutis œconomiam in Dei miserentis beneficientiam referunt.

Quid igitur contra Christi gratiam peccavit S. Justinus, qui non de fidei initio differit, sed de donis gratuitis; addit enim, *Atque hic quidem accepit intelligentiæ spiritum; ille autem consilii, alius fortitudinis, alius sanationis, alius doctrinæ, timoris Dei quispiam.*

S. Clem. Alex. & alii nihil aliud conficiebant, quàm ut libertatis integritatem commendarent: nec ante perceptam Christi doctrinam liberum arbitrium, si quid boni præstitit, volunt gratiæ beneficiis fuisse destitutum.

Origenis sententia mox relata de animarum lapsu ante infusionem in corpora, sequelas habet gratiæ Christi adversas admodùm. S. verò Hilarius in Psal. 117. *Inclina cor meum*, ait esse à nobis, cum oramus, exordium; ita ut munus à Deo sit. S. Greg. Naz. orat. 13. ad illud Math.

19. *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est*; docet singula Dei benignitate in nobis inchoari; & velle, non ex nobis, sed ex Dei misericordiâ & bonitate haberi. Et addit naturæ vim ad virtutem excitari cogitatione instar silicis, ex quo ignis excutitur: hæc autem cogitatio excitans est gratia Dei.

S. Chrysost. Deo tribuit, quæ Deus solus operatur; nobis verò, quæ nos cum Deo exequimur: & eo sensu loquitur de Abrahamo, cui Deus solus prȩstantia illa dona contulit, ut multarum gentium esset pater, & ut in ejus semine gentes omnes benedicerentur. Hæc autem Deus non prȩstitit, nisi postquàm Abrahamus credidit: fides enim ei reputata est ad justitiam, Rom. 4. sed non credidisset, nisi datum ipsi fuisset à Deo. Quòd verò nonnunquàm dicat nos à Deo non prȩveniri; id tantùm intelligit per modum determinantis ad unum, & vim & necessitatem inferentis; ita ut libertatis indifferentia tollatur: quod & sæpiùs repetit, tùm ob Manichȩos, qui liberum arbitrium negabant; tùm ad depellendam hominum vecordiam, ne scilicet crederent à Deo in omnibus se ita esse præviis auxiliis movendos, ut nihil sibi relinqueretur exequendum. Equidem hortatur ipse S. Chrysost. ad initium salutis; sed instar Apostoli Ephes. 5. scribentis: *Surge qui dormis, exurge à mortuis, & illuminabit te Christus*: non quòd vi naturæ possimus à peccati somno surgere, antequàm Christus nos illuminet; sed quia per Christi gratiam debemus à peccati veterno surgere, priusquàm perfectâ Christi gratiæ luce repleamur.

S. Hieron. nostrum esse velle, Dei verò quod volumus implere scripsit; non quòd nostrum sit velle absque ipsius Dei ope; sed quod aliqua velle gratiâ excitante adjuti possimus, quæ absque Dei adjumento non valeamus implere. A peccato quolibet vellemus quidem esse immunes, nec ullos inferioris partis motus experiri: sed hæc non consequemur, & cum S. Paulo profitebimur semper: *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* Deus solus facit, ut quæ cum ipso volumus, impleamus; quandò scilicet omnes nostros sanat languores. Porro noluisse unquàm S. Hieron. nostrum esse velle sine Dei ope, palàm est ex epist. ad Cthesiphont. *Velle & currere*, inquit *meum est: sed ipsum meum, sine Dei auxilio semper non erit meum: dicit enim idem Apostolus: Deus est qui operatur in nobis & velle, & perficere.* Idem ex ejus contra Pelagianos operibus est compertum.

Adeò non constitit S. Augustino de doctrinæ suæ novitate, ut qui antiquæ fidei fuerit studiosissimus, & in dogmate de Christi gratiâ antiquos sæpiùs laudarit Patres. Lib. enim de dono persev. cap. 19. SS. Cyprian. Greg. Naz. & Ambr. tanquàm suæ doctrinæ defensores in medium adducit. Ideò autem opus esse negat aliorum scrutari opera, quòd necesse iis non fuisset huic immorari quȩstioni. Cæterùm fidem eorum innotescere certò, ex continuis eorum & Ecclesiæ precibus supponebat; non enim postulassent à Deo, quæ præcepit fieri; nisi ab ipso donarentur, ut fierent. Simile aliquid S. August. protulerat epist. 49.

ad Deogratias: quęrentibus enim Ethnicis cur Christus tandiù incarnationem distulisset? Respondet, tempus quo credituri erant, cum expectasse. Cum autem illam ei doctrinam postmodùm opponerent Pelagiani; reponebat lib. de prædest. Sanct. cap. 9. de illis, quos æternæ prędestinationis suæ decreto gratiæ motui obsecuturos Deus cognoverat, se fuisse locutum.

Opp. 3. Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam: quod vetus effatum admittere videtur S. Thom. tùm in 2. sent. distinct. 28. quęst. 1. art. 4. in corp. ubi docet ad gratiam gratum facientem habendam, ex solo libero arbitrio posse hominem se præparare; faciendo enim quod in se est, gratiam à Deo consequitur: tùm etiam quęst. 14. de verit. art. 11. ad 1. ubi scribit homini in sylvis inter feras nutrito procul ab aliorum hominum societate, & rationis naturalis lumen in boni prosecutione, & mali fugâ sequenti, Deum, vel per internam inspirationem certò revelaturum quæ sunt fidei: vel aliquem fidei prędicatorem, Angelum, aut hominem ad eum directurum, sicut & Act. 10. Cornelium Petri ministerio edocuit. Igitur naturæ viribus elicita opera electioni ad primam gratiam præeunt & inserviunt.

R. homini facienti quod in se est ex gratiæ sibi à Deo merè gratìs collatæ beneficio, Deum gratiam alteram vel habitualem, vel actualem impertiri. Ità S. Thom. 1. 2. q. 109. art. 6. ad 2. & 3. & quæst. 112 art. 3. ad 1. & S. Bonaventur in 2. sent. distinct. 28. art. 2. quęst. 1/ neque enim illi, qui facit quod in se est ex solis naturæ viribus, debetur gratia; alioquin gratia non esset gratia; nec Deus Rom. 9. misereretur cujus vult, ut qui ad miserendum humanâ virtute moveretur; nec homo gloriari deberet in Domino, 2. Cor. 10. sed in seipso; sicque immeritò diceret S. Aug. tract. 26. in Joan. *Quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle dijudicare, si non vis errare.* Theologi quidam divinæ gratiæ donum ejuscemodi homini ineffallibiliter concessum iri censent, quòd in hominum gratiam pactum illud cum Patre Christum iniisse supponant, & consequenter pollicitum facienti quod in se est, nullatenùs gratiam esse defuturam. Sed undè fœdus illud fuerit acceptum, mihi omninò non constat; nihil enim in sacris codicibus, nec in apostolicâ traditione occurrit, quod sententiæ illi faveat. Addo propositionem istam ex 14. undecimam (conanti ex naturâ datur gratia) coram Clem. VIII. in congreg. de auxiliis congreg. 11. 12. 24. 26. & 33. consultoribus à mente Cassiani doctrinæ Semipelagianorum addicti visam fuisse non omninò alienam.

Insuper S. Thom. lib. 2. ad Hannib. Card. distinct. 29. art. 11. & 12. q. 109. art. 6. & alibi, sine gratiæ auxilio ad gratiam parare se posse neminem probat. Ad priorem S. Thomæ locum respondet Sylvius aliud nihil velle Sanct. Thomam, quàm ad gratiam habitualem habendam alterâ gratiâ habituali homines non indigere; nequaquàm verò ab agente quod in se est, gratiam actualem excludere. In alio autem loco S. Doctor non loquitur de homine, qui solius naturæ beneficio, sed cujusdam actualis gratiæ auxilio naturæ legem servet: undè in

exemplum Cornelium adducit, cujus orationes & eleemosynæ ad Deum ascenderant. Et reverâ S. August. lib. de prædest. Sanct. cap. 7. docet Cornelium non sine aliquâ fide pauperibus fuisse subsidio: quod & expressit ipse S. Thomas, 2. 2. quęst. 10. art. 4. ad 3. his verbis: *De Cornelio sciendum est, quòd infidelis non erat: alioquin ejus operatio accepta non fuisset Deo, cui sine fide nullus potest placere.*

INSTANT alii. Deus fieret personarum acceptor, nisi gratiæ beneficium facienti quod in se est, largiretur.

R. Deum primam gratiam ex justitiâ non impertire, sed ex misericordiâ; quandoquidem peccati originalis rei homines singuli jure ad primam gratiam exciderunt. Nec indè sequitur libertatem lędi; cum ei vim non inferat gratia; sed illustret, & ad consensum moveat, reluctandi integrâ facultate relictâ. Undè S. Bernard. lib. de grat. & lib. arbit. cap. 1. *Tolle liberum arbitrium*, inquit, *& non erit quod salvetur: Tolle gratiam, non erit undè salvetur. Opus hoc sine duobus effici non potest, consensu accipientis, & gratiâ dantis.*

Si nobis ipsis morem gessissemus, res citiùs longè fuisset confecta: ubi enim constitisset nobis, nec in Scripturâ, nec in Apostolicâ Traditione contineri verba illa, facienti quod in se est, Deum non denegare gratiam; nullius ea esse debere apud Catholicos ponderis fuisset certum.

ARTICULUS QUARTUS.

An ad gloriam prædestinatio sit ex meritis prævisis? an merè gratuita?

DE prædestinatione ad primam gratiam inter catholicos nulla fermè controversia superest. Circa prædestinationem ad gloriam non ea est animorum consensio; cum prædestinationem isti ex meritis pręvisis, alii ex Dei beneplacito repetant. In re abstrusissimâ S. Augustini doctrinam tùm ab antiquis Pontificibus ut Horsmidâ in epist. ad Possessorem, & aliis; tùm à Patribus coætaneis & sequentibus servatam, præferendam esse censui. De tanti doctoris mente moveri controversiam non ignoro; sed hanc non esse ęquam probat eruditissimus Petavius, cui assentior simul, & asseveranti ad fidem non pertinere quæstionem istam, & cuique liberum esse alterutram seligere opinionem, pręsertim cum Cœlestin. Pontifex epist. 1. ad Episco. Gall. Pelagianæ hęreseos capitibus pręcipuis damnatis, sic constituat: *Profundiores verò, difficilioresque partes occurrentium quæstionum, quas latiùs pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ità non necesse habemus adstruere.* Ad has autem profundiores quæstiones controversia de prædestinatione ad gloriam videtur referenda.

Ideò in S. Aug. sententiam descendo, ut dixi, quòd in altissimo de gratiâ mysterio fuerit versatissimus; quòd illius doctrinam tantoperè Pon-

tifices & Synodi commendarint; quòdque sanctissimi viri eruditione sacrâ commendabiles admodùm, eam fuerint amplexi.

Statim, Fateor, reluctatur animus, nec facile intelligit, quomodò vita æterna in operum mercedem nobis promittatur, nemini non offeratur, peccatoris mortem nolit Deus; & tamen ab æterno in peccati originalis pœnam plures Dei decreto ab illâ vitâ removeantur, seu ad eam assequendam non destinentur. Sed ubi, quæ alteri sententiæ adversari videntur, attentâ mente pondero: non levioris momenti difficultates in illius opinionis defensione mihi occurrunt: cum enim non nisi ex Dei beneplacito gratia prima gratis concedatur; beneficio illo non concesso, nulla ęternæ vitæ consequendæ sit ratio; infantibus istis baptismi gratia, aliis verò non impertiatur; perseverantiæ donum nemini sit debitum, sed singulare Dei donum habeatur; ab ęterno Deus, quidquid singulis foret obventurum recto aut pravo beneficiorum suorum usu, pręsenserit; non in leviores angustias me conjectum fui expertus. Undè cum de quęstione istâ silere non possem, mihi tutò iri consultum existimavi, si tanti nominis magistro cum tam eximiis viris mox laudatis, semotâ omni ęstuosâ contentione adhęrêrem.

CONCL. Ad gloriam electio, seu prędestinatio, positâ peccati originalis labe, non ex meritis pręvisis, sed ex gratuitâ Dei benignitate oritur.

Prob. 1. Quod ex pręvio Dei beneplacito pendet, & nullum, aut actuale, aut futurum, aut pręvisum meritum exigit; ad unicam Dei benignitatem est referendum. At prędestinatio ad gloriam est ejusmodi. Ex unico Dei beneplacito pendet: nam Luc. 12. *Nolite timere pusillus grex*, inquit, Christus ad discipulos, *quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Pusillus autem ille grex, est electorum cœtus, quem in personâ discipulorum alloquitur, & cui pater ex puro voluntatis beneplacito regnum largitur, non meritorum actualium, futurorum, vel pręvisorum ratione habitâ. Joan. 15. *Non vos me elegistis: sed ego elegi vos & posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Rom. 8. *Quos prædestinavit, hos & vocavit .... justificavit ... glorificavit.* Rom. 9. *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali* (Jacob & Esaü) *ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei; quia major serviet minori; sicut scriptum est: Jacob dilexi; Esau autem odio habui.* Jacobum Esaü prętulit Deus, non ob pręstantia Jacobi opera, vel pręstita, vel pręstanda; sed antequam quidquam boni confecisset; & ut propositum Dei maneret secundum electionem non ex operibus, sed ex Dei voluntate factam; & ut manifestaretur quod dictum est Moysi Exod. 33. *Miserebor cujus voluero; & clemens ero in quem mihi placuerit.* Undè infert S. Paulus, Rom. 9. *Igitur non volentis, neque currentis; sed miserentis est Dei.*

Porrò si dilectio Jacobi fuisset ex meritis pręvisis; non esset Dei miserentis munus, sed Jacobi meritorum merces; nec tantùm esset vocantis Dei beneficium, sed pręcognitorum Jacobi operum pręmium; quod

utrumque negat Apostolus. Sed quia indè poterant inferre nonnulli, Deum de hominibus injustè conqueri, si totum humanæ salutis opus ex ejus voluntate pendeat; hunc ut animis eximat scrupulum Apostolus, non ad opera prævisa, sed ad figuli confugit exemplum, Rom. 9. *O homo tu quis es qui respondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me finxisti sic? an non habet potestatem figulus luti ex eâdem massâ facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Sic.* Jerem. 18. *Sicut lutum in manu figuli; ità in manu meâ vos domus Israël.*

Qui S. Apostolum, aut de solis naturæ operibus intelligunt; aut de unicâ Jacobi felicitate temporali, ut qui Esaü in posteris fuerit præpositus; aut de solâ prædestinatione ad gratiam sermonem habere contendunt; ad ejusdem Apostoli mentem & propositum non videntur attendere: quod apertè prorsùs indicat S. Aug. tùm epist. 103. ad Sixt. tùm Enchir. cap. 98. tùm etiam lib. 1. cont. duas epist. Pelag. cap. 7. ubi hæc habet: *propter quod profectò desipitis, qui, dicente veritate: non ex operibus, sed ex vocante dictum est; vos dicitis ex futuris operibus, quæ Deus illum facturum esse præsciebat, Jacob fuisse dilectum: atque ità contradicitur Apostolo dicenti, non ex operibus; quasi non posset dicere, non ex præsentibus, sed ex futuris operibus.* Adeò non de temporali prælatione S. Paulus loquitur; quin imò de solis animorum calamitatibus & remediis disserit: nec aliud sibi proponit, quàm in animi demissionem adducere Judæos & gentiles; quod ut conficiat, peccato nullum non teneri hominum, & nemini gratiæ Christi beneficium deberi docet, atque probat. Hâc æmulatione non levi ex gentibus & ex Synagogâ conversi à se invicem diffidebant: jactitabant quippè Judæi gentibus se verè antepositos, ut potè Abrahæ posteros, quibus legis prærogativa fuerat concessa, Messias promissus, & ad quos hereditario jure promissiones propheticæ pertinerent. Repulsos verò, & repellendos fuisse à Dei beneficiis Judæos, in æquissimam tot scelerum & Deicidii perpetrati pœnam gentiles conversi disputabant. Erant autem utrique comprimendi & suam omnem in eo efficiendo operam collocat Apostolus. Igitur non in terrenis beneficiis, aut commendandis, aut elevandis laborat; sed in solius gratiæ per mediatorem donis illustrandis; quod totius est epist. propositum. Undè Rom. 8. ℣. 21. *Reliqui mihi septem millia virorum qui non curvavere genua ante Baal: sic ergo in hoc tempore reliquiæ secundùm electionem gratiæ salvæ factæ sunt: si autem ex gratiâ, jam non ex operibus: alioquin jam gratia non est gratia.* Nec ait S. Paulus relicta sunt, aut remanserunt septem millia virorum, ne propter opera viderentur relicta; sed *ego reliqui mihi*, ut gratiæ munus elucesceret, & ideò reliquias dicit salvari secundum electionem gratiæ. *Hinc* exclamarat cap. 9. *O altitudo! quis cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? aut quis dedit illi prior, & retribuetur ei?* Hæc est expositio S. Aug. cap. 98. Enchir.

Eadem doctrina in singulis fermè S. Pauli epistolis est conspicua. Ephes. quippè 1. *Elegit nos in ipso* (scilicet Christo) *ante constitutionem mundi, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in cha-*

ritate. Non ait: elegit nos ob bonum liberi arbitrii, vel gratiæ usum; sed secundum propositum voluntatis suæ, idque in laudem gloriæ gratiæ suæ. Subdit enim Sanct. Paulus: *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ.* Non solùm de electis ad gratiam, sed & ad gloriam ibi disserit: prius enim scripserat, *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus.* Hæc est consecutio & expositio S. August. lib. de prędest. Sanct. cap. 18. & S. Hieron. in hunc locum. Hoc & addit in eodem capite S. Paulus: *In quo etiam & nos sorte vocati sumus prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* At ubi sors est, ibi nulla meritorum ratio. Igitur ex Scripturis, juxta SS. Patrum contra grassantes suis temporibus hęreses interpretationem, merè gratuita est ad gloriam prędestinatio.

1. S. August. lib. de corrept. & grat. cap. 7. de prędestinatis ad gloriam sic definit: *Electi sunt ad regnandum cum Christo*; seu Christus eos elegit, ut obtineant regnum. Et ibidem: *Quicumque ab illâ originali damnatione istâ divinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium quòd & procuratur eis audiendum Evangelium, & cum audiunt credunt, & in fide quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverant.... & nonnulli acceptâ gratiâ in quâlibet ætate, periculis hujus vitæ mortis celeritate subtrahuntur. Hæc enim operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in filios suos ante constitutionem mundi per electionem gratiæ. Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia.* Ergò quæcumque prædestinatis à Deo conferuntur beneficia, ad prædestinationis decretum oportet referre, ut fidem, & in fide firmitatem, & in charitate constantiam. Quæ doctrina penitùs Pelagianæ reluctabatur, quæ hominum ad gloriam electionem ex prævisis meritis repetebat. Et cap. 8. ejusdem libri, cum inquirit S. Aug. cur Deus uni, & non alteri perseverantiam concedat? cur justum de præsentis vitæ periculis non rapiat? cur filios quosdam fidelium absque baptismo decedere patiatur, & à regno repellat; gentilium verò filiis quandoque baptismo donatis regni gloriam impertiat? An ad meritorum pręscientiam, ut has explicet difficultates, confugit? nullatenùs; sed exclamat cum Apostolo: *O homo tu quis es, qui respondeas Deo? ô altitudo* &c. Eandem doctrinam adhuc expressit ipse Sanctus Augustinus epist. 105. lib. de bono perseverantiæ, cap. 9. & in Enchir. c. 98. ubi hæc scribit: *Si futura opera, vel bona hujus, vel mala illius, quæ Deus utique præsciebat, vellet intelligi; nequaquàm diceret, non ex operibus; sed diceret, ex futuris operibus; eoque modo istam solveret quæstionem; imò nullam, quam solvi opus esset, faceret quæstionem.* Et proindè negat fieri electionem ad gloriam intuitu meritorum. Item lib. de bono persev. cap. 13. *Undè satis dilucidè ostenditur, & inchoandi, & usque in finem perseverandi gratiam Dei non secundum merita nostra dari, sed dari secundum ipsius secretissimam, eandemque justissimam,*

simam, beneficentissimam, sapientissimam voluntatem; quoniam quos prædestinavit, ipsos & vocavit vocatione illâ, de quâ dictum est: sine pœnitentiâ dona sunt & vocatio Dei. Igitur si gratia perseverandi usque in finem ex meritis non sit, nec etiam erit ex operibus ad gloriam prædestinatio. S. Augustini loca innumera forent exscribenda, si congerere singula in votis esset. Qui alia exoptarit legat lib. de prędest. Sanct. lib. cont. Julian. &c.

Hanc S. Augustini doctrinam ejus discipuli summæ pietatis & eruditionis viri SS. Prosper, Fulgent. & alii propugnarunt. S. Prosper lib. 1. de vocat. cap. 17.ità scribit: *Sunt qui longam agentes in flagitiis vitam in ipsius fine baptismo renovantur, & sine ullo bonorum operum consortio transferuntur in regni cœlestis consortium.* Et carmine de ingratis cap. 18.

Per stupra, per cædes vitam duxêre nefandam;
Et tàmen incumbente obitu, jam limite in ipso
Extremi flatûs, miserantem nocte remotâ
Cognovêre Deum: purgatorisque lavacri
Munere, nulla mali linquentis signa prioris
Exempti mundo, mutarunt tartara cœlo.
Quæ merita hîc numeras? &c.

S. Fulgent. cap. 3. lib. de fide ad Petrum: *Illi cum Christo regnabunt, quos Deus gratuitâ bonitate suâ prædestinavit ad regnum...... quos Deus gratìs nullo bonæ voluntatis, vel boni operis merito præcedendente salvavit.* Et lib. 1. de veritate prædest. cap. 4. *Non ergò quos eligeret, aut sanctos, aut immaculatos invenit, aut inveniendos esse præscivit. Ex ipsis, quos voluerit, dignos facit. Hâc misericordiâ prævenitur Jacob, non secundum meritum præteriti, vel futuri cujusdam humani operis; sed secundum propositum Dei prædestinantis, priusquàm nasceretur, electus est.* Et posteà: *Ex istis duobus fratribus quos ex Isaac unus conceptus accepit, unus in lucem partus effudit; sola, quem voluit, à massâ damnationis misericordia divina discrevit: cui patrocinata est divinorum discretio munerum, non futurorum præscientia meritorum.* Discretio illa est ad gloriam electio: at non fit ex meritis præteritis, vel futuris; sed ex Dei benignitate. Idem quoque docet lib. 3. de veritate prædestinationis, cap. 2. in illud Rom. 8. *Quos prædestinavit &c. omnes isti prædestinati*, inquit, *sic vocantur, ut justificentur; sic justificantur, ut glorificentur; ac per hoc prædestinavit quos voluit, & ad opera bona, & ad præmia sempiterna: prædestinavit ad vitam bonam; prædestinavit ad vitam æternam; prædestinavit ad fidem.*

Ea fuit S. Greg. Mag. sententia, subsequentiumque Pontificum, & Patrum, necnon nominis amplissimi Theologorum, ut Magistri Sentent. S. Thomæ, Scoti, Durandi, Ægidii Rom. Dionysii Carthus. Cajet. Bannezii, Majoris, Antonini, Tostati, Soti, Bellarm. Estii, & Sylvii, qui duo posteriores addunt decretum Scholæ Paris. an. 1347. &c.

Proferuntur ab illis Theologis rationes momenti gravissimi ex Scripturis sacris, & ex sanctis Patribus deductæ.

1. Electorum ad gloriam secretio inter judicia Dei incomprehensibilia refertur ab Apost. ideò exclamat, *ô altitudo divitiarum* &c. Si verò ex prævisis meritis ad gloriam repeteretur, non suppeteret exclamandi ratio: non esset cur Concil. Trident. sess. 6. hanc electionem arcanum vocaret mysterium: non esset cur prędestinatio sortis nomine designaretur; ut Ephes. 1. *Sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*: Coloss. 1. *Dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum*: Item Dan. 2. Sap. 3. Ps. 124. & Act. 26. Non enim aliâ ratione sortis nomine potest nuncupari, quàm quia nullam habet à nobis causam; quinimò soli Dei proposito tota debetur, juxta illud Psalm. 17. *Salvum me fecit, quoniam voluit me.*

2. Alia non est ratio prædestinationis Christi, ut capitis, quàm membrorum; alia non est parvulorum, quàm adultorum. Natura autem humana nullis meritis, nec prævisis, nec futuris, sibi comparavit, ut Verbo Dei hypostaticè conjungeretur: ità S. Aug. lib. de prędest. Sanct. cap. 15. Infantes pariter, qui decedunt baptisati, non ex prævisis meritis nunquàm futuris prædestinantur; ut habet idem S. Aug. lib. de bono persev. cap. 11. igitur nec adulti. Nec ob parentum merita parvuli à reprobis secernuntur, cum ex fidelibus justis oriundi baptismate sæpiùs priventur; ex infidelibus verò nati non raò abluantur. Quod exemplum ægrè ferebant Semipelagiani, sicuti patet ex epist. S. Hilarii Arelat. ad S. Augustinum, cujus hæc sunt verba ex libro de bono persever. cap. 3. deprompta: *Ex duobus parvulis peccato originali pariter obstrictis, cur iste aßumatur, ille relinquatur? Et ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iste ità vocetur, aut non ità vocetur? inscrutabilia sunt judicia Dei. Ex duobus autem piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem; illi autem non donetur? inscrutabiliora sunt judicia Dei. Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse: nam si fuißent ex nobis, ait unus prædestinatorum, qui de pectore Domini biberat hoc secretum, mansissent utique nobiscum.* Cum autem ad opera prævisa confugerent Semipelagiani, eos adhuc ità repellebat S. August. lib. 2. ad Bonifac. cap. 7. *Ut vobis auferretur omnis vestræ caliginis latebra; propterea geminos tales proposui, qui neque parentum meritis juvarentur, & ambo infantiæ primordio unus baptisatus, alter sine baptismo morerentur, ne diceretis Deum (sicut de Jacob & Esaü contra Apostolum dicitis) opera eorum futura præsciiße.* Et paulò post: *Quid prodest eis, qui rapiuntur ex hâc vitâ, ne malitia mutet intellectum eorum, aut ne fictio decipiat animam eorum; si peccatum etiam quod non est factum, dictum, cogitatum, tanquam commissum fuerit, sic punitur.* Nec infantium secretio, parentum negligentiæ, aut diligentiæ tribuenda est; quia ex S. Aug. lib. de bono persev. cap. 12. *Plerumquè enim festinantibus parentibus, & paratis ministris, ut baptismus parvulo detur;*

Deo tamen nolente non datur, qui eum paululùm in hâc vitâ non tenuit, ut daretur.

Addunt Theologi agens sapientissimum finem sibi prius proponere, quam media; præsertim cum penes illum sit pro arbitrio de illis sancire. Porrò finis ultimus est æterna gloria; media verò sunt hominum merita: proindèque gloriæ largitio à Deo primùm intenditur, 2. loco merita. Sententiam suam S. Aug. authoritate confirmant: non enim aliter de finali perseverantiâ, & de utrâque ad gratiam & gloriam prædestinatione dissérit: Unde lib. de grat. & lib. arb. cap. 6. *Dona sua coronat Deus, non merita tua. Si tibi à teipso, non ab illo sunt merita tua; hæc enim, si talia sunt, mala sunt, quæ non coronat Deus; si autem bona sunt, Dei dona sunt.*

OPP. 1. Hominum ad gloriam electio in merita refertur ex Scripturis: nam Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esurivi enim, & dedistis mihi manducare, &c.* Rom. 8. *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui.* 1. Cor. 2. *Oculus non vidit, nec auris audivit, quæ Deus præparavit iis, qui diligunt illum.* 2. Timoth. 2. *In magnâ domo non solum sunt vasa aurea, & argenteà; sed & lignea, & fictilia; & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Siquis ergò emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum.* Jacob. 2. *Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se.* Igitur eleemosynæ, Christi accuratæ imitationi, dilectioni, pœnitentiæ sinceræ, fidei amplitudini, æterna gloria in mercedem rependitur.

R. Matth. 25. de gloriâ sermonem haberi, non ut paratâ, seu de destinatione ad eam; sed ut possidendâ, seu de ipsius consecutione: non enim ad *paratum regnum* refertur particula *enim*, sed ad *esurivi*: sicut & ubi de reprobis eadem particula refertur ad verbum *discedite*, non verò addictionem *paratum*; quia ignis solis dæmonibus ibi dicitur paratus. Igitur, inquit Christus, regnum ab æterno prædestinationis gratiâ vobis paratum, accipite in præmium mihi erogatæ eleemosynæ; non enim gratis, seu non nisi operum merito comparatum adultis conceditur. Undè dicitur, *esurivi*, non esuriturus eram: item *dedistis mihi manducare*, non daturi eratis &c. Sic meritorum prævisionem nullatenùs agnoscit Apostolus, tanquam prædestinationis causam.

Ad locum ex Romanorum octavo desumptum respondeo, verborum illorum sensum non esse, Deum illos prædestinasse, quos præscivit conformes futuros imaginis filii sui; adeò ut præscientia futuræ conformitatis cum Christo fuerit causa prædestinationis: sed sensum eorum esse Deum illos prædestinando, ipsorum merita in suâ prædestinatione præscivisse. Undè ista cum Christo conformitas non est prædestinationis ratio seu causa, sed terminus illius vel effectus; quemadmodum ex hoc Apostoli loco rectè colligit Sanctus Thomas ibidem lectione sextâ. Vocabulo autem *præscivit*, hîc ut & alibi, vel approbationis scientia, vel Dei prædestinantis decretum intelligitur, ut Rom. 11. *Non repulit Deus*

plebem suam, quam præscivit, id est prædestinavit, sicut docet S. Aug. lib. de lib. de bono persev. cap. 18. his verbis, *Quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus præscientiam Dei, & agitur de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere oportet.*

Ad 1. Corinth. 2. respond. bona parata alia non esse cogitanda, præter salutem & gloriam mirabili ordinatione procurandam; quod beneficium non nisi per revelationem ipsis Angelis voluit esse cognitum: Ità enim cap. 64. Isaïas, quem laudat Apostolus: *Oculus non vidit, Deus absque te.* Et juxta textum Hebraïcum, *præter te*: quæ verba, si de dilectione gratiam antevertente intelligerentur, blasphema esset expositio. Igitur illa decet referre ad dilectionis mercedem, quæ Dei est visio juxta illud Christi Joan. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Gratuita ergo est ad gloriam destinatio, & soli dilectioni rependitur.

In 2. Timothæi 2. ut & alibi, prædestinationis signum & effectus pro ipsâ prædestinatione sumuntur: non ait quippè Paulus; *Si quis emundaverit se ab istis, fiet vas in honorem*; sed *erit vas in honorem*, quia sincerum emendationis consequendæ studium, verus est prædestinationis effectus. De subversâ quorumdam fide, ut Hymenæi, dolorem suum ubi fuit testificatus, non omnium fidem periclitari asserit ℣. 19. *Sed firmum fundamentum Dei stat habens signaculum hoc: cognovit Dominus qui sunt ejus; & discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini.* Signaculum illud, *cognovit Dominus qui sunt ejus*, quo vasa in honorem secernuntur, esse hominibus incognitum dicit Apostolus, & ideò de quorumdam fidelium casu non esse mirandum, quòd in magna domo quædam sint vasa in honorem, alia in contumeliam: nec rebus nostris propterea desperandum; imò divinæ misericordiæ confidendum eò magis, quòd nos ab errorum & peccatorum sordibus puros cautiùs servaverimus. Nam indè fiet compertum, electionis beneficia in nobis perfici; quippè, *elegit nos, ut essemus immaculati*, non quia eramus immaculati, aut tales eramus futuri.

Ad locum ex Jacobi 2. depromptum respondeo cum S. Aug. lib. de prędest. Sanct. cap. 17. à Deo eligi homines, ut sint fideles, non quia erant: *Eligendo*, inquit, *facit divites in fide, sicut hæredes regni.* Intelligere igitur oportet vocationem, quâ fiunt electi: non enim eliguntur, quia crediderunt: sed eliguntur, ut credant. Undè electio in nobis dilectionem antevertit; in Deo verò electio dilectionem sequitur.

OPP. 2. Semipelag. asserere, uti testatur S. Prosper epist. ad S. Aug. unanimi antiquiorum Patrum sententiæ, ut S. Iren. S. Clem. Alex. Orig. S. Hil. S. Amb. S. Chrysost. inconsultò & irreverenter S. Aug. refragari. S. enim Iren. ait lib. 4. adv. hæres. cap. 38. ex futurorum præscientiâ dictum esse: *Jacob dilexi, Esau odio habui*: & cap. 48. Deum ex operum prævisione infidelitati tradere, quos scit non esse credituros.

Origen. in epist. ad Rom. dicit, futuris hominum operibus inspectis, de sortibus nostris Deum decernere,

S. Hil. in illud Ps. 64. *Beatus quem elegisti*: Scribit electionem non esse rem indiscreti judicii, sed ex meriti delectu factam discretionem.

S. Amb. lib. 3. de fide ad Gratianum Imper. cap. 2. docet Deum non priùs prædestinasse, quàm præsciret: sed eorum præmia prædestinasse, quorum merita præsciverat.

S. Chrysost. Hom. 8. in Matth. asserit hæc Verba, *Percipite regnum quod vobis paratum est*, idem significare, ac si diceretur, *antequam nati sitis; quia sciebam vos hujusmodi futuros, hæc vobis à me præparata fuere.* Item Hom. 31. in Matth. affirmat à Christo tunc fuisse vocatum Matthæum, cum affectus sic erat, ut vocanti morem esset gesturus.

S. Hier. tradit in epist. ad Hedibiam quæst. 10. Deum non salvare sine ratione, & absque judicii veritate; sed causis præcedentibus: nec Gentes eligi, sed hominum voluntates. Et in cap. 1. Malach. scribit, nasci ex futurorum præscientiâ Dei dilectionem.

R. Cum S. Aug. lib. de prædest. Sanctorum cap. 14. opus non esse, ut eorum saltem scrutemur opuscula, qui, priusquam ista oriretur hæresis, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari: Quod proculdubio fecissent, inquit, si de talibus quæstionibus respondendi necessitas ulli incubuisset. Attamen de gratiâ Dei quæ fides esset tenenda, quandoque docuerunt, licet obiter; cum in confutandis Ecclesiæ inimicis omnem adhiberent diligentiam. Addit lib. de bono persev. c. 20. singulas quasque hæreses intulisse Ecclesiæ proprias quæstiones, contra quas longè diligentiùs Scriptura Sacra defenderetur, quàm si nulla talis necessitas cogeret. Neque talis responsio videri debet omninò singularis; cum S. Hieronymus lib. 1. Apol adversus Ruffin. moneat, nondùm Alexandriæ exorto Ario, quędam à scriptoribus Ecclesiasticis innocenter & minùs cautè prolata non potuisse hominum perversorum calumniam declinare, & in partes suas eos adducere ausum fuisse Arium in epist. ad Eusebium Nicom. à Theod. lib. 1. Hist. cap. 4. relatâ: quæ singula erunt in aperto, si Patrum dicta expendantur.

S. Iren. in hoc est totus, ut Deo nihil esse ignotum probet; quod, quâ ratione prædestinationi officiat, sanè non video.

Orig. inaniter opponitur, cum ex S. Hier. epist. ad Ctesiph. Pelagii doctrina sit Origenis ramusculus: Nec mirum perfectò; cum prædestinationis causam in prioris vitæ merita referendam esse putaverit, existimans animas ante mandi fabricam fuisse à Deo conditas.

Arnobius adducitur à quibusdam in Psalm. non-ges. & 91. sed hic alius est longè ab illo famoso Rhetore, Lactantii præceptore, & acerrimo Christianæ Religionis vindice, ex quo si quid nobis objiceretur, tantæ id nobis esset reverentiæ, quantæ contemptioni ac despicientiæ, quod in medium adducitur ex pravo illo Psalmorum explanatore, utpotè qui de peccato originali cum Pelagio idem omninò senserit. Quam ob causam inter Scriptores Apocryphos cum suo in decreto retulit Gelasius S. Pont.

S. Hilar. de electione in ordine executionis consideratâ loquitur; cum nempè gloria mercedis instar rependitur.

S. Amb. pariter de prędestinationis executione differit; aut Deum nihil facere fortuitò contendit; aut præscientiæ nomine Dei prędestinantis decretum intelligit: nam ex S. Aug. lib. de bono persev. cap. 18. *Quandò apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de vocatione electorum, nihil nos prohibet illam præscientiam intelligere prædestinationem.*

Si quid opponatur ex Comment. in beatum Paulum dictis Ambrosianis, nulla fides iis habenda est: opus enim illud nequaquam est S. Ambrosii; tùm quia illius author in pluribus à S. Amb. doctrinâ recedit; tùm quia Pelagius S. Augustino ex his commentariis nihil opposuit, licet in ipsis sint permulta, quæ Pelagianum redolent errorem.

S. Chrisost. gratuitam docuit prędestinationem ad æternam salutem: Nam Homil. 1. in epist. ad Coloss. in hęc Apostoli verba, *in partem sortis Sanctorum*, ait S. Paulum ostendisse neminem propriis operibus bonis cæleste regnum assequi, sed hoc totum Dei beneficio esse tribuendum. Idem colligit Hom. 12. & 24. in 1. ad Cor. & Hom. 3. in 2. ad Thess. Undè verisimile prorsùs est, ipsum S. Chrysostomum non aliter sensisse in locis in objectione laudatis: non quidem in Homil. 80. in S. Matth. ad hæc Christi verba, *percipite regnum quod vobis paratum est:* Nam ibi vult dumtaxat Deum electis gratiam præordinasse, ut gloriam mereantur; non verò Deum electis ob merita gloriam decrevisse. Non etiam in Hom. 31. in eundem, ubi scribit, ipsum à Christo tunc fuisse vocatum, cum vocanti obsecuturum esse vidit: etenim loquitur de prædestinationis executione, non de ipsâ prædestinatione: effectus ergò prædestinationis fuit, ut Matthæus à Christo vocante ità dispositus esset, ut voci Christi & lumini Spiritus Sancti non obsisteret.

Similia S. Chrysostomi, Theodoreti, Theophilacti, & aliorum, tùm Grecorum, tùm Latinorum Patrum loca expositione simili, seu de prædestinationis executione sunt exponenda; ita ut opera justa vitam æternam in efficientis causæ aut meritoriæ genere prævertant: nec enim media intenduntur, nisi finis consequendi desiderium sit incitamento.

S. Hieron. priori loco ad salutem eligi homines tradit ratione bonarum voluntatum; sed quas electione suâ Deus ipse in illis operetur, ut gloriam suis consequantur meritis. In cap. 1. Malach. de approbationis præscientiâ loquitur; seu quos priùs dilexit, ut justi fierent, justos pręscit esse futuros. Quod spectat ad breves in omnes S. Pauli epistolas commentarios, ii sunt Pelagiani cujusdam scriptoris, & forsan ipsius Pelagii: S. enim August. lib. 3. de peccat. merit. & remiss. cap. 1 Pelagii commentarios breves in omnes S. Pauli epistolas se legisse narrat: Et cap. 12. quædam ex comment. in cap. 7. 1. ad Corint. exscribit, in quibus passim occurrunt Pelagianæ oberrationes, ut in cap. 5. 6. 7. 8. & 11. ad Rom. in c. 4. 1. ad Cor. in cap. 1. & 3. ad Philipp. & alibi.

O p p. 3. S. Aug. de prædest. & grat. cap. 15. justorum ab injustis secretionem in liberam eorum voluntatem, ut causam referre: *Nabuchodonosor*; inquit, *pœnitentiam meruit fructuosam: post innumeras impieta-*

tes flagellatum pœnituit, & regnum, quod perdiderat, rursùm accepit. Pharao ipsis flagellis durior est effectus, & periit. Quantùm ad naturam, ambo homines erant; quantùm ad dignitatem, ambo Reges; quantùm ad causam, ambo captivum populum Dei possidentes; quantùm ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergò fines eorum fecit esse diversos? nisi quod unus manum Dei sentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit; alter libero contra Dei misericordissimam veritatem arbitrio pugnavit. Lib. de prædestinat. Dei cap. 5. docet hos Deum ad gloriam prædestinasse, quos ipse suos fide & opere prænovit esse futuros. Lib. 83. quæst. 68. ità loquitur: *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat; sed hæc voluntas injusta esse non potest; venit enim de occultissimis meritis.* Lib. de spir. & litt. cap. 5. ait Deum præscivisse, ut prædestinaret. Tract. 76. in Joan. dicit Deum propter delectionem aliquos elegisse. Serm. 7. de verbis Domini secundum Math. scribit Deum quosdam secundum suam gratiam, & secundum illorum justitiam elegisse. Tandem lib. 1. ad Simplic. q. 2. hæc habet: *Quia manet Dei propositum, ut justificet credentes, ideò invenit opera quæ jam eligat ad regnum cœlorum: nam nisi esset electio, non essent electi, nec rectè diceretur, quis accusabit adversus electa Dei? non enim electio præcedit justificationem, sed electionem justificatio: nemo enim eligitur, nisi jam distans ab eo, qui rejicitur. Unde quod dictum est, quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem; non video quomodò sic dictum, nisi per præscientiam.*

R. 1. lib. de prædest. & grat. non esse S. August. cum nec in retractationum libris, nec à Possidio, nec ab ullo veteri authore laudetur, nec S. August. stylum sapiat. Insuper ille liber penitùs discrepat à doctrinâ S. Augustini, utpotè cum asserat potuisse hominem innocentem justè damnari, quamvis non peccasset; cujus tamen contrarium docet S. August. epist. 105. & 106. & lib. 2. de peccatorum merit. & remiss. cap. 16. & in lib. adversus Julian. Adhæc adde libri istius authorem nostræ non adversari sententiæ; cum justorum secretionem ab injustis liberæ eorum voluntati, tanquam causæ proximæ exequenti, non verò tanquam ultimæ seu primæ tribuat: mox enim adjungit ultimam resolutionem fieri in Dei voluntatem, qui unum misericorditer adjuvit, alterum justè deseruit. Quod & apertiùs confirmat cap. 16. ejusdem libri, ubi addit divinam hanc electionem non meritis reddi; sed solâ voluntatis munificentiâ hominibus donari. Eadem de lib. de Dei prædestinatione sunt dicenda; non enim est S. Augustini.

2. S. Augustinus lib. 83. quæst. q. 68. de reprobatione sermonem non habet, quæ nullatenùs esset justa, nisi ex peccatis proficisceretur: Justificatio autem aliam causam præter Dei voluntatem non habet.

3. lib. de Spir. & litt. præscientiæ vocabulo, approbationis scientiam, ut & aliis in locis intelligit. Et tract. 76. in Joan. de electione quoad executionem; non verò quoad intentionem, aut destinationem loquitur. Addo S. Austini sententiam de grat. & prædest. non esse ducendam ex libris quos ad fidem recens adductus, aut Presbyter, aut junior Episco-

pus consecratus scripsit, cujusmodi est expositio quarumdam propositionum epist. ad Rom. quam Carhagine Presbyter ediderat; quales sunt etiam libri ad Simplicianum, quos in sui Episcopatûs exordio scripsit: fatetur enim, dum prædictam quarumdam propositionum epistolæ ad Rom. expositionem scriberet, eo in errore, qui postmodùm fuit Semipelagianorum, tunc temporis versatum se fuisse. Ad hoc, inquit lib. 1. retract. cap. 23. *Perduxi ratiocinationem, ut dicam: non ergò elegit Deus opera cujuspiam in præscientiâ, ut quem crediturum esse præscivit, eum eligeret, cui Spiritum sanctum daret; ut bona operando, etiam vitam æternam consequeretur. Nondum diligentiùs quæsiveram, nec adhuc inveneram, qualis sit electio gratiæ, de quâ idem dicit Apostolus, reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt, quæ utique non est gratia, si eam merita ulla præcedant &c.* Idem adhuc expressit lib. de prædest. Sanct. cap. 3. ubi adducto hoc Apostoli loco, *quid autem habes quod non accepisti &c.* sic loquitur: *Quo præcipuè testimonio etiam ipse convictus sum; cum similiter cum Massiliensibus errarem, putans fidem, quâ in Deum credimus, non esse donum Dei; sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona.... neque enim fidem putabam gratiâ Dei præveniri, ut per illam nobis daretur, quod posceremus utiliter, nisi quia credere non possemus, si non crederet præconium veritatis. Ut autem prædicato nobis Evangelio consentiremus, nostrum esse proprium & ex nobis esse arbitrabar; quem meum errorem nonnulla opuscula satis indicant, ante Episcopatum meum scripta, in quibus est illud quod, commemorastis in litteris vestris (* alloquitur SS. Prosperum, & Hilar. Arelat. *) ubi est expositio quarumdam propositionum ex epistolâ, quæ est ad Rom.* Licet etiam lib. de bono persev. cap. 20. innuat à se debellatum fuisse dogma Pelagianum, antequam prodiret in lucem Pelagius; addit nihilominùs se non satis accuratè & diligenter egisse de prædestinatione, priusquam expugnandus fuisset hæreticus iste: *Hæc est prædestinatio manifesta & certa Sanctorum, quàm posteà diligentiùs & operosiùs; cùm jam contra Pelagium disputaremus, defendere necessitas compulit: didicimus enim singulas quasque hæreses intulisse Ecclesiæ proprias quæstiones, contra quas diligentiùs defenderetur Scriptura Divina, quàm si nulla talis cogeret necessitas.* Undè cum lib. ad Simplic. fuerint conscripti, priusquàm motus excitaret hæresis Pelagii, ut monet ipsemet lib. 1. Retract. cap. 1. ex iis germanus ejusdem doctoris sensus non est desumendus. Superest ergò, ut in prædestinationis negotio accuratam quæstionum explicationem ex lib. de prædest. Sanct. de bono persev. &c. decerpamus.

INST. Meminit S. Augustinus lib. 2. Tract. cap. 1. quæstionis illius ad Simplic. nec quidquam eorum retractat, quæ in eâ scripserat; quin imò quidquid ibi de gratiâ disserit, ità probat in lib. de Sanct. prædest. ut illuc remittat Massilienses Presbyteros, si veram ipsius de gratiâ sententiam velint habere.

R. S. Augustinum ad eam quæstionem remittere Massilienses, ut intelligant salutis initium, seu credendi voluntatem à Dei gratiâ proficisci;

cum

cum enim scribebat ad Simplicianum, jam intelligebat fidem esse Dei donum. Non indicat tamen cuncta, quæ scripsit ibi de electione & mente Apostoli, sibi fuisse certa: nam posteà contra Pelagianos pugnans electionis rationem aliter exposuit. Undè licet in libro ad Simplic. error nullus reperiatur circa fidei initium; attamen S. Aug tunc temporis gratiæ beneficia non ità perfectè noverat, ut cum ad hęresim Pelagianam maturior accessit.

Opp. 4. S. Prosper in resp. ad 12. object. Vincent. ità scribit: *Quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati: essent autem, si eßent reversuri, & in sanctitate & veritate mansuri.* Idem habet in resp. ad 7. Gallorum capitulum. S. Fulgent. lib. 1. ad Monim. cap. 14. *Prædestinavit ad regnum, quos ad se præscivit misericordiæ prævenientis auxilio redituros, & in se misericordiæ subsequentis auxilio esse mansuros.* S. Joan. Damasc. lib. 4. fidei orthodoxæ cap. 20. ad illud Apostoli: *An non habet potestatem figulus luti?* &c. *Hæc & illa efficit Deus, quia non est alius omnium opifex: non tamen ipse, vel nobilia, vel ignobilia efficit; verùm electio cujusque.* Item in dial. contra Manich. *Prævidens Deus ea, quæ nos sponte facturi eramus, ea scilicet quæ sunt in nostrà potestate, hoc est præmia & supplicia prædestinavit.*

R. S. Prosperum in utroque loco agere de reprobatione pœnas sensûs includente; quâ quidem ratione constat eam ex peccatis prævisis pendere. Addit autem futuros fuisse prædestinatos, si essent reversuri, & in bono reditu mansuri; quia perseverantiæ donum, & gloriam illis Deus parasset. Cur verò Deus eos ex hâc mortali vità non eripiat, cum sunt boni; vel quare post casum illos non liberet, inquit S. Prosper, *nec nostrûm quærere, nec possibile invenire.* Non igitur ipsorum discretionem meritis tribuit, licet requirat merita, ut æternam beatitudinem actu consequantur; quemadmodùm liquet ex lib. de vocat. Gent. cap. 35.

S. Fulgent. pręscientiam à prędestinatione distinguit tantummodò, & docet adeò nonnulla præsciri simul & prædestinari, cujusmodi sunt opera bona; alia solùm præsciri, non prędestinari, qualia sunt peccata. S. Damasc. in priori loco agit de merito humanorum operum, per quæ quivis seipsum honore vel ignominiâ dignum efficit. In posteriori verò indicat Deum non imprudenter & incautè operari. Insuper an dialogus iste contra Manich. inscriptus, sit ipsius S. Joannis Damasc. inter eruditos non constat.

Opp. 5. ex Apostolo, vita æterna tanquam justitiæ corona, bravium, & victoriæ pręmium conceditur. Idem constat ex Conc. Trid. sess. 6. Igitur non gratìs defertur, sed meritis persolvitur: quemadmodùm supplicia ęterna nonnisi reis in demeritorum pœnam infliguntur. Et verò si bonis operibus non prævisis gloriam Deus destinasset, reprobos superaret longè prędestinatorum numerus; cum Dei misericordia sit super omnia ipsius opera. At ex Math. 22. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Quo etiam pacto 1. Tim. 2. vellet Deus omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire? Præterea hæc de prędestinatione sententia

prorsùs divinæ benignitati & justitiæ adversatur: Deus enim nullâ libertatis habitâ ratione, quosdam ineluctabiliter ad gloriam eligeret; & alios à conspectu suo & felicitate repelleret. Quis porrò auditâ tali doctrinâ non in desperationem, non in legis & salutis contemptum impelleretur? An non si nota fieret, graviter peccaretur?

R. vitam æternam habere rationem coronæ, bravii, & mercedis, si spectetur in ordine executionis; secùs verò, si consideretur in ordine intentionis: nam ex S. Prospero lib. 1. de vocat. Gentium cap. 35. *Deus his, quos eligit sine meritis, dat undè ornantur ex meritis.* Quamobrem licet gloria concedatur propter merita; non tamen decernitur ex meritorum præscientiâ: nec enim idem est modus in intentione vel ordinatione Dei, qui reperitur in executione temporali; quia quæ priora sunt in intentione, posteriora sunt in executione. Neque eadem est ratio destinationis aliquorum ad pœnam æternam: nam, ut rectè docet S. August. lib. 3. contra Julianum cap. 18. *Bonus est Deus, justus est Deus, potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest sine malis meritis damnare, quia justus est.*

Ad secundam rationem in objectione adductam respondeo, justitiæ divinæ supereminere misericordiam; posito enim originali peccato, nihil quippiam homini orto ex illâ massâ corruptâ debetur, nisi damnatio. Ergò quibus gratia conceditur, gratìs & absque meritis conceditur. Minorem massæ vitiatæ partem Deus liberavit ex S. Augustino epist. 157. ut intelligeremus quid omnibus deberetur.

Ad tertiam rationem dico, hanc de prædestinatione sententiam rectè cohærere cum illâ generali voluntate Dei omnes salvos faciendi. Quid enim prohibet quominus universalis provisor antecedente voluntate, & inefficaci singulis ad salutem procurandam sufficientia media parare voluerit; quibusdam verò voluntate consequenti & efficaci efficacia providere.

Ad quartam resp. licet ista de gratuitâ prædestinatione doctrinâ Pelagianis atque Semipelagianis visa fuerit aspera; non ideò ab eâ S. Aug. S. Prosp. & S. Fulgent. fuêre deterriti; quin potiùs eam passim tradiderunt, & sæpiùs indicarunt plurimùm conducere ad gratiæ divinæ commendationem; ad superbiam retundendam; & ut cum timore ac tremore suam homines operentur salutem; Domino penitùs confidant; & in eo solo glorientur. Nec in eâ quæstione plus est difficultatis, quàm in reddendâ ratione, cur ex duobus infantibus originali peccato pariter obstrictis unus baptismate donetur, alter sine baptismo decedat? cur ex duobus jam ætate grandibus, iisque justis uni donum perseverantiæ concedatur, alteri non concedatur? Quemadmodùm ergò in his ad altitudinem secretorum Dei recurrimus, ità & in istis: *ô altitudo &c.* Undè prædestinationis mysterium à Prophetâ secretum horroris meritò nuncupatur. Præstat igitur cum Apostolo, & S. Augustino hâc in re obstupescere, quàm cum aliis philosophari.

E pulpito sacro amandanda dicebatur à Massiliensibus hæc doctrina,

ficuti conſtat ex litt. S. Proſperi & Hilarii Arelat. ad S. Auguſt. & ex eodem Aug. lib. de dono perſev. cap. 14. his verbis: *Aiunt prædeſtinationis definitionem utilitati prædicationis adverſari, quaſi verò adverſata ſit Apoſtolo prædicanti. Nonne ille Doctor Gentium in fide & veritate prædeſtinationem toties commendavit, & verbum Dei prædicare non deſtitit? .... Cur ergò prædicationi, præceptioni, exhortationi, quæ omnia frequentat Scriptura divina, exiſtimamus inutilem definitionem prædeſtinationis, quam commendat eadem divina Scriptura? Cur non à nobis prædicabitur prædeſtinatio, quæ ab Eccleſiæ Doctoribus publicè prædicata eſt? Hanc prædicavit Cyprianus; hanc Ambr. dicatur ergò verum, maximè ubi aliqua quæſtio, ut dicatur, impellit: & capiant qui poſſunt, ne fortè, cùm tacetur propter eos, qui capere non poſſunt, non ſolùm veritate fraudentur; verùm etiam falſitate capiantur, qui verum capere, quo caveatur falſitas, poſſunt*: quod fermè repetit cap. 17. Equidem, ſicut ipſe monet, ſumma eſt adhibenda cautio, ut auditorum, quibus prędeſtinationis myſterium prędicatur, infirmitati conſulatur. Quantùm verè Auguſtini ſententia à Calvinianâ hæreſi, quæ decreto abſoluto quoſlibet vel ad gloriam, vel ad pœnam nullo ſuppoſito peccato deſtinari conſtituit, diſcrepet, ex Conc. ſequenti patebit.

CONCL. II. Ad gloriam quorumdam prędeſtinatio gratuita peccatum originale ſupponit.

Prob. Rem ſępiùs confectam agimus, cum ex ſuperiorum S. Aug. locorum relatione ſit hæc doctrina ſępiùs deducta: nec Semipelagianorum objectionibus aliter occurrebat. Igitur, inquiebant illi, perſonarum acceptio eſſet apud Deum. Reſpondet S. Auguſt. ex Apoſtolo: *Numquid iniquitas eſt apud Deum?* Ergò reponit in eo non eſſe iniquitatem, quia ſub peccato continentur omnia. Cum ergò hominibus peccati reis nihil prętet pœnam deberet Deus; miſericordiam commendat ſuam, cum quibuſdam indulget; juſtitiam verò ſuam in his, quos in maſſâ corruptionis deſerit. S. Aug. epiſt. 46. contra Pelagianos, qui gloriam indè capeſſebant, quòd mereri ſe gratiam exiſtimarent, utitur his Apoſtoli verbis: *Quis te diſcernit? quod ideò dicit, quia de maſsâ perditionis illius, quæ facta eſt ex Adam, non diſcernit hominem, ut eum faciat vas in honorem, niſi Deus: quid habes quod non accepiſti?* &c. Item epiſt. 105. dicit acceptionem nullam fieri perſonarum, ubi una eſt eademque maſſa damnationis & offenſionis; quia univerſa iſta maſſa meritò damnata eſt. Undè contumeliam debitam reddit juſtitia; honorem donat indebitum gratia, non meriti prærogativa. Docet pariter epiſt. 157. Deum creaſſe, quos damnandos ipſe prędidit, ut ſuam juſtitiam & miſericordiam demonſtraret: *Meritò videretur injuſtum, quòd reprobi fiant vaſa iræ in perditionem, ſi non eſſet univerſa maſsa ex Adam damnata; quòd ergò fiunt indè naſcendo vaſa iræ, pertinet ad debitam pœnam.* Et Enchir. cap. 99. *Sola enim gratia redemptos diſcernit à perditis, quos in unam perditionis maſsam coacervaverat ab origine ducta cauſa communis.*

Aliam autem responsionem adjungit lib. 8. de Gen. ad Litt. cap. 6. & 7. ubi quærenti cur Deus homines, quos damnandos præsciebat, creavit, sic reponit: *Cur non crearet, quos scivit bonis esse profuturos, & justè pro suâ voluntate puniendos?* Doctrina hæc ex Rom. 9. est excerpta: respondens enim Paulus his, qui dicerent, *Voluntati ejus quis resistit?* Si nos reprobet, aut prędestinet, hæc effectum infallibiliter sortientur: *ô homo*, inquit, *tu quis es, qui respondeas Deo, numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: quid me fecisti sic?* Igitur gratuita quorumdam prędestinatio ad gloriam peccatum originale supponit. Quod S. August. his adhuc expressit verbis lib. de corrept. & grat. cap. 7. *Ac per hoc & qui non audierunt Evangelium, & qui eo audito in melius commutati perseverantiam non acceperunt, non sunt ab illâ conspersione discreti, quam constat esse damnatam, euntibus omnibus ex uno in condemnationem. Discernuntur autem non meritis suis, sed per gratiam mediatoris, hoc est in sanguine secundi Adam, justificati gratis. Itaque cum audimus quis te discernit? quid autem habes quod non accepisti? Ab illâ perditionis massâ, quæ facta est per primum Adam, debemus intelligere neminem posse discerni, nisi qui hoc donum habet, quisquis habet, quod gratiâ Salvatoris accepit.* Quæ blasphemæ consecutiones ex Calvini placito, à S. Augustini doctrinâ penitùs alienæ sequantur, non hîc exscribimus; cum & ipsi Calvinistæ ab illis modò nobiscum abhorreant.

Quęritur utrum eadem sit ratio Angelicæ prædestinationis?

R. S. Augustinum aliâ ratione de Angelorum prędestinatione differere, quàm hominum in præsenti statu naturæ lapsæ positorum: assignat enim prævisa Angelorum merita pro eorum prædestinationis causâ, aitque ipsos stetisse per liberum arbitrium: ità quippè loquitur lib. de corrept. & grat. cap. 10. *Deus sic ordinavit Angelorum & hominum vitam, ut in eâ priùs ostenderet quid possit eorum liberum arbitrium; deindè quid possit suæ gratiæ beneficium.* Et cap. 11. *Sed quia permanere noluit* (Adam) *profectò ejus culpa est, cujus meritum fuisset, si permanere voluisset, sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi.* Igitur perseverantiam in bono debent libero arbitrio Angeli, adjuti quidem, sed non eo adjutorio, quod fuit post primi hominis lapsum necessarium.

Opp. ex S. Aug. lib. 12. de civit. Dei cap. 9. Aut minorem acceperunt (Angeli mali) divini amoris gratiam, quàm illi, qui in eadem perstiterunt; aut si utrique boni æqualiter creati sunt, istis malâ voluntate cadentibus; illi ampliùs adjuti ad eam beatitudinis plenitudinem, undè se nunquàm casuros certissimi fierent, pervenerunt.

R. Angelos bonos ampliùs adjutos fuisse gratiâ cooperante; non verò ad perseverandum gratiâ determinante. Quare cum ait idem S. Aug. lib. 13. Confess. cap. 3. spiritualem creaturam, id est Angelicam, Dei gratiæ debere, quòd beatè vivat: id intelligit de gratiâ Dei, sine quâ non poterant Angeli ad gloriam tendere; non verò de gratiâ, quâ tenderent certò & indeclinabiliter ex efficaci ipsorum ad gloriam electione,

ARTICULUS QUINTUS.

De Prædestinationis effectibus.

EX prædestinationis effectibus aliqui, ut vocatio &c. ad electos & reprobos pertinent; alii verò ad solos prędestinatos, ut perseverantiæ donum &c. Jam relati prædestinationis effectus sunt vocatio, justificatio, & glorificatio, juxta illud Rom. 8. *Quos prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Hinc S. Aug. lib. de corrept. & grat. cap. 9. *In Dei providentissimâ dispositione præsciti, prædestinati, vocati, justificati glorificati sunt.* Et lib. de prędest. Sanct. cap. 17. *Quos prædestinavit, ipsos & vocavit; eâ scilicet ratione secundum propositum: non ergò alios; sed quos prædestinavit, ipsos & vocavit; nec alios, sed quos ità vocavit, ipsos & justificavit; nec alios, sed quos prædestinavit, vocavit, justificavit, ipsos & glorificavit.* Admirabili suâ œconomiâ in prædestinatorum commodum quoscumque casus, etiam peccata, Deus vertit: nam Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Quod etiam aptè admodùm his expressit verbis S. Basilius in regulis brevioribus quęst. 81. *Atque illud etiam scire convenit, peccata religiosorum virorum plerumquè etiam evenire ex consilio Dei ad ipsorum utilitatem; cum Deus interdùm eos labi permittat ad sanandam aliquam animi illorum elationem, quæ præcesserit; cujusmodi est quod Petro dictum est, & in ipso etiam contigit.* Similia quoque docet S. August. lib. de corrept. & grat. cap. 9. *Quia*, inquit, *humiliores redeunt, atque doctiores: discunt enim in ipsâ viâ justâ cum tremore se exultare debere, non sibi arrogando tanquam de suâ virtute fiduciam permanendi.* Et paulò post id probat ex verbis Davidis, & exemplo S. Petri. Idem adhuc docent S. Gregor. lib. 2. Moral. cap. 16. lib. 33 cap. 11. S. Joan. Damasc. lib. 2. fidei orthod. cap. 19. & Sanct. Bern. serm. 2. in enarrat. Psal. 90. his verbis: *Nonne cooperatur nobis ille casus in bonum, undè & humiliores efficimur, & cautiores?* Hinc persecutorum furor in Martyrum gloriam; impudicorum petulantia in Virginum coronam; Judæorum incredulitas in misericordiæ Dei erga Gentiles illustrationem contulêre. *Vos Ethnici*, Rom. 11. *consecuti estis propter incredulitatem illorum.* Hinc quoque prædestinatio tempora, loca, & vitæ adjuncta cętera complectitur.



ARTICULUS SEXTUS.

De prædeſtinationis proprietatibus, certitudine ſcilicet, ac neceſſitate.

ERRORES.

CIRCA prędeſtinationis certitudinem extitit gravis aliquorum error, qui eò temeritatis devenere; ut aſſeruerint, ſe non tantùm de præſenti juſtitiâ, ſed etiam de ſuâ ad gloriam prædeſtinatione certitudinem fidei habere. Ex eorum numero fuerunt Lutherani in Colloq. Ratiſbon. Item Petrus Martyr. in comment. in cap. 8. Epiſt. ad Rom. Calvi. lib. 3. inſtit. cap. 2. & Kemnit. in examine Conc. Trin.

Quod ſpectat ad prædeſtinationis neceſſitatem, fertur nonnullos olim eo in errore fuiſſe verſatos, ut exiſtimarent prædeſtinationem in Electis inferre neceſſitatem; ità ut liqerum hominis arbitrium perimeret. Iſti vulgò dicti ſunt Prędeſtinatiani. Hanc autem prędeſtinatianam hęreſim 5. ſeculo in monaſterio Adrumet. prodiiſſe volunt quidam ex malè intellectâ S. Aug. ad Sixtum epiſt. Equidem Felix, & Creſconius duo illius congregationis Adrumetinæ juvenes retulerunt S. Auguſtino quoſdam illius monaſterii ſic prędicare Dei gratiam, ut liberum negarent arbitrium, utì patet ex ipſo S. Aug. epiſt. 46. ad Valent. Adrumet. Cænobii præpoſitum; ſed ex epiſt. Valentini ad S. Aug. Felicis & Creſconii relationem fuiſſe infidam conſtat: *Flori hæc fides eſt Pater* (ſic Valent. ad S. Aug.) *non ſicut fratres iſti ſunt locuti, impræſentiarùm audierunt ab illo dictum, non juxta merita noſtra dari pietatis donum, ſed per Redemptoris gratiam.* Ejuſdem cum Floro ſententiæ, (cujus occaſione commotum fuerat monaſterium) ſe eſſe confitetur Valentinus, eamque doctrinam S. Aug. quem Florus convenerat, probat lib. de corrept. & grat. cap. 10. his verbis. *Hanc fidem, quæ ſine dubio vera, & Prophetica, & Apoſtolica, & Catholica fides eſt; etiam in fratre noſtro Floro inveniſſe me gaudeo.* Undè quamvis S. Aug. cum ſcripſit librum de grat. & lib. arb. crederet in monaſterio Adrumetino quoſdam eſſe libero arb. infenſos; nihilominus idem opus revolvens lib. 2. retract. cap. 66. vult id ità ſumi, quaſi in illos ſcriptum qui liberum arbitrium plus æquo extollunt ipſius gratiæ diſpendio: *Propter eos*, inquit, *qui, cum defenditur Dei gratia, putantes negari liberum arbitrium, ſic ipſi defendunt liberum arbit. ut negent Dei gratiam, aſſerentes eam ſecundum merita noſtra dari, ſcripſi librum, cujus titulus eſt de grat. & lib. arb. &c.*

CONCL. I. Prædeſtinatio eſt ſecundum ſe certiſſima.

Prob. 1. Quia prędeſtinatorum nullus ex illo ſtatu depellitur. 2. quia prædeſtinati cum Deo conjunctione ſummâ donantur. 3. Quia Deus continuò illos tuetur & conſtanter. 4. Quia qui ab Eccleſiâ deficiunt, nec ad ejus

gremium redeunt, ex eo non sunt numero. 5. Quia nec amplificari, nec minui potest eorum numerus.

1. Ex prædestinatis nullus in reproborum calamitatem incidit, seu nullus eorum perit. Ex Joan. quippè 10. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu meâ.* At si æternam det Deus ovibus suis vitam, hæc est, si prædestinatis largiatur beatitudinem; si ex illis nullus perit, eorum salus est in tuto; quod etiam expressit ipse Christus Joan. 6. &c.

2. Non pereunt prædestinati, quia sunt unum quid cum Christo Joan. enim 17. *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi; quia tui sunt; & mea omnia tua sunt, & tua mea sunt.... Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut & nos.* Rom. 8. *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat. Quis est qui condemnet? &c.*

3. Divinâ & continuâ Dei beneficentiâ & defensione donantur electi: nam Apostolus Rom. 11. Deum plebem, quam præscivit, seu prædestinavit, non reprobasse probat ex hoc Dei responso Eliæ dato 3. Reg. 19. *Reliqui mihi septem millia virorum qui non curvaverunt genua ante Baal. Sic ergò & in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt.* Item 2. Timoth. 2. *Firmum fundamentum Dei stat habens signaculum hoc, cognovit Dominus qui sunt ejus.* In electis igitur est standi firmitas, & illius firmitatis signaculum est Dei cognitio benevola.

4. Qui à veritate recedunt & ab Ecclesiâ, ex prædestinatorum numero non sunt: 1. enim Joan. 2. *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utiquè nobiscum.* Igitur si ex electis fuissent, in Ecclesiâ remansissent: quam doctrinam ex illis capitibus ità collegit S. Aug. ut è Catholicorum numero repellat, qui aliter senserit; sic enim loquitur lib. de corrept. & grat. cap. 7. *Horum si quisquam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit; quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus: sed nemo eorum perit; quia nullâ re vincitur Deus. Et cap. 9. sunt quidam qui filii Dei propter susceptam vel temporaliter gratiam dicuntur à nobis, nec sunt tamen Deo, de quibus ait idem Joannes: à nobis exierunt, sed non erant ex nobis..... Et tanquam ei diceretur, undè id ostendis? Quod si, inquit, fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum; Filiorum Dei vox est, Joannes loquitur in Filiis Dei loco præcipuo constitutus. Cum ergo Filii Dei dicunt de his, qui perseverantiam non habuerunt; ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; & addunt, quòd si fuissent ex nobis, permansissent utiquè nobiscum; quid aliud dicunt? nisi non erant Filii, etiam quandò erant in professione & nomine Filiorum: non quia justitiam simulaverunt; sed quia in eâ non Permanserunt.* Ita pariter epist. 106. & alibi. S. Aug. sequuntur SS. Prosper, & Fulgentius: hic in lib. 3. de veritate prædest. & grat. cap. 4. sic scribit: *[Præ]destinationis ita manet firmitas æterna, & firma æternitas, non solùm dispositione operum; rerum etiam in numero personarum; ut nec de il-*

lius numeri plenitudine quiſpiam ſalutis æternæ gratiam perdat; nec extra illius numeri quantitatem ad donum ſalutis æternæ perveniat. Ille in reſponſ. ad 12. object. Vincentianam hæc habet. *Prædeſtinatio Dei etſi apud nos, dum in vitæ præſentis periculis verſamur, incerta eſt; apud illum tamen, qui fecit, quæ futura ſunt, immutabilis permanet.*

5 Nec augeri nec imminui poteſt electorum numerus; nam præterquam quod iſtud prorsùs conſtat ex teſtimoniis tàm Scripturæ, quàm Patrum mox adductis; idem adhuc expreſsè declarat S. Aug. lib. de correpr. & grat. cap. 13. ubi dicit prædeſtinatorum ita certum eſſe numerum, ut nec eis addi quiſquam, nec adimi poſſit. Item lib. de dono perſev. cap. 14. *An quiſquam dicere audebit Deum non præſciviſſe, quibus eſſet daturus, ut crederent; aut quos daturus eſſet Filio ſuo, ut ex eis non perderet quemquam?* Aliud opinabantur Semipelagiani ex S. Proſp. epiſt. ad S. Aug. videlicet prædeſtinatorum numerum & augeri & minui poſſe.

OPP. 1. Deut. 1. Moyſes ità Deum precatur: *Dominus Deus Patrum veſtrorum addat ad hunc numerum multa millia.* Igitur &c.

R. Moyſem in votis nihil aliud habuiſſe, quàm ut Iſraëliticus populus amplificaretur; non verò de prædeſtinatione fuiſſe locutum.

OPP. 2. è libro viventium, ſeu prædeſtinatorum eradi poſſunt quidam: nam Exod. 32. ità Moſes ad Deum: *Aut dimitte eis hanc noxam; aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti?* Pſal. 68. *Deleantur de libro viventium?* Joan. decimo ſeptimo *Quos dediſti mihi cuſtodivi, & nemo periit ex iis, niſi Filius perditionis.* 2. Petri 1. *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* Apoc. 3. Angelus ad Epiſcopum Philadel. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Igitur certus non eſt prædeſtinatorum numerus; nec ideò certa dici debet prædeſtinatio.

R. ad ſingula hæc momenta.

Ad Exodi locum reſp. non ibi loqui Moſem de prędeſt. libro; ſed de vitâ iſtâ: ſeu mortem ſibi poſtulat, niſi Deus plebi veniam velit indulgere: ità S. Hier. ad Algaſium. Undè hic erit Moſis ſenſus, qui & Num. 11. obſecro, ut interficias me. Reſponderi quoque poſſet ibi eſſe hyperbolem, quâ ſignificatur vehemens deſiderium Moſis, quemadmodum & alibi S. Pauli cupientis eſſe anathema pro fratribus.

Ad locum ex Pſal. 68. deſumptum reſp. Davidem per hæc verba: *deleantur de libro viventium*, Propheticè ſignificare deletum iri Prophetæ perſecutores: Non enim in votis eſt Prophetis perſecutorum damnatio, ſed ſalus: futuram hanc calamitatem prænuntiant, niſi pœnitentiæ meritò illam avertant peccatores. Vel etiam dici poteſt, Prophetæ verba de illis eſſe intelligenda, qui putantur ab hominibus eſſe ex prædeſtinatorum numero, licet reverà non ſint in eo collocati.

Ad locum ex Joan. 17. depromptum reſp. hunc eſſe verborum Chriſti ſenſum: Ex iis, quos dediſti mihi, nullus periit: Ex meis quidem diſcipulis periit unicus Judas; ſed eum mihi non dederas. Quarè Joan. 18. ubi repetuntur abſolutè ea Chriſti verba, nulla prorsùs fit exceptio: *Ut impleretur,*

retur, inquit Joannes, *sermo, quem dixit: quia quos dedisti mihi, non perdidi ex iis quemquam.* Undè perditus est Judas Filius perditionis, quia datus tantùm fuerat ad tempus.

Ad locum ex cap. 1. posterioris epist. S. Petri resp. ibi solùm monere principem Apostolorum, ut per bona opera ratam nobis ac firmam vocationem & electionem faciamus: Nam cum Deus nos elegerit, inquit paulus Ephes. 1. *Ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate*; illi suam confirmant electionem, eamque sibi certam certitudine morali reddunt, qui sancti & immaculati fieri student, ut in charitate magis ac magis adjuvante Dei gratiâ proficiant.

Tandem in loco Apocalyps. præmonet Angelus Episcopum, ut cum timore & tremore salutem operetur; nemo enim scit, an odio, an amore sit dignus, ut mox probamus.

Concl. II. Nemini præter revelationem à Deo acceptam certus est prædestinatorum numerus. Nec ullus sine eâ certò scit, an ex illo sit numero.

Prob. Qui concitantur ad timorem, ne pereant; qui non noverunt, an amore vel odio digni sint; an perseverantiæ donum sibi certò sit concedendum; hos sanè latet penitùs, an sint prædestinati, & quis sit prædestinatorum numerus, & quis ex illo sit numero, nisi beneficio singulari Deus aliter significarit.

1. Singulos ad illam, ne pereamus, formidinem utrumque testamentum impellit: Psal. quippè 2. *Servite Domino in timore & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quandò irascatur Dominus, & pereatis de viâ justâ.* Rom. 11. *Tu fide stas, noli altum sapere; sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat.* 1. Cor. 10. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Philipp. 2. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.* 1. Cor. 4. *Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.*

2. Ecclesi. 9. *Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta.* Undè vigilare jubemur, ne furis instar adveniens Dominus incautos deprehendat. Hinc ità colligunt S. Hier. lib. 2. contra Pelag. *Ne beatum dixeris quempiam ante mortem: quandiu enim vivimus, in certamine sumus; & quandiu in certamine, nulla certa est victoria.* S. Aug. lib. de correpț. & grat. cap. 13. *Quis enim ex multitudine fidelium, quandiu in hâc mortalitate vivitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat?* Lib. de bono persev. c. 13. *Ad quam vocationem pertinere nullus est homo ab hominibus certâ asseveratione dicendus; nisi cum de hoc seculo exierit. In hâc autem vitâ humanâ... qui videtur stare, videat ne cadat.* Idem habet lib. 11. de civit. Dei cap. 12. & alibi. Similia quoque reperies apud S. Prosperum lib. 1. de vocat. Gent. cap. ult. Greg. Mag. lib. 6. Moral. Bernard. serm. 1. de Septuages. ubi sic habet: *Quis potest dicere, ego de electis sum? ego de prædestinatis ad vitam? ego de numero filiorum? quis hæc, inquam, dicere potest? Reclamante nimirùm Scripturâ; nescit homo, si sit dignus*

amore, an odio. Certitudinem utique non habemus, sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis anxietate cruciemur. Et epist. 107. *Datur aliquid præsentire de suâ ipsius futurâ beatitudine.... Interim glorietur in spe, nondum tamen in securitate.* Ex his ità definit Concilium. Trid. sess. 6. de justificat. cap. 12. *Nemo quoque quandiu in hâc mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædestinationis mysterio usque adeò præsumere debet, ut certò statuat se omnino esse in numero prædestinatorum: quasi verum esset quod justificatus, aut ampliùs peccare non possit; aut, si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat; cum, nisi ex speciali revelatione, sciri non potest, quos Deus sibi elegerit.* Et can. 15. *Si quis dixerit hominem renatum, & justificatum teneri ex fide ad credendum, se certò esse in numero prædestinatorum, anathema sit.*

3 Absque perseverantiæ finalis certitudine non potest de prædestinatione constare; cum perseverantia sit verus & proprius prædestinationis effectus. At ex S. Augustino lib. 11. de civit. Dei cap. 10. *Quis nisi malè sibi conscius, non dubitet asseverare sibi perspectum, quod Apostolus clamat inscrutabile*; nempè prædestinationis mysterium. Idem scribit lib. de correpr. & grat cap. 13. Idem etiam scribunt S. Prosp. lib. 1. & 2. de vocat. Gent. & alii Patres. Undè Concilium Trid. sess. 6. can. 16. cum anathemate ferit, qui dixerit perseverantiæ donum in finem usque se certò habiturum. *Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certò habiturum, absolutâ & infallibili certitudine dixerit; nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit.* Igitur nemini constat de illo dono, ut habet eadem Syn. cap. 12. ejusdem sess. his verbis superiùs jam laudatis: *Quasi verum esset quod justificatus aut ampliùs peccare non possit; aut si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat.* Et cap. 13. *Similiter de perseverantiæ munere, de quo scriptum est: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit: quod quidem aliundè haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est eum, qui stat, statuere, ut perseveranter stet: & eum, qui cadit, restituere; nemo sibi certi aliquid absolutâ certitudine polliceatur; tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ità perficiet operans velle, & perficere. Veruntamen qui se existimant stare, videant ne cadant; & cum timore ac tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus & oblationibus, in jejuniis & castitate: formidare enim debent scientes, quòd in spem gloriæ & nondùm in gloriam renati sunt, de pugnâ quæ superest cum carne, cum mundo, cum diabolo; in quâ victores esse non possunt, nisi cum Dei gratiâ Apostolo obtemperent dicenti: Debitores non sumus carni &c.*

1. Igitur nulli justo de perseverantiæ dono infallibiliter constat, nisi dono speciali, ac revelatione. 2. Perseverantiæ donum divinæ benignitati debetur. 3. in Deo firmissima est collocanda expectatio; nec deerit Deus, nisi priùs ab officio justus defecerit. 4. Pericula hinc & indè perpetuò quibuscumque imminent, & quidem gravissima. Quin etiam in

ipsis bonis operibus timendum, ne defectus aliquis eorum sinceram puritatem depravet; cum vereatur sibi Apostolus, licet nihil sibi sit conscius. Igitur nullus potest certò scire, seclusâ revelatione divinâ, se in finem usque perseveraturum; ideóque se esse ex numero prædestinatorum.

OPP. postulantibus promitti infallibiliter quæ saluti conducunt; neminem autem prędestinationis beneficium non postulare: Marc. quippè 11. ℣. 24. *Omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis.* Rom. 8. *Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei. Si autem filii & heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* 1. Thessal. 1. v. 4. *Scientes fratres dilecti à Deo electionem vestram.* 2. Timoth. 4. *Bonum certamen certavi...... reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi in illâ die justus judex.* 1. Joan. 2. *Unctio ejus docet vos de omnibus.* 1. Joan. 5. *Hæc scribo vobis, ut sciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei.*

R. 1. accipere nos à Deo, quæ, ut oportet, postulantur; non verò quæ simpliciter & absolutè petuntur. Quis verò scit, an petat, sicut oportet, an motu scilicet gratiæ, vel cupiditatis? Nam Rom. 8 *Quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus.* Undè fides est, perseverantiam non donatum iri, nisi continuò illam, & ut oportet, postulaverimus, & Christi visceribus inhæserimus.

R. 2. Spiritum sanctum reddere testimonium spiritui nostro, nos esse Dei filios non absolutè, sed conditionatè: *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Sic legitur græcè: *Spiritus sanctus testatur cum spiritu nostro:* quod testimonium ex interpretibus Græcis nihil aliud est, quàm ipsa, oratio quâ clamamus, *Abba Pater.* At utrum sit Dei Spiritus, qui nos movet & excitat, cum clamamus, *Abba Pater*, non constat ex fide divinâ; sed tantùm ex conjecturis, quæ interdùm sunt falsæ. Hinc S. Greg. lib. 22. Moral. cap. 5. aptè admodùm observat S. Paulum, tùm se, tùm & eos, ad quos scribit in electorum numero recensere per spem & fiduciam, non verò per securitatem atque certitudinem.

R. 3. ex 1. Thessal. 1. nihil aliud colligi posse, quàm Apostolum spem optimam habuisse de Thessalonicensium electione.

R. 4. 2. ad Tim. 4. S. Paulum ex spei confidentiâ, non ex fidei certitudine fuisse locutum. Undè S. Chrysost Hom. 11. in epist. ad Philipp. *Si qui tanta perpessus erat, qui vexabatur qui mortificationem habebat, nondùm de resurrectione illâ fidenti & securo animo erat. Quid tandem dicemus?* Idem quoque testatur S. August. serm. 19. de verbis Apost. *Dum autem ait Apostolus*, inquit, *castigo corpus meum, ne fortè cum aliis prædicavero, ipse reprobus inveniar, suo timore nos terruit. Quid enim faciet agnus, ubi aries tremuit?* Prætereà si S. Paulo de suæ prædestinationis certitudine constitit, peculiari Spiritûs sancti revelationi illud debuit beneficium.

R. 5. S. Joannem cap. 2. suæ prioris epist. velle unctionem Spiri-

tûs sancti nos docere de omnibus, quæ sunt ad salutem necessaria, cujusmodi non est prædestinationis cognitio: quin imò ad animi demissionem confert admodùm ejus ignorantia, sicuti docet S. Aug. lib. de corrept. & grat. cap. 13. Timendum enim esset plurimùm, ne torpescerent, aut efferrentur electi; aut ne, ut indicat S. Prosper lib. 2. de vocat. Gent. de divinâ misericordiâ diffiderent atque desperarent reprobi. Et licet Deus aliâ ratione, quàm occultando suam cuique sortem, mederi posset huic electionis ac negligentiæ morbo: tamen ità placuit magno illi medico, qui sanandi modum & ordinem non accipit ab ægroto.

R. tandem ex cap. 5. 1. S. Joan. epist. nihil inferri posse, quod tantulùm faveat adversæ sententiæ. Nam S. Joannes ibi solùm docet eos, qui credunt, habere vitam æternam in spe, non in re, juxta illud Apost. Rom. 5. *Spe enim salvi facti sumus.* Unde scribit ipse S. Joannes epist. 2. ℣. 8. *Videte vosmetipsos, ne perdatis, quæ operati estis.* Addimus voces istas, *scire* & *cognoscere*, in Scripturis non necessariò indicare fidei divinæ certitudinem, ut falsò contendunt hęretici: nam dicimur etiam scire & cognoscere quæ ex signis tantùm habemus atque conjecturis. Quare cum S. Joan. cap. 3. epist. jam citatæ ait: *In hoc scimus, quoniam manet in nobis de spiritu, quem dedit nobis*; non ipse loquitur de cognitione includente certitudinem fidei, sed de solâ notitiâ morali.

Opp. 2. S. August. conc. 2. in Psal. 58. ait *Audi ad securitatem tuam, si te in membris Christi esse cognoscis.* Item S. Gregor. Hom. 3. in Evang. docet eum, qui de suâ spe & operatione securus est, *lætum judicem sustinere; & cum tempus propinquæ mortis advenerit, de gloriâ retributionis hilarescere.* S. quoque Bern. serm. 2. de Pentec. dicit Spiritum sanctum imprimere, & ostendere cordi nostro certissima signa prędestinationis.

R. Sanctos illos Patres nonnisi de fide in Dei benignitatem disserere, cujusmodi est virorum, qui continuum in divinæ legis observantiâ studium collocantes, divinæ pollicitationi & misericordiæ paternæ confisi, cum Apostolo non dubitant proferre: *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi justus Judex.* Sed ipse Apostolus adeò non indè mercedis æternæ certam consecutionem sibi pollicebatur, cum ipsemet scripserit: *Castigo corpus meum . . . ne, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Hanc doctrinam S. Bern. qui hîc opponitur, sic explicat serm. 1. de Septuages. *Certitudinem utique non habemus; sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis hujus anxietate penitùs cruciemur . . . . Quales sumus, nosse possumus vel ex parte: quales autem futuri simus, id nosse penitùs nobis est impossibile.*

Quær. an hoc revelationis beneficium aliquibus fuerit concessum?

R. quibusdam indultum fuisse, ut latroni, Luc. 23. *Hodie mecum eris in Paradiso.* S. Stephano Act. 7. *Intendens in cœlum Stephanus vidit gloriam Dei, & Jesum stantem à dextris Dei: & ait: Ecce video cœlos apertos.* Hinc canit Ecclesia: *Vidit, & introivit beatus homo, cui cœli patebant.* Virgini quoque Deiparæ hanc singulari privilegio concessam fuisse gratiam videtur extra dubium. Utrum autem hoc idem beneficium

Abrahæ, Moysi, & Sanct. Apost. fuerit collatum, non ità constat; quia Deus absolutè non promiserat illis gloriam; sed ex hypothesi quòd in fide & charitate perseverarent. Christus autem non spopondit Apostolis omnibus sigilatim gloriam; imò Joan. 13. gloriæ privationem interminatus fuit Petro, nisi pedes præberet abluendos: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*; & ad omnes ait: *Beati eritis, si feceritis ea.*

S. Paulus scribit quidem Rom. 8. *Certus sum, quia neque mors, neque vita... poterit nos separare à charitate Dei* Sed quid indè? Etenim Apost. de prædestinatis in genere habet sermonem, ut observat S. August. lib. de corrept. & grat. cap. 17. ità ut sensus sit, prædestinatos omnes in charitate Dei perseveraturos. Si verò de seipso in particulari loquatur, aut de aliis similibus, non est intelligendus de fidei certitudine, sed de spei confidentiâ: neque enim notum erat ipsi S. Paulo, qui ex fidelibus Romanis essent electi, & qui non essent. Hâc igitur confidentiâ ductus, fideles, quos alloquebatur, ex prædestinatorum esse numero ità consolabatur. Quæ quidem expositio non solùm textui Greco est consentanea; sed etiam sanctis Patribus: nam S. Greg. lib. 6. epist. 22. laudatis illis verbis S. Pauli, scribit ex revelatione non habuisse de suâ salute certitudinem. Item S. Hieron. in epist. ad Algasium quest. 9. ità legit: *Confido, quia neque mors, neque vita &c.* Quin etiam Apost. ipse cap. 15. ejusdem epistolæ eodem utitur verbo: *Certus sum, fratres mei, & ego ipse de vobis; quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia &c.* An autem S. Paulo nullum non esse Romæ, qui certò non esset predestinatus, fuit in aperto? Quidquid sit, si S. Paulus, & insignes electi de suâ prædestinatione fuerint securi, nonnisi ex peculiari Spiritûs sancti revelatione acceperunt. An in electis probabilia prædestinationis signa dentur, nemini est dubium; cujusmodi sunt pœnitentia vera, erga proximum sincera charitas, puræ conscientiæ testimonium. Addit adhæc S. Bern. serm. 1. & 2. in octavâ Paschæ, spiritualium operum exercitia, lacrymarum fontem, & sanguinolentum pœnitentiæ martyrium,

CONCL. III. Agendi necessitatem non imponit predestinatio, licet certissima; quidquid contra reclamet Calvinus.

Prob. 1. Predestinationis certitudinem ex Dei verbo mox laudato, & libertatis humanæ integritatem ex eodem Dei verbo, & antiquorum unanimi consensu habemus: Eccl. quippè 15. *Deus reliquit hominem in manu consilii sui: ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Cap. 31. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit.* Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

Deindè Ecclesiæ consensus unanimis de libertate, ut de fidei dogmate, refertur à SS. August. lib. de grat. & lib. arbit. Innoc. I. epist. ad Conc. Carthag. Prosp. in resp. ad 6. Gallorum object. & à Synodo Arelat. 4. an. 475. quæ illum à Calvino propugnatum errorem tunc temporis damnavit. Et certè Dei voluntas, aut providentia res creatas sic administrat ex S. August. lib. 7. de civit. ut liberam agendi rationem servet illęsam.

Opp. Prædeſtinationi neminem reluctari poſſe; ex Rom. enim 9. *Voluntati ejus quis reſiſtit?*

R. argumento ſimili Dei præſcientiam, providentiam, & voluntatem impugnari: quodque repoſuerint adverſarii; nos quoque reponere pro hominis libertate defendendâ. Quod tamen alibi ſcripſimus, paucis hîc repetimus; nempè quoad fines univerſales ordinationem non declinari divinam: nam qui non ordinatur in bonis, ut habet S. Auguſt. juſto judicio Dei ordinatur in malis. Dicimus adhuc neminem ordinationi divinæ ſeipſum ſubtrahere, quoad fines particulares, in ſenſu, ut loquuntur, compoſito; ſeu divinæ voluntatis ordine poſito: poſſe verò hanc ordinationem declinari ſimpliciter & abſolutè, ſive in ſenſu diviſo: poſſent enim electi Deo monenti morem non gerere, licet obſequantur. Undè vel ipſi Apoſtoli poſtulare quotidiè jubentur, ſicut & homines cæteri: *Adveniat regnum tuum: Dimitte nobis debita noſtra* &c. Et ſibi timens Apoſtolus ait 1. Corinth. 9. v. 27. *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne fortè, cum aliis prædicaverim, reprobus efficiar.* Nec enim in electis ex Dei motu terrores & orationes ejuſcemodi occurrerent, niſi ad oppoſitum potentia remaneret, aut activa indifferentia; quamvis electis auxilia conferantur potentiſſima.

Quæritur an electorum numerus, reproborum numerum ſuperet?

R. longè ſuperiorem eſſe improborum numerum, ſi de omnibus omninò hominibus, tàm infidelibus, quàm Chriſtianis; tàm apoſtatis, hæreticis, & ſchiſmaticis, quàm de Catholicis ſit quæſtio. Id enim innuit Eccleſ. dum ait cap. 1. *Stultorum infinitus eſt numerus.* Iſtud etiam indicat Propheta Rex, quandò dicit Pſalm. 39. *Multiplicati ſunt ſuper numerum*; hoc eſt, ex S. Auguſt. lib. de corrept. & grat. cap. 13. *Reprobi ſupra numerum electorum.* Idem teſtatur ipſe Chriſtus, tùm Matth. 7. his verbis: *Lata porta & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem; & multi ſunt, qui intrant per eam. Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam; & pauci ſunt, qui intrant per eam*: tùm & Matth. 20. ubi dicit: *Multi ſunt vocati; pauci verò electi.* Quæ verba de ipſis etiam fidelibus intelligunt SS. Patres, ut Chryſoſtomus Hom. 24 in Act. Apoſt. Auguſtinus lib. 3. contra Creſcon. & Gregorius Hom. 19. in Evang.

Et verò ante Chriſti nativitatem extra poſteros Abrahæ ſincero cultu Deum pauci venerabantur: inter Iſraëlitas quot idololatræ? quot divinarum legum infractorum protervi? quot ex Chriſtianis in ſchiſmata, in hæreſes defecerunt? quot inter Catholicos peccatis ſerviunt? imò, teſtante Chriſto Luc. 18. circa judicii poſtremi tempora pauci futuri ſunt, qui fidem habeant: *Veruntamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terrâ?* & ſi deeſſet authoritas divina, infelici experimento fieret palàm, criminum voraginem infeſtare univerſum orbem; nec paſtoribus ſupereſſe ſolatii locum alium, præter columbæ gemitus. De Patribus ſilemus, qui ſua calamitoſa tempora continuò ferè defleverunt.

Opp. ex Matth. 8. *Multi ab Oriente & Occidente venient & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Jacob in regno cælorum.* Et Apo-

calyp. 7. 9. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum.* Igitur amplissimus est numerus prædestinatorum.

R. cum S. Augustino lib. contra Cresc. cap. 66. prædestinatos, licet absolutè, & nullâ comparatione factâ, sint multi; tamen respectu multitudinis reproborum esse paucissimos: *Boni*, inquit, *verique Christiani, qui per seipsos sunt multi, in comparatione malorum sunt pauci:* sicut multa grana, quibus horrea magna complentur, paleis collata, pauca sunt.

S. Aug. lib. 22. de Civit docet prædestinatorum numerum, Angelorum de perditorum numero æqualem, ac fortassis uberiorem esse. Et lib. 21. dixerat ampliorem esse reproborum numerum, ut vel sic ostendatur, hominibus non nisi damnationem deberi.

QUÆSTIO DECIMA-SEPTIMA.

De Reprobatione.

ARTICULUS PRIMUS.

De nomine & reprobationis essentiâ.

VOX reprobationis extat Jerem. 6. v. 30. & 1. Corinth. 9. v. 27. ad eos significandos, qui non continentur in electorum numero. Reprobi dicuntur etiam repulsi Ps. 87. v. 5. Despecti Eccles. 7. v. 14. Facti in diem malum Prover. 16. v. 4. Hædi & maledicti Matth. 25. v. 35. & 41. Præscripti in judicium & damnationem epist. Judæ v. 4. Vasa iræ Rom 9. v. 22. Vasa contumeliæ 2. Timot. 2. v. 20. Mundus. Joan. 1. Filii perditionis Joan. 17. v. 12. &c.

Definitur à Mag. sent. lib. 1. dist. 40. præscientia iniquitatis quorumdam, & præparatio damnationis eorumdem: seu præscientia malitiæ in quibusdam non finiendæ, & præparatio pœnæ nunquam terminandæ. Ex quâ definitione colligitur, Deum non præparare, sed præscire ac prævidere peccatum, quod ad æternam damnationem conducit.

ARTICULUS SECUNDUS.

An detur reprobatio?

REPROBATIONEM dari constat adeò in Scripturis, ut ulteriori probatione non sit opus. Unicum est consulendum caput 9. Rom.

Ibi enim ex SS. Aug. & aliis, Jacob instar prædestinatorum exemplaris & Esaü reproborum typi proponuntur.

Reprobatio est duplex: altera positiva, seu decretum infligendæ pœnæ: altera negativa, quæ est hominum in peccato originali desertio.

Altissima de reprobatione quæstio hominum mentem longè superat, ut probat & docet Orig. Hom. 4. in cap. 7. Exod. variis istis loquendi formulis: *Induratum est cor Pharaonis: induravit Dominus cor Pharaonis: ego Dominus induro cor Pharaonis.* Et sanè quàm difficilis, sit reprobationis conceptus vel sola S. Amb. expositio manifestum facit, sic enim habet lib. 2. de Caïn. cap. 9. *Nihil gravius quàm errantem à Deo deseri, ut se vocare non possit. Mors peccatoris finem peccandi adfert; vita autem divino gubernaculo destituta præcipitatur, & in graviora prolabitur; ut si gregem pastor relinquat, incursent bestiæ: Ità cum Deus deserit hominem ingruit Diabolus. Grave est, præsertim insipientibus, non habere rectorem; serpit malitia: vultus augetur, ubi medicina defuerit.*

Opp. Positâ reprobationis existentiâ, sequitur Deum perditionis reproborum esse causam; quod est contra illud Osee. 13. *Perditio tua Israel: tantummodò in me auxilium tuum.*

R. Reprobationem Deo ut causæ non esse tribuendam: Omnes enim homines in perditionis massâ continentur; adeo ut qui prædestinantur, ex eâ massâ, ut exponit S. Aug. epist. 106. misericordiæ beneficio educantur: qui verò reprobantur, justo judicio in eadem perditionis massâ relinquantur. Quod & adhuc expressit idem S. August. lib. 3. cont. Julian. cap. 18. his verbis: *Bonus est Deus, justus est Deus: potest sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest quemquam sine malis meritis damnare quia justus est.* Hæc autem demerita sunt, aut actualia peccata, vel originalis macula.

Religio sit proferre Deum ità res sibi subjectas in suum finem dirigere, ut tamen eas non impediat, ne ab officio deflectant. Provisoris enim est universalis, libertati vim non inferre, & defectus aliquos in particularibus permittere, ne universalis naturæ bonum lædatur. Si enim omnia impedirentur mala, deessent universo multa bona: non esset quippe generatio, nisi esset corruptio: non esset vita hominum, nisi esset occisio animalium: non esset patientia Martyrum, nisi esset persecutio tyrannorum: tandem non esset, tùm divinæ justitiæ ostensio, tùm defectibilitas liberi arbitri, tùm & necessitatis gratiæ manifestatio, nisi esset ipsa peccati permissio.

Hinc ex S. Greg. lib. 32. Mor. cap. 13. sicut ex nigro colore in pariete albedo elucescit, sic hominum improborum justâ ordinatione virtutis amplitudo fit magis conspicua.

ART.

ARTICULUS TERTIUS.

De causis reprobationis. De unicâ causâ motivâ instituitur quæstio.

ERRORES.

ERRAVIT Orig. reprobationem ad prioris cujusdam vitæ scelera ratus esse referendam. Erravit & Calvinus asserens absque cujuslibet peccati, sive actualis, sive originalis intuitu ad damnationem quosdam creari, & ideò ad peccandum impelli.

Sunt & alii, qui reprobationem tàm positivam, ut vocant, quàm negativam à peccatorum etiam actualium præscientiâ, tanquam à causâ motivâ & meritoriâ pendere arbitrantur. Docent alii reprobationem quidem positivam, seu infligendæ pœnæ decretum, peccatorum prævisionem supponere; negativam verò, quæ dicit voluntatem aliquos excludendi à gloriâ tanquàm à beneficio indebito, ex solo Dei beneplacito proficisci. Alii cum S. Aug. reprobationem omnem in præcognitum Adami peccatum, tanquam in causam primariam, referunt.

Reprobatio (ut jam suprà monuimus) alia statuitur à Theologis negativa, seu quorumdam in perditionis massâ derelictio; alia ab illis dicitur positiva; hæcque divinum est decretum, quo pœnis debitis peccatorum rei addicuntur. Quam fateor distinctionem apud Antiquos non omninò deprehendi: illam tamen, ut jam in scholis receptam, nos quoque supponemus.

CONCL. I. Deus non reprobat positivè; seu pœnam non decernit infligendam, nisi præviso seu originali, seu actuali peccato.

Prob. Qui mortis peccatorum non est author, nec ex peccatorum calamitate gaudium percipit; qui insontí pœnam non infligere suæ æquitatis esse profitetur; qui ad peccandum neminem constituit, ut nec deserit, nisi deseratur; is certè reprobationis positivæ, seu quam nulla iniquitas prævertat & mereatur, non est author.

1. Deus mortis non est author, nec eam ex se vult, & ex nobis est calamitas meritò nobis inferenda. Sap. quippè 1. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum.* Ezech. 33. *Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à viâ suâ & vivat.* Osee. 13. *Perditio tua Israël; tua*, seu ex te. *Corruptioni tuæ Israël quis auxiliabitur?* Ità 70. *Cum vos depravatis opera vestra, ò domus Israel, dominantur in vos populi;* Sic Chald *Perdidisti te ipsum Israël*; Ità ex Heb. Vertunt alii, seu *iniquitas tua*, ut Munster. Ideò reprobatio vocatur ab Apost. odium, ira, & indignatio Dei; quæ non nisi peccatum sequuntur, ut infert S. Aug lib. 1. ad Simpl. quæst. 2. undè lib. de bono persev. cap. 8. sic loquitur *Qui liberatur, gratiam diligat; qui non, liberatur debitum agnoscat.* Et lib. 2. ad Bonifac. cap. 7. *Bonum quidem immerito & gratis datur .... malum*

verò & debitum redditur; quia in maßâ perditionis malum malo non malè redditur; & ei, cui redditur, malum est: quia supplicium ejus est: ei verò, à quo redditur, bonum est; quia rectè factum ejus est. Ità etiam SS. Prosper, Fulgent. & alii Patres. Undè pariter sic profitetur Ecclesia Gallicana in Concilio Valent. 3. cap. 3. *In electione salvandorum, Dei misericordia meritum bonum; in damnatione verò peccatorum, meritum malum pracedit justum Dei judicium.*

2. Divinæ esse justitiæ & æquitatis pœnis non subjicere insontem profitetur Sapiens cap. 12. v. 15. *Cum ergò sis justus, justè omnia disponis: ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare exterum æstimas à tuâ virtute: Virtus enim tua justitiæ initium est.* Hinc S. Aug. lib. de grat. & lib. arbit. cap. 23. *Deus reddit mala pro malis; quia justus est: bona pro malis; quia bonus est: bona pro bonis; quia injustus non est.*

3. Positâ reprobatione positivâ in sensu Calvini, consecutio blasphema sequitur, quosdam videlicet ad peccandum è nihilo educi; ex quâ illatione priorum seculorum hæretici malum Deum peccati authorem esse agnoscendum colligebant: quam impiam doctrinam confutarunt S. Iren. lib. 4. cap. 48. & alii.

Ex Antiquis Deus non deserit; nec unquam justum divinæ legi obsequentem suâ tutelâ destituit. Ex Tert. quippè lib. de præscript. *Judai retrò penes Deum fuerant: dehinc ejecti ob delicta, extra Deum esse cœperunt.* Ex Orig. in cap. 2. Judic. *Hoc ergò modò intelligendum, Deum tradere quos tradit: non quia ipse tradat aliquem; sed derelinquat, qui se non à vitiis expurgant, ut libenter in eis habitet Deus.* Ex S. Basil. in Regul. brevior. *Nunquam deserit, neque auxilio divino destituit, qui à Deo exoptat se juvari.* Item Hom. in Psalm. 37. *Ne arguas me in furore tuo; idest, non tradas me Dæmoni; nec vindictam in judicii diem differas. Non movebor in æternum, inquit, movente Dæmone: & quia magnum de seipso sentire cœperat; ità ut arrogantiùs loqueretur; hujus rei gratiâ meritò traditus tentatori est, qui ubi animam ejus ostendit, graviore dissidio affecit eum, quàm Job.* Ex S. Chrysost. lib. 1. de provid. cap. 6. *Si ex dilectione correptio, ex odio derelictio est: neque ejusdem quempiam simul & amare, & odisse; neque corripere quidem, & derelinquere.* Quomodò ergò, inquiunt, multi corruerunt; se ipsos illi Deo privaverunt; non autem à Deo derelicti sunt: *Ecce enim*, inquit, *qui elongant se à te, peribunt: elongant se à Deo, qui correptiones ab eo respuant, & irascuntur, ut filii perversi.* Ex S. Aug. epist. 157. Optato: *Meritò videretur injustum, quod fiunt vasa iræ ad perditionem, si non eßet ipsa universa maßa ex Adam damnata.* Lib. quoquè 13. de Civit cap. 15. *Ad malum quippè creatura prior est voluntas creaturæ; ad bonum verò ejus prior est voluntas creatoris.* Lib. etiam de nat. & grat. cap. 26. *Deus non deserit nisi deseratur, ut piè justèque semper vivatur.* Et cap. 28. *Deserit aliquandò Deus, undè superbis? ut scias non tuum, sed ejus eße; ut discas superbus non eße, qui ex castitatis merito, & gloriæ contemptu gloriam ceperunt, permittente Deo cadunt, ut in posterum de donis gratias referant, & non pluris quàm fratres se facere*

edoceantur. Ex S. Athan. in vitâ S. Antonii, ipse S. Antonius à Dœmonibus malè habitus, variisque tentationibus admodùm vexatus, cum se aspectabilem fecisset Deus, sic Deum alloquitur: *Ubi eras? cur non initio apparuisti? .... Aderam hìc Antoni; sed morabar, tuum spectaturus certamen*. Undè Conc. Trid. seſſ. 6. cap. 11. *Deus suâ gratiâ semel justificatos non deserit, nisi priùs ab eis deseratur.*

Opp. ex Rom. 9. Esaü nullius peccati reum, Deo exosum fuisse; nec minùs esse penes Deum, quàm penes luti figulum, ex eâdem massâ in honorem vas unum componere; aliud verò in contumeliam. Hinc S. August. tract. 26. in Joan. *Quare hunc trahat, illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare.* Et lib. de prędest. & grat. cap. 19. *Si genus humanum, quod primitùs ex nihilo à Deo extractum est, non cum debito mortis, & peccati origine nasceretur; poſſet Deus utique omnipotens, si vellet, damnare absque eo, quòd quis illi dicere poſſet; quid me fecisti sic?* Ideò Prov. 16. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus; impium quoque ad diem malum.* Quod etiam patet ex istis Exod. 9. verbis: *Idcircò autem posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terrâ.* Et Rom. 9. *In hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, & annuntietur nomen meum in universâ terrâ.*

R. Esaü non fuisse reprobatum ante prævisum originale peccatum: nam ex S. Augustino epist. 106. Jacob & Esaü, qui nondùm propria vel bona, vel mala operabantur; rei tamen ex origine nascebantur. Originalis ergò macula fuit causa, cur Esaü fuerit reprobatus & exclusus à gloriâ. Undè S. Paulus naturam humanam luto comparavit; sed prout erat peccato originali contaminata atque corrupta: quippè contagio peccati degeneravit in luti vilitatem, ratione cujus Deus ipse pro suâ misericordiâ vasa quędam in honorem efficit; alia pro suâ justitiâ in æternam contumeliam dimittit. *An non habet*, inquit S. Aug. epist. 105. ad Sixtum, *potestatem figulus luti ex eâdem maſsâ utique meritò justèque damnatâ, facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam; in honorem indebitum, propter misericordiæ gratiam; in contumeliam debitam, propter iræ justitiam.* Et ibidem: *Quamvis Deus faciat vasa iræ in perditionem, ut ostendat iram, & demonstret pœnitentiam suam, quâ benè etiam malis utitur; & ut notas faciat semitas gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ fecit in honorem non damnabili maſſæ debitum, sed suæ gratiæ largitate donatum: tamen iisdem iræ vasis propter meritum maſſæ in contumeliam debitam factis, id est, in hominibus propter naturæ bonum creatis, sed propter vitia supplicio destinatis, iniquitatem, quam rectiſſimè veritas improbat, damnare novit ipse, non facere.*

Quod autem ipse S. Aug. tract. 26. in Joan. dixerit, non esse quęrendam rationem, cur Deus hunc trahat, illum non trahat; id nequaquàm nobis adversatur: nam reprobationem non ibi sumit absolutè, ac secundum se, sed comparatè; quia non est potior ratio, cur è pluribus debitoribus unus absolvatur, quàm alius; cur è multis communi exitio pari-

ter obstrictis aliqui liberentur potiùs, quàm alii; nisi voluntas creditoris atque liberatoris.

Ad id, quod desumptum est ex cap. 19. libri de prædest. & grat. respondeo nullius esse ponderis ac momenti: nam liber ille, quemadmodùm observavimus anteà, non est S. Augustini fœtus; cum nec à Possidio, nec à Bedâ, nec ab alio veteri testimonium habeat. Aliundè etiam liber iste discrepat omninò à doctrinâ S. Augustini, ut patet ex his verbis ex ep. 106. deprompris: *Hæc massa, si esset ita media, ut quemadmodùm nihil boni, ità nec mali aliquid mereretur, non frustrà videretur iniquitas, ut ex eâ fierent vasa in contumeliam; cum verò per liberum arbitrium primi hominis in condemnationem universa defluxerit, proculdubiò quod ex eâ fiunt vasa in honorem, non ipsius justitiæ, quæ gratiam non præcessit; sed Dei misericordiæ: quod verò in contumeliam non iniquitati Dei, quæ longè à Deo aliena est; sed ejus judicio deputandum est.*

Removendum igitur decretum, quo nullius peccati prævisâ labe suam justitiam vindicem velit Deus ostendere: nam quâ ratione repeteretur ultio, nisi prævia esset injuria? cum iræ reprobationem ascribat Apostolus, & offensam ita supponat, & à Dei benignitate alienum sit prorsùs criminis expertes vindici justitiæ subjicere: Tob. enim 3. *Non delectaris in perditionibus nostris.* Deum autem, qui omnia propter se operatur, à creandis hominibus, quos impios esse futuros præcognoscit, non abstinere, ut vindicis justitiæ æquitas manifestetur, & in Pharaone & Ægyptiis palàm significatur ex quæst. 32. in Exod. inter opera S. August. relatâ, ubi sic habetur: *Et propter hoc ipsum conservatus es, ut ostendam in te potentiam, & ut annuntietur nomen meum in universâ terrâ. Hæc Scripturæ verba & Apostolus posuit, cum in eodem loco perdifficili versaretur: ibi autem & hoc ait: Si autem volens Deus ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, attulit in multâ patientiâ vasa iræ; parcendo utique iis, quos malos futuros esse præscierat: quæ vasa dicit perfecta in perditionem.* Et infrà: *Novit ergò Dominus bene uti malis, in quibus tamen humanam naturam non ad malitiam creat; sed perfert eos patienter, quousque scit oportere, non inaniter, sed utendo iis in admonitionem vel exercitationem bonorum. Ecce enim, ut annuntiaretur nomen Dei in universâ terrâ, vasis misericordiæ utique prodest. Ad eorum itaquè utilitatem Pharao servatus est; sicut & Scriptura testatur, & exitus docet.*

CONCL. II. Reprobatio negativa, seu decretum, quo reprobi à gloriâ repelluntur, actualia eorum peccata prævertit.

Prob. Nam ex Apostolo Rom. 9. *Cum nondùm nati fuissent, aut aliquid boni vel mali egissent: non ex operibus; sed ex Deo vocante dictum est: Jacob dilexi, & Esau odio habui.* Igitur reprobatus fuit Esaü, priusquàm de peccato vel potuisset cogitare, vel à Deo prævideretur peccaturus. Esto velint aliqui, ut odium illud Dei temporalis hæreditatis privatione contineatur, juxta istud Malach. cap. 1. *Posui montes ejus in solitudinem, & hæreditatem ejus in dracones deserti:* extra dubium est, Jacob & Esaü in typum omnium electorum ac reproborum ab Apost. pro-

poni, & ipsa Prophetæ verba mystico & spirituali sensu usurpari. Quod ab Apost. acceptum confirmat S. Aug. epist. 105. *Quid*, inquit, *oderat in Esaü Deus, antequàm fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum?* Quod autem Deus in Esaü oderat, est reprobationis causa. Igitur reprobatio, à Theologis dicta vulgò negativa, peccatorum actualium prævisionem antecedit. Lib. quoque 8. ad Bonifac. cap. 7. *Cum secundum propositum Dei vocatur alius, & alius non vocatur; vocato datur gratuitum donum, cujus boni est vocatio ipsa principium; non vocato redditur malum, reprobationis nempè; quia omnes rei sunt, ex eo quòd per unum hominem peccatum intravit in mundum, quod est originale peccatum.* Et posteà: *Nec ulla est acceptio personarum in duobus debitoribus æqualiter reis, si alteri dimittitur, ab altero exigitur, quod ab utroque pariter debetur.*

OPP. 1. Hâc doctrinâ positâ, hominem priùs deserit Deus, quàm ab ipso deseratur. Item non omnes vult salvos fieri, eos scilicet, quos non prævisis eorum peccatis à cœlesti regno repellit. Quod quidem, quâ possit æquitate decerni, mens humana non percipit.

R. 1. nemini gratiam habitualem subtrahi, nisi peccatum præcesserit. Undè S. August. ait: *Diabolus suggerit, homo consentit, Deus deserit.*

R. 2. antecedenti voluntate velle Deum omnes homines salvos fieri; voluntate verò consequenti nolle: positis autem peccato originali aut actuali, Deus nos æquo judicio punit.

CONCL. III. Reprobationis causa prima, est originalis macula.

Prob. Nam ex S. August. Enchir. cap. 98. *Ambo itaque gemini (* Esaü & Jacob *) naturâ filii iræ nascebantur, nullis quidem operibus propriis, sed originaliter ex Adam vinculo obstricti; sed qui dixit, miserebor, cui misertus ero; & misericordiam præstabo, cui misericors ero: Jacob dilexit per misericordiam gratuitam; Esaü autem odio habuit per judicium debitum.* Idem Doctor variis in locis nomine dilectionis & odii Dei, prędestinationem & reprobationem intelligit; sed juxta ipsum causa odii Dei adversus Esaü, & consequenter adversus omnes reprobos, quos per illum designari censuit, originale fuit peccatum: nam lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. *Non igitur odit Deus Esaü hominem; sed odit Deus Esaü peccatorem.* Et addit: *Cur ergò Jacob dilexit? numquid peccator non erat? sed dilexit in eo, non culpam, quam delebat; sed gratiam, quam donabat.* Similia colligi possunt ex lib. 4. contra Jul. cap. 8. lib. 2. ad Bonifac. cap. 6. & 7. lib. de bono persev. cap. 8. 9. 11. & 12. Ergò prima causa reprobationis est labes originalis.

OPP. 1. In baptisatis saltem, reprobationis causa non potest esse originalis macula. Nam Rom. 8. *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu.* Undè Conc. Trid. sess. 5. cap. 5. *In renatis nihil odit Deus; quia nihil est damnationis iis, qui verè consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem.* Igitur &c.

R. S. Aug. à perditionis massâ baptismo liberatos esse quosdam; sed *temporales sunt*, inquit lib. de correp. & grat. cap. 13. *nec perseverant; deserunt, & deseruntur: dimissi enim sunt libero arbitrio, non accepto per-*

severantiæ dono, judicio Dei justo & occulto. Et anteà cap. 7. *Qui perseveraturi non sunt, nec illo tempore, quo benè pièque vivunt, discreti sunt à maßâ perditionis.* Baptismo quidem peccatum originis fuit deletum; sed pœnæ non sunt sublatæ, ignorantiæ scilicet, & concupiscentiæ inordinatio, peccatorum radices. Hinc S. Gregor. Mag. in Psalm. 101. *Et cum juxta Apostoli sententiam, neque volentis, neque currentis; sed miserentis est Dei. Sic qui corruerunt, eos misericorditer erigit; alios, qui stare videbantur, cadere justè permittit. Ex peccato namque primi parentis accepimus, ut nec in ipsâ justitiâ stabiles esse possimus.* Concilium autem Trid. in Calvinistarum sententiâ proscribendâ versabatur. Hi verò peccatum originale non deleri reipsâ, sed extrinsecè tantùm, & per meram non imputationem remitti contendebant: quod jure damnarunt Patres Tridentini.

CONCL. ultima. Idem de lapsorum Angelorum reprobatione judicium est ferendum, fuisse scilicet propter prævisam defectionem reprobatos. Eos omnes Deus crearat in gratiâ: *Fuit simul in illis*, inquit S. Aug. *largiens gratiam, & condens naturam.* Æquitatis est nonnisi pœnam infligendam decernere, ut mox fuit probatum. Deus igitur non constituit Angelos quosdam à gloriâ repellere, nisi ubi eorum casum futurum prævidit.

ARTICULUS QUARTUS.

De Reprobationis effectibus.

PRIMUS reprobationis effectus est pœna æterna, & gloriæ privatio: Matth. quippè 25. ignis æternus dicitur paratus Diabolo & Angelis ejus. Alius est, nempè derelictio & obduratio in pœnam peccati præcedentis; Psalm. enim 80. *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.* Act. 14. *Dimisi omnes Gentes ingredi vias suas.* Rom. 1. *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum.... propter quod tradidit illos Deus in passiones ignominiæ.... Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt.* Rom. 11. *Cæteri verò excæcati sunt, sicut scriptum est:* Isaïæ 29. *Dedit illis Deus spiritum compunctionis*; seu, ut in Hebræo Textu habetur, *spiritum soporis, quo fit, ut nihil sentiant; oculos habeant, & non videant; aures habeant, & non audiant.* David. Psalm. 68. *Fiat mensa eorum in laqueum, in captionem, & in scandalum, & in retributionem illis:* seu Scripturæ, quæ sunt animi cibus, in perniciem illis vertantur: quod infeliciter contingit illis, qui, neglectâ matris Ecclesiæ doctrinâ, ad proprios sensus confugiunt. Sic in scandalum incidunt; nec veritatem percipiunt, aut affectibus suis oppositam non sequuntur, aut Dei verbo in aliorum perniciem abutuntur. Undè S. Augustinus Enchir.

cap. 100. *Propterea magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus, ut miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem; quia non fieret, si non sineret: neque utique nolens sinit, sed volens.*

Indè non est inferendum, peccata esse reprobationis effectus, ut disputant hæretici: Nam Eccli. cap. 15. *Deus nemini mandavit impiè agere*: quod jam suprà docuimus ex S. Fulgent. lib. 1. ad Monim. cap. 26. ubi ait Deum non prædestinare reprobos ad culpam, sed ad pœnam; non ad transgressionem, sed ad punitionem.

Hinc excœcatio, & obduratio à malitiâ, ut à causâ meritoriâ proficiscuntur; à Diabolo, ut à pravitatis suasore; à Deo quoque, tanquàm justo vindice, qui ob mala merita non largitur impiis gratiarum subsidia.

Cęterùm mentis cœcitas, aut durities non sic ordinantur ad damnationem eorum, qui excœcantur; quin etiam ex divinâ misericordiâ aliquorum saluti prosint; ita ut in peccatum lapsi pœnitentiam humiliter agant, & ad Deum convertantur.

ARTICULUS QUINTUS.

De Reprobationis proprietatibus.

QUÆRITUR 1. an reprobatio sit certa?

R. esse certissimam, non modò ratione cognitionis divinæ, ac præscientiæ; sed & ratione destinationis, ac providentiæ. Deus enim hos, vel illos, Core, Dathan, Abiron, Judam proditorem, & alios in peccatis decessuros novit, & in æternum esse puniendos, æterno suæ voluntatis decreto constituit; & eò graviùs, quò illis majori fuit ad virtutem incitamento, & adjumento.

Quær. 2. an reprobatio in reprobis sit culpæ causa?

R. non esse. Sess. enim 6. Concilii Trident. can. 6. anathemate percellitur, qui Deum esse causam mali non permissivè tantùm, sed etiam propriè & per se dixerit; nec minùs Judæ perditionem, quàm Pauli vocationem esse Dei opus proprium. Undè can. 9. qui reprobos esse divinâ potestate ad malum prædestinatos dixerit, damnatur.

Quis autem & quantus sit reproborum numerus, certò novit solus Deus; cum id nec in Scripturâ, nec in Traditione fuerit revelatum.

Quæritur 3. an reprobatio peccandi necessitatem imponat?

R. reprobationem, licet certa sit & infallibilis, non tamen imponere peccandi necessitatem ipsis reprobis. Nam reprobatio est pars providentiæ: Porrò autem Providentia peccandi necessitatem haud imponit. Sic enim administrat omnia, inquit S. August. lib. 7. de civit. cap. 3. ut etiam ipsa proprios exercere & agere motus sinat. Undè salutem consequi simpliciter & in sensu diviso, ut loquuntur, possunt reprobi. Neminem enim, ut habet S. August. immeritum, seu sine malis meritis Deus plectere potest; quia justus est. Et ex S. Prosp. lib. de vocatione

Gent. *Æterna & semper tranquilla Dei cognitio nullâ nos urget necessitate peccandi; nec indè manat iniquitas, undè justitia.*

Hæc circa prædestinationis mysterium summa capita, ex Scripturis & Antiquorum monumentis censuimus colligenda; quæ compendiosiori stylo Theologiæ Candidatis proposuissemus; nisi de gravibus hæreticorum hallucinationibus fuissent præmonendi, & de Theologorum Catholicorum concertationibus. Si S. Petro fidem adhibere velint in asseverandâ suâ sanctis operibus prædestinatione, & in excitandis ad eandem sibi procurandam securitatem fidelibus, operam omnem indesinenter collocabunt.

FINIS.



TRACTATUS
DE SANCTISSIMA
TRINITATE.

IN PERLEGENDIS SCHOLÆ DOCTORUM scriptis operam non mediocrem qui collocaverit, quæstiones in Scholis uberiùs tractatas, breviori stylo hic expositas; à Scholæ verò Doctoribus breviter explanata dogmata, hic prolixâ tradi oratione deprehendet. Nihil tamen à nobis fuit prætermissum quod Theologos distinere soleat: quinimò multæ fuerunt à nobis additæ quæstiones ad mysterii explanationem non parùm utiles, quæ singulæ in SS. Patrum operibus occurrunt, tùm de mysterii cognitione Judæis concessâ, tùm de vocibus in mysterii expositione usurpatis olim, aut usurpandis. Non placebunt forsàn quibusdam de Verbi divini generationis, & Spiritus Sancti processionis ratione paulò temperatæ disquisitiones nostræ. Patrum doctrinæ assuefacti eas penitùs removissemus, nisi fuisset consuetudini utcunque serviendum. In stabiliendo adversùs renovatam posteriori sæculo Arianam hæresim, nunc Socinianam dictam, dogmate Catholico præsertim laborandum esse censuimus: Scripturæ Sacræ loca plurima fuerunt ideò expendenda; vindicandi quoque Patres Nicæni ab innovatione, quam illis Sociniani vitio dare non reformidant. Illam an-

Gent. *Æterna & semper tranquilla Dei cognitio nullâ nos urget necessitate peccandi; nec indè manat iniquitas, undè justitia.*

Hæc circa prædestinationis mysterium summa capita, ex Scripturis & Antiquorum monumentis censuimus colligenda; quæ compendiosiori stylo Theologiæ Candidatis proposuissemus; nisi de gravibus hæreticorum hallucinationibus fuissent præmonendi, & de Theologorum Catholicorum concertationibus. Si S. Petro fidem adhibere velint in asseverandâ suâ sanctis operibus prædestinatione, & in excitandis ad eandem sibi procurandam securitatem fidelibus, operam omnem indesinenter collocabunt.

FINIS.



TRACTATUS DE SANCTISSIMA TRINITATE.

IN PERLEGENDIS SCHOLÆ DOCTORUM *scriptis operam non mediocrem qui collocaverit, quæstiones in Scholis uberiùs tractatas, breviori stylo hic expositas; à Scholæ verò Doctoribus breviter explanata dogmata, hic prolixâ tradi oratione deprehendet. Nihil tamen à nobis fuit prætermissum quod Theologos distinere soleat: quinimò multæ fuerunt à nobis additæ quæstiones ad mysterii explanationem non parùm utiles, quæ singulæ in SS. Patrum operibus occurrunt, tùm de mysterii cognitione Judæis concessâ, tùm de vocibus in mysterii expositione usurpatis olim, aut usurpandis. Non placebunt forsàn quibusdam de Verbi divini generationis, & Spiritus Sancti processionis ratione paulò temperatæ disquisitiones nostræ. Patrum doctrinæ assuefacti eas penitùs removissemus, nisi fuisset consuetudini utcunque serviendum. In stabiliendo adversùs renovatam posteriori sæculo Arianam hæresim, nunc Socinianam dictam, dogmate Catholico præsertim laborandum esse censuimus: Scripturæ Sacræ loca plurima fuerunt ideò expendenda; vindicandi quoque Patres Nicæni ab innovatione, quam illis Sociniani vitio dare non reformidant. Illam an-*

tiquæ Fidei defensionem aggredi non potuimus, quin singula trium priorum sæculorum monumenta exquisitione sedulâ excuteremus. Adversus Socinianos argumenta, tam ex Scripturis, quàm ex SS. Patribus excerpta revocauimus ad certa capita, tùm ut Theologiæ candidatis essemus adjumento, tùm maximè ut illâ ratione adeò conspicua fieret Catholicæ Fidei veritas, ut non modò Arianâ subtilitate animis injecta qualibet dubitatio facillimè removeretur; sed & ad Socinianorum retundendas cavillationes fierent admodùm idonei Theologi, & paratissimi.



QUÆSTIO PRIMA.

De hujus Mysterii cognitione.

ARTICULUS PRIMUS.

Quâ ratione, quibusve gradibus ad Trinitatis cognitionem ascendere possimus?



TRINITATIS mysterio intelliguntur Personæ tres in unâ naturâ consistentes, & tribus in Personis una natura subsistens.

Quæstio non movetur de ratione aliquâ conjecturali; nam, positâ semel revelatione, facillimum erit cuilibet in rebus creatis quædam hujus mysterii vestigia deprehendere: sed quæstio est utrùm ratione probari possit mysterium istud, vel supposito, vel non dato revelationis præsidio.

CONCLUSIO I. Naturali ratione demonstrari non potest Trinitatis mysterium.

Prob. 1. Quod demonstrare possumus, id naturali ratione, seu cognitione assequimur; eloquimur ejus causam; vel effectus novimus; illudque legibus naturæ videtur statim consentaneum. Trinitatis verò adorandæ mysterium rationi humanæ penitùs est impervium; humano sermone idcircò non potest exponi; nullo effectu, nullâ causâ naturali significatur evidenter; naturæ legibus notis non statim videtur congruere: igitur quâ viâ demonstraretur naturaliter? 1. Naturæ viribus mens humana nullatenùs istius mysterii cognitionem assequitur, sed solius Dei revelationis beneficio singulari. Matth. 11. ℣. 27. *Nemo novit Filium, nisi Pater,*

neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Et cap. 16. cum Petrus hanc Fidei confessionem edidisset, ℣. 16. *Tu es Christus Filius Dei vivi*; Christus continuò subjecit, *Beatus es Simon Barjona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.* 2. Quæ de Deo argumenta quæst. 1. de Attributis, vel ex insitâ perceptione, vel ex rebus creatis collecta retulimus, nec Personarum pluralitatem in Deo vel leviter subindicant; & si quæ suppeteret ex naturâ ratio valida, dubio procul in Philosophis occurreret antiquis, & à SS. Patribus in re philosophicâ versatissimis fuisset laudata; ut quæ retundendis Philosophis, imò & hæreticis confutandis fuisset aptissima: nihil autem ejuscemodi apud Philosophos Sancti Patres deprehenderunt; quinimò rationis usum omnem ab isto mysterio remotum esse voluerunt, ut Sanctus Athanasius Epist. 2. ad Serap. *Qui autem plura istis quærit, studetque investigare, malè obtemperat dicenti, ne nimiùm sis sapiens, ne percellaris; quæ enim Fide tradita sunt, eà non humanâ sapientiâ, sed auditione Fidei decet comprehendere.* Professi sunt alii mysterium istud sermone nullo exprimi posse, vel intelligi, ut S. Hilar. lib. 1. & 3. de Trin. S. Ambr. lib. 1. de Fide, & S. Aug. lib. 3. de Lib. arb. c. 21. ubi sic habet: *Multa de Trinitatis ineffabilitate dicuntur, non ut ipsa dicatur; alioquin non est ineffabilis; sed ut illis dictis illam dici non posse intelligatur.* Et lib. 15. de Trin. c. 6. *Quis disputandi modus, quænam tandem vis intelligendi, atque potentia, quæ vivacitas rationis, quæ acies cogitationis attenderet? . . . . hoc unum quod sapientia dicitur Deus, quomodo sit Trinitas?* Ideò doctrinam Evangelicam gentibus videri creditu impossibilem docent alii, ut Orig. Hom. 15. in Exod. *Cum confitearis unum Deum*, inquit, *eàdemque confessione, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum asseris unum Deum; quàm tortuosum, quàm difficile, quàm inextricabile videtur hoc esse infidelibus? tùm deindè, cum dicis Dominum majestatis crucifixum.* Plerisque fuisse occasionem exitii scribunt alii, ut Lact. lib. 4. Instit. cap. 29. ubi ait professionem Fidei in unum Deum, simul & in Patrem, & Filium, multos qui cætera Religionis Christianæ dogmata probabant, in errorem egisse præcipites. Addunt alii Fidei certitudini quodammodò detrahi, cum argumenta quæruntur ex ratione; quia Fides nonnisi de invisibilibus datur, seu est *argumentum non apparentium* Hebr. 11. v. 1. & 1. Cor. 2. v. 6. *Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam verò non hujus sæculi.* Et proindè non est, quòd in istius mysterii gratiam ex ratione argumenta colligamus.

2. Quo pacto naturalis ratio hoc mysterium demonstraret? An à priori? At Trinitatis causa excogitari nulla potest, sicut nec Dei. An à posteriori duceretur argumentum? At nulli Personæ divinæ competit effectus proprius, qui cum personis divinis, prout relativè distinctis, necessariò sit conjunctus; nullus enim à Deo oritur effectus ad extra, ut loquuntur, qui non per scientiam, voluntatem, & potentiam producatur: atque adeò nihil est in rerum naturâ quod non respiciat Deum, quà intelligens est, volens, & omnipotens, & proindè quà unus est Deus.

Ultimò. Mysterium hoc naturæ legibus statim non occurrit consentaneum, & proindè ex naturâ non est repetendum. 1. Naturæ Lex est, ut unius rei una sit essentia; nec eadem essentia pluribus conveniat: in Trinitate verò trium Personarum una est essentia. Lex altera est, ut quæ sunt uni tertio eadem, sint quoque eadem inter se: in Trinitate verò Personæ tres quid unum sunt uni tertio, nempè essentiæ divinæ; & tamen inter se distinguuntur.

Opp. 1. Mysterium istud naturali ratione manifestum esse, cum ipsis Philosophis non fuerit incognitum, ex Just. in Apol. ad Senat. S. Clem. Alex. lib. 5. Strom. & Orig. lib. 1. de Principiis c. 3. ubi ait à quibusdam Philosophis Græcis, & Barbaris cognitum fuisse Patrem, & Filium; & lib. 6. contra Cels. cognitum fuisse à Platone Verbum Dei, epistolasque duas in quibus suam de Verbo opinionem tradit Plato, prætermisisse Celsum. Sanct. Augustinus libro 7. Confess. cap. 9. testatur se in libris Platonicorum legisse, non quidem iisdem verbis, quibus uteretur Ecclesia; *sed hoc idem omninò multis, & multiplicibus suaderi rationibus, quòd in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Et lib. 10. de Civit. cap. 23. ex Porphyrio, & Plotino alia refert in gratiam Fidei de Patre, & Filio, & aliquo intermedio. Et lib. 18. c. 23. Vaticinium Sybillæ Erythreæ narrat, sive, inquit, ut credunt alii Cumanæ, quo vaticinio Christi divinitas clarè statuitur. Mercurium Trismegistum Mose antiquiorem etiam mysterium istud docuisse quidam contendunt; dum ait Dial. 4. *Monas genuit Monadem, & in se suum reflexit ardorem.* Et in Serm. ad Asclepium alia habet hujuscemodi, ex S. Cyr. Alex. lib. 1. c. Julian. Non prætermittam quod argumentum urgent ex præconceptâ de numeri ternarii dignitate sententiâ, tùm apud Aristot. lib. 1. de cœlo, qui, ex Pythagorâ, ternario illo numero contineri omnia definit.

R. 1. cum Orig. lib. 1. de Princip. c. 3. Spiritum Sanctum in Philosophorum notitiam nunquam venisse; nec nisi Scripturarum ministerio posse nos ad illius mysterii fidem adduci.

Respondeo secundò, Mysterium istud à Philosophis non fuisse cognitum; quæ enim protulerunt, attributa quidem sunt, quæ personis tribuuntur, ut potentia Patri, sapientia Filio, & bonitas Spiritui Sancto; sed nunquam subodorati sunt trium Personarum in unâ naturâ existentium unitatem. Nihil aliud voluerunt Platonici in illis, quæ cap. 1. Evang. Joan congrua dixit Sanct. August. quàm ideas quasdam fuisse adhibitas à Deo, ut ad earum exemplar omnia formaret: vel si quid aliud sibi voluerunt illi Philosophi, dicendi sunt tres Deos constituisse, quorum alter esset summus, & supremus, & unicus omnium conditor: secundus inferior, omnium rerum artifex, & principium: tertius verò adhuc inferioris naturæ, & esset mundi anima. Hæc erui possunt ex Timæo Platonis, & illius Epist. ad Dion. Hermiam, Erastum, & Coriscum; & ita Platonis mentem exponit Euseb. lib. 11. de Præp. Evang. ex Platonis interpretum sententiâ. Ita etiam Alcinoüs, Plotinus, quem

citat S. Cyrill. lib. 8. contra Julian. & Proclus, qui Comm. in Timæum sententiam Numenii ad Platonis mentem accedere confirmat. Hinc etiam esse Platonis sententiam pluribus probat S. Cyrill. lib. 3. contra Julian. S. August. lib. 13. de Civit. cap. 16. & 17. tres divinitatis gradus ex Platonicorum doctrinâ institui scribit; quæ quidem Platonis, & Platonicorum sententia, varii licet fuerint in suâ Triade exponendâ, Arianismo fundamentum, & materiam præbuit.

3. R. cum S. Justin. in Apol. ad Senat. ex Mose, & ex Scripturis accepisse Platonem, quæ protulit de Verbo, si quid veri dixit; ita quoque Euseb. lib. 11. de Præp. Evang. c. 10. & S. Aug. lib. 2. de Doct. Christ. c. 28. Eandem refert. S. Ambr. sententiam. Non mirum autem, quòd ex Platonis discipulis quidam propiùs ad Christianorum mentem accedere videantur; cum propagatæ Religionis tempore floruerint, & magnâ cum Christianis Doctoribus familiaritate usi fuerint; ac proindè sua dogmata ad mentem Christianorum explicarint.

R. ad vaticinium Sybillæ cum S. Hieron. lib. 1. contra Jovin. Revelationis donum ob Virginitatis præstantiam Sybillis fuisse concessum, si quid veri tradiderint; sed, ut ut sit, constat acceptum esse divinitùs, quidquid de Trinitatis mysterio senserunt, aut scripserunt: ne modò, an Sybillæ revera extiterint, expendamus.

R. ad Trismegistum, nihil aliud velle, quàm unicum à Deo mundum fuisse conditum; nec est magna libri hujus authoritas, cujus author etiamnum incertus est, videturque 2° nascentis Ecclesiæ sæculo floruisse; idque cùm ex multis, tùm quòd author iste plurima referat ante illud tempus inaudita, & in usu posita solùm apud Christianos istius ævi.

R. ult. eam antiquorum Philosophorum de ternarii numeri excellentiâ sententiam, non ex Sanctissimæ Trinitatis ideâ fuisse repetitam, sed ex istius numeri perfectione, mihi, fateor, omninò incognitâ: nec sanè unquàm vel lectione, vel viris in illâ numerorum scientiâ commendabilibus consultis, quæ numerorum esset perfectio toties apud SS. Patres laudata compertum habere potui; vel quæ possent esse perfectionum, aut mysteriorum in numeris secum invicem comparatis fundamenta. Interim cum S. Dion. lib. de divinis Nominibus concludo nullo numero, divinitatis, quæ rationem omnem superat, arcanum aperiri.

INST. Illud naturaliter cognitum fuit à Philosophis, cujus à naturâ plurimæ traduntur quasi delineationes; ex imaginibus enim in exemplaris cognitionem facilè deducimur: quod autem plurima Trinitatis naturalia dentur vestigia satis constat. S. Athan. naturæ unitatem in tribus Personis, fluvii, & fontis similitudine ostendi credidit. Eandem comparationem adhibuerat S. Dion. Alex. ut in Epist. de illius sententia refert S. Athan. Lact. lib. 4. cap. 29. luce, & splendore Solis etiam exhiberi Trinitatem tradit, ut & S. Athan. Orat. 4. contra Arianos, & alibi. Item & calore, & splendore ignis, aut tribus lucernis, quæ revera inter se differunt; lumen tamen idem fundunt, & conficiunt. S. Greg. Naz. Orat. 5. de Theol. Trinitatem similem esse ait catenæ,

quæ una esset, & ex tribus annulis distinctis componeretur; aut Solis radio, qui prout pluribus in locis variè repercutitur, tres varios colores efficit; aut arbori, in qua radix, truncus, & rami differunt, & sunt ejusdem naturæ; aut triangulo, in quo tres anguli sunt à se invicem distincti, & sunt una figura & una species; aut intellectui, voluntati, & memoriæ, quæ eidem insunt animæ; aut quòd in creaturis tria semper occurrant, unitas, æqualitas, & ordo; aut mensura, numerus, & ordo: quæ exempla apud S. Dionys. Alexand. Lactant. SS. Athan. Hilar. Basil Greg. Naz. & Aug. occurrunt.

R. 1. delineationes, aut vestigia rem quidem jam cognitam, aut revocare in memoriam, aut explicare clariùs; modò tamen rei natura cognoscatur aliundè: sed si rei cognitio accepta non fuerit, nihil ad rem cognoscendam conferre. Licet enim v. c. imagini Regis exhibendæ idoneum sit speculum; non ideò tamen Regem exhibebit, nisi Rex coràm obversetur: item si occurrant leonis vestigia, nisi priùs leonem quis noverit, leonem indè non noscet.

2. Si qua vel imago, vel statua proponeretur tam affabrè facta, ut non solùm externam rei speciem, colores, ac lineamenta nobis adumbraret, sed ipsam ejus naturam exprimeret; vel unico sanè istius imaginis intuitu in archetypi cognitionem sæpè adduceremur. At quæcumque Trinitatis species, & imagines quantumvis perfectæ, nonnisi rudi penicillo eam repræsentabunt. Ità S. Hilar lib. 1. de Trin. *Quibus utimur*, inquit, *comparationes, intelligentiæ quidem nostræ sunt monumenta; sed Deo minus congrua, quæ magis significant, quàm explent intelligendi desiderium.* S. Gregor. Naz. orat. 37. ubi ex sole, & ejus radiis ad Trinitatem explicandam comparationem adduxit, quid à Trinitate alienum sit in illâ comparatione observat, simulque subjicit rem esse nullam, quæ Deum referre, aut repræsentare possit: *Nisi*, inquit, *fortè quispiam eâ animi æquitate sit, ut cum unum aliquid ex propriâ imagine acceperit, reliqua projiciat. Postremò itaque hoc mihi consultissimum visum est, ut missis factis imaginibus illius, atque umbris, ut fallacibus, plurimùmque à veritate remotis, piam ipse cogitationem, fidemque mordicùs retineam*, &c.

Inst. Deus infinitè bonus cognoscitur naturaliter; & proindè perfectissimè communicare se potest: at nulla perfectior est se communicandi ratio, quàm ea quâ Pater Filium, & uterque Spiritum Sanctum producit.

R. ex naturali ratione non habere nos summum bonum necessariò communicare suam naturam totam, nec tribus potiùs quàm quatuor, & ità ut ratione naturæ non distinguantur illa tria: imò si solâ rationis lance summi boni naturam expendamus; quia non est ex illis, quæ necessariò agunt, liberè tantùm præstare videretur, quæ præstat.

Inst. Deus est summum bonum: ergò maximè sui diffusivus, non solùm ad extrà, sed etiam ad intrà; quia perfectius est posse communicari ad intrà, & ad extrà, quàm ad extrà solùm. 2. cum cognoscitur

aliquod principium naturale, cognosci etiam possunt naturaliter, quæ habent necessariam connexionem cum illo principio: communicatio autem ad intrà maximam habet connexionem cum bonitate divinâ.

R. naturaliter quidem cognosci, Deum posse communicari ad extrà, non verò ad intrà. Cum cognoscitur principium naturale, cognoscuntur quidem quæ dicunt habitudinem ad illud principium; quia ejusdem ordinis sunt & principium, & illa habitudo; & cognoscitur principium ut in se est: at verò communicatio interna in Deo ordinis est supernaturalis, nec Deus in hâc vitâ cognoscitur, ut est in se.

Inst. Naturaliter cognoscitur Deus ut infinitè beatus; & sic egere consortio: beatitudo enim sine consortio stare non potest.

R. scire nos Deum esse summè beatum, & proindè nullo egere, quo beatitudo ejus cumuletur; nec tamen nos nosse naturaliter Dei beatitudinem in consortio trium personarum consistere.

Opp. 2. Naturaliter novimus Deum vivere vitâ perfectissimâ, & proindè intellectuali: simul & habere voluntatem perfectissimam: sed qui perfectissimâ intellectione intelligit, & perfectissimâ voluntate vult, tùm voluntatis, tùm intellectûs producit terminos perfectissimos, & proindè substantiales, utpotè immanentes; nullum enim inest Deo accidens: hi verò termini distinctarum substantiarum rationem habere non possunt; plures alioquin essent Dii: solam igitur personarum rationem obtinent, & proindè personarum pluralitas ratione naturali demonstratur. Hâc aliâ ratione Ethnicis, ne in Judaïsmum labantur, Trinitatem probandam censet in Orat. Catecheticâ S. Greg. Niss. Deum scilicet neque sine ratione esse, neque sine verbo; & quia hominis mortalis mortale verbum est, Dei immortalis immortale est verbum; & quia nonnisi attracto spiritu, aëre scilicet, sermonem efficit homo; in Deo spiritus est, non exterior, sed interior, quo verbum firmetur.

R. rationem quidem naturalem demonstrare in Deo voluntatem simul & perfectissimum intellectum; nullatenùs tamen persuadere utriusque potentiæ terminos produci substantiales: nam præterquamquòd ipsa ratio nihil in Deo relativum suspicatur, nihil in eo detegit, aut videt, nisi quod est absolutum. Neque consentiunt Philosophi omnes tùm intellectûs humani, tùm voluntatis terminos ab utrâque potentiâ reipsâ distingui; cum multi ex illis, & gravissimi Philosophi terminum ab actione non sejungant; & nemini unquam in mentem veniret, non multiplicatâ essentiâ terminos substantiales multiplicari: nec etiam quis sibi suadere posset, undè repeteretur discrimen, quod inter illos substantiales terminos intercederet. Quàm autem infirma sit ratio à S. Greg. Niss. proposita, satis apertum est: sed uberiùs de his, quæst. 3. art. 3. ubi de ratione processionum divinarum, & de ratione intellectionis, & volitionis divinæ, dissseretur.

Conclusio II. Probari potest Trinitatis Mysterium negativè, ut loquuntur, seu ostendi potest non esse impossibile.

Prob. 1. Quod à Deo nobis injungitur credendum; pro impossibili haberi

non debet; Deus enim fallere non potest: & gravissimæ licet opponantur difficultates, quæ mentem concutiant, obsequi debet animus, & rei non solùm ut possibili; sed etiam ut existenti assentiri: iniquum enim penitùs esset, si judicii nostri tenuitate, & modulo divina vellemus admetiri.

2. Non difficulter adversariorum argumentis respondetur; probari verò negativè dicitur, quod evincitur non esse impossibile.

Obj. Impossibile censendum, quod naturæ leges conclusione priori relatas penitùs evertit, & rationi nostræ omninò adversatur: Trinitatis autem mysterium est hujuscemodi.

R. 1. cum S. Ambros. lib. de Initiand. c. 9. in Christianâ Religione occurrere multa, quæ contra naturam pugnare videntur; quia ordinarias naturæ leges longè superant. S. August. lib. de Utilit. credendi cap. 2. ait res fidei posse facilè *accusari populariter, non autem ita facilè defendi populariter, propter mysteria quæ his continentur, &c.* Cæterùm meminisse debemus quantùm supra nos emineat omnipotens & arcana Dei virtus, & quàm stultum sit ejus naturam intellectu assequi velle.

2. Impossibile non esse Trinitatis mysterium, seu contradictionem non involvere planum fiet, si naturæ leges mox relatas, quæ perfringi videntur, percurramus. Contra naturæ consuetudinem quidem, sed non contra naturam in tribus Personis unam esse essentiam contendimus: nam prætterquamquòd unam naturam, & eandem ideam omnibus hominibus inexistere dixerunt Platonici, licet singuli homines inter se sint distincti: unum etiam numero intellectum in omnibus esse hominibus docuisse fertur Averroës. Econtrà verò à pluribus propugnatur plures esse formas substantiales, ut tres animas in eâdem re; & proindè naturæ lumini qui adhærent, & unam naturam in pluribus, & plures naturas in eâdem re profiteri non dubitant: sicque non ità à naturæ legibus, aut humanis opinionibus abducitur humana mens, cum ad Trinitatis confessionem excitatur.

3. Qui contendunt hoc mysterium repugnare principio naturaliter cognito, quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se; non advertunt valere tantùm principium illud; cum, quæ identificantur alicui tertio, identificantur ei adæquatè sumpto, nec opponuntur relativè: Pater autem divinus identificatur quidem naturæ divinæ; sed non adæquatè sumptæ, seu prout natura divina identificatur Filio; alioquin Pater esset Filius: Pater autem non potest esse Filius, quia relativè opponuntur. Accedit etiam quòd quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem secundum illud tertium: cum ergò dicitur, Pater & Filius sunt idem cum essentiâ divina; igitur sunt idem inter se, absolutè negari potest consequentia, nisi addatur, secundum essentiam divinam, quod verum est, nam sunt unus Deus: at quæ uni tertio eadem sunt, distingui posse ratio ostendit: actio enim & passio res eadem sunt, seu idem motus; tamen sunt duæ relationes oppositæ, & utraque est accidens, & in vario subjecto: relatio enim actionis necessariò est in agente;

agente : in patiente verò passionis relatio. Accidentia, quæ sunt in subjectis numero differentibus, numero quoque differunt : relationes ergò actionis, & passionis inter se numero differunt; & proindè differunt realiter inter se, & sunt tamen quid unum uni tertio.

INST. Pater & Filius identificantur in naturâ divinâ adæquatè sumptâ; quia identificantur divinæ naturæ, quæ est indivisibilis : & sic cum eâ adæquatè sumptâ sunt unum, & idem.

R. non identificari adæquatè; quia natura divina est virtute multiplex, licet sit indivisibilis; & potest communicari multis personis. Hinc etiam fit, ut de eodem virtute multiplici possint dici contradictoria; quòd quæ sunt distincta virtualiter, æquivaleant multis : at verò unum & idem non potest esse sibi relativè oppositum, seu sui Pater, & sui Filius simul.

INST. Omninò rueret tota forma syllogistica, quæ innititur huic principio: Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se : nam duo extrema quæ identificantur in conclusione, nunquam adæquatè identificantur medio termino in præmissis.

R. 1. eam non ruere, quia in tantùm conjunguntur inter se prædicatum, & subjectum, in quantum uniuntur in medio; non autem inter se juxta universam medii amplitudinem conjunguntur. Sic v. c. in hoc syllogismo, omnis homo est animal; Petrus est homo: ergò Petrus est animal; quia Petrus, & animal uniuntur tantùm cum homine, prout homo est vivens sentiens, non verò prout homo est gradus specificus : hinc nec Petrus, nec animal dici species possunt. Secundò, cum attributum aliquod potest secundum aliquid præscindi, secundum illud totum non convenit subjecto. Animal tribuitur homini, & dicitur de animali, quòd sit genus; generis tamen ratio homini non tribuitur. Sic quamvis Pater esse dicatur essentia divina, dicenda tamen non est essentia divina generare, licet Pater generet; quòd nimirùm inter essentiam divinam, & Patrem, sit distinctio virtualis.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrùm Trinitatis mysterium noverint Judæi?

INDE dubitandi ratio circa quæstionem hanc est profecta, quòd eadem fides utroque in Testamento viguerit, & Veteris Testamenti authoritatibus pluribus mysterium comprobetur. Hanc quæstionem à Sanctis Patribus expositam proponemus.

CONCLUSIO. Judæorum vulgus Trinitatis mysterium latuit; nec ferè, nisi Prophetis, innotuit, iisque, quibus ob vitæ sanctimoniam singularis è cœlo lux fuit oborta.

Prob. 1. pars. Quibus Filius divinus, seu Verbum divinum fuit incognitum, & quibus Trinit. mysterium non exponebatur, illos procul dubio latuit illud

mysterium. Judæorum autem vulgo Dei filius non erat notus, nec mysterium istud illis explanabatur, idque variis de causis.

1. Judæorum vulgo Verbum Divinum erat incognitum: Ex S. enim Irenæo lib. 4. cap. 17. ideò à veritate deflexerunt Judæi, quòd Verbum ignorarent, & sine Filio, qui se videndum aliquis præbuerat, posse se cognoscere Deum existimarent. Item ex Eus. lib. 4. de Demonstr. cap. 1. qui esset Messias promissus, non norunt Judæi: *Quippè qui divinam illius naturam ignorarent.* Et cap. 7. Patrem solum ab illis fuisse cognitum addit, & ad unius Patris adorationem à Verbo fuisse institutos.

2. Judæorum vulgo mysterium illud non exponebatur, variis de causis. 1. quòd ejus expositio servaretur Christo; seu quia tam reconditam veritatem solius erat Christi edocere, Matth. c. 11. & c. 16. suprà art. 1. citatis. Undè Tert. lib. contra Prax. cap. 13. huic objicienti, *in antiquis scripturis haberi, ego dixi, vos Dii estis; & nomen illud, Deus, tùm Patri, tùm Filio fuiße tributum*; atque hinc inferenti duos sic fore Deos; respondet negando illud indè sequi, sed quia sunt unus Deus, Pater, & Filius; illam autem fidem Christi magisterio deberi, *ut ubi venisset Christus tunc & Deus agnosceretur, & Dominus vocaretur ..... At ubi venit Christus, cognitus est à nobis, quòd ipse sit, qui numerum retrò fecerat, factus secundus à Patre, & cum Spiritu tertius, & jam Pater per ipsum pleniùs manifestatus.*

2. Oeconomiâ illâ erga Judæos usus fuit Dominus, inquit Eusebius lib. 1. contra Marcell. cap. 1. quòd ab Idololatriâ ad unius Dei cultum avocare, & transferre Judæos satis esset: timendumque videretur, ne in Idololatriam exposito sibi mysterio relaberentur.

3. Ideò etiam dilata fuit istius mysterii explanatio, ut Novum à Veteri Testamento secerneretur, & ab Ethnicorum superstitione: quod discrimen palàm tradito plebi Judaïcæ mysterio penitùs fuisset sublatum. Undè Tert. lib. contra Prax. cap. 3. ait Evangelium inter, & Judaïsmum discrimen nullum futurum fuisse constituendum, si trium Personarum fides Evangelio singularis non esset; quod mysterium Filius revelavit & tradidit. *Quæ est*, inquit, *substantia Novi Testamenti statuens Legem, & Prophetas usque ad Joannem, si non exindè Pater, & Filius, & Spiritus tres crediti, unum Deum sistunt? sic Deus voluit novare Sacramentum, ut novè unus crederetur per Filium, & Spiritum, ut coràm jam Deus in suis propriis nominibus, & personis cognosceretur, qui & retrò per Filium, & Spiritum prædicatus non intelligebatur.* Item S. Basil. lib. 2. contra Eunom. ut omnium mysteriorum illustrissimum, Trinitatis commendat mysterium, ut quo à Judæis, simul & Paganis distinguantur Christiani.

Altera conclusionis pars evincitur; Prophetis, scilicet, & viris sanctitate præditis mysterium istud innotùisse; ex eo quod videndi Christi desiderio summo tenebantur, ejusque adventum postulabant. Matth. 13. ℣. 17. sic Christus ad Apostolos: *Amen quippè dico vobis, quia multi Prophetæ, & Justi cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt; & audire*

quæ auditis ; & non audierunt. Joan. 8. ℣. 56. *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum : vidit & gavisus est.* Ideò Origen. Hom. 3. in Josüe censet duas tribus ; & dimidiam extra Jordanem remansisse ; ut significaretur illis qui ad legem pertinerent, *contigiße quidem scientiam Trinitatis ; sed non integrè, & perfectè, sed ex parte ; quia dispensatio carnis in Christo nondum fuerat impleta.* Concedit autem quandam delineationem habuisse, ut potè quod mysterium in Scripturis contineretur. S. Epiph. lib. 1. de hæres. scribit ab Adamo, Prophetis, & Patriarchis cognitam fuisse sanctam Trinitatem, licet unius Dei cultum Deus Judæis indixisset. *Una tamen & Trinitas semper in illâ singulari divinitate nunciata, creditaque ab illis est, qui cæteris antecellerent ; cujusmodi Prophetæ, atque eximiâ sanctitate præditi homines fuerunt.* S. Ambros. lib. 1. de Caïn, & Abel cap. 8. ait Trinitatis fide ornatum fuisse Abrahamum, cum de eo Joan 8. dixerit Christus, *Abraham vidit diem meum, & gravisus est.* S. Aug. lib. 2. de Trin. cap. 12. docet Abraham cum tres vidit, Trinitatis figuram, & imaginem conspexisse. Hæc aliâs confirmabuntur, cum probandum erit, fide in mediatorem fuisse olim instructos, qui Deo placerent.

O p p. Ex S. Basil. lib. 5. contra Eunom. ab Hebræis cognitum fuisse Dei Filium, & adoratum ; & proindè novam rationem cultui Christianorum fuisse tantùm additam.

R. S. Basil. nihil aliud velle, quàm eos ex Judæis, qui sanctitate præcellerent, hac gratiâ donatos fuisse ; & hac ratione nihil Christiano cultui accessisse ; &, ut habet, Filium & Spiritum Sanctum ab Hebræis fuisse adoratos : quia Creatori suam adorationem deferebant. Hoc autem nihil aliud subindicat, quàm Filium, & Spiritum Sanctum fuisse in cultu apud Hebræos, quia Deus sunt ; non verò ut divinitate eâdem cum Patre ornatos venerationi fuisse propositos : nec certè contendit invaluisse apud Judæos publicam de Trinitate professionem, quam, ut suprà notavimus, excludit ; imò & Trinitatis fidem, ut singulare Christianorum privilegium commendat : & ut habet S. Greg. Naz. Orat. 37. *Accessio fidei facta est, quia in Veteri Testamento Pater apertè prædicabatur, Filius verò obscuriùs, in Novo Filius perspicuè annuntiatur.*

I n s t. Judæorum vulgus agnovit Trinitatem, quia cognoverunt Messiam esse Deum, & esse alium à mittente ; non quidem divinitate, quia unus est Deus, sed ratione personæ : nomine siquidem Dei proprio, *Jehova*, Messias nuncupatur, Jerem. 3. & 33. v. 16. Isaiæ 28. &c.

R. 1. nomen, *Jehova*, vulgo Judæorum ignotum fuisse ; *Jehova* quidem in Bibliis scribebatur ; sed ex traditione legebant populi, *Adonaï*, seu *Dominus* : solius erat summi Sacerdotis semel per annum Sancta Sanctorum ingressi festo expiationis, vocabulum illud proferre in aditu, paucis ex Sacerdotibus audientibus, & procumbentibus ad hanc ceremoniam ; quadraginta per dies summus Sacerdos parabatur : sicque populus rationem divinitatis Messiæ non tribuebat.

2. Etiamsi nomen, *Jehova*, legissent, scripturam non intellexissent :

non enim intelligere illis dabatur: Christi quippè solius erat illud mysterium tradere. Ità Tertullianus libro contra Prax. cap. 13. Quinetiam Matth. 13. ℣. 11. ipse Christus alloquens Apostolos, ita testatur: *Vobis*, inquit, *datum est noße mysteria Regni Dei; illis autem non est datum.* Et ℣. 13. *Ideò in parabolis loquor eis, quia videntes non vident.* Discipulos etiam Emmaüi increpat, Luc. 24. qui, quæ de Messiâ in Scripturis leguntur, non intelligebant, ℣. 25. *O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ.* ℣. 27. *Et incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant.* Et sanè si Messiam Deum futurum esse Judæi novissent, lapidibus Christum, Joan. 8. quòd se Deum faceret, non tentassent obruere; nec Christianos, qui Christum ut Deum adorarent, tàm acriter fuissent insectati, ut habetur apud S. Justin. in Dial. adversùs Triph. Hinc Scripturarum bajuli meritò dicti sunt Judæi, & earum onere premi, & eas in Christianorum commoda, & Christianæ Religionis authoritatem ubique proponere.

Inst. Novi Testamenti loca minùs evidenter Christi divinitatem probant, quàm veteris Fœderis testimonia; quia quæ sunt novi Fœderis sæpè innuunt, quæ à divinitate aliena sunt; ut quòd Filius sit Patre minor.

R. veteris Testamenti loca pro Messiæ divinitate nosse nos ut evidentissima, simulque contendere à Judæorum vulgo intellecta non fuisse, & ad retundendam Judæorum pervicaciam admodùm esse idonea. Quæ verò Christi divinitati in novo Testamento adversari videntur, Christi humanitatem exprimunt, ut infrà quæst. 3. art. 3. exponetur.

Inst. Judæi, qui humani generis restaurationem, salutis, & meriti causam ad Messiam referebant; cum hæc solius Dei opera sint, Deum illum esse censebant.

R. Judæos expectasse Messiam, non ut humanæ salutis restauratorem &c. sed ut principem potentissimum, qui domitas gentes Judæis subjiceret, eosque omni felicitatis genere cumularet. Hinc ex populari illâ opinione ità ad Christum post resurrectionem Apostoli Act. cap. 1. v. 6. *Si in tempore hoc restitues Regnum Israel?* Qui justi erant apud eos, salutem consequebantur quidem per fidem in Messiam; sed per implicitam, non explicitam, quæ eximiorum tantùm erat.

ARTICULUS ULTIMUS.

Quâ cautione de hoc Mysterio agendum?

CONCLUSIO. Nec levibus, nec nutantibus utendum est argumentis, sed quæ ex revelatione, seu ex Scripturis, & Traditione eruantur.

Cum rationi penitùs impervium ſit Trinitatis myſterium, rationis miniſterio non eſt utendum, ut ejus aſſeratur veritas; maximè cum ſingulare ſit Religionis Chriſtianæ myſterium, imò & Chriſtianæ Fidei columna: *Funis*, inquit Orig. Hom 9. in Exod. *triplex non rumpitur, quæ eſt Trinitatis fides, ex quâ dependet, & per quam ſuſtinetur omnis Eccleſia.* S. Hilar. lib. 6. de Trin. *Super hanc igitur confeſſionis petram Eccleſiæ ædificatio eſt; ſed ſenſus carnis & ſanguinis, confeſſionis hujus intelligentiam non revelat.* Et proindè, niſi ſolidis nitatur fundamentis columna hæc, corruet tota fides Chriſtiana. Solis ergò Scripturæ, & Traditioni inhærendum, ut hoc ſublime myſterium ſuis ſolidatum monumentis ſit inconcuſſum. S. Athanaſ. Epiſt. 2. ad Serapion. de Spiritu ſancto: *Ludentium*, inquit, *eſt proprium percunctari quæ ſcripta non ſunt, & dicere, ergò-ne Filius eſt Spiritus Sanctus, & avus Pater? Ad hunc modum rident, qui habitant in Cæſareâ, & Scytopoli: ſufficit ut credatis, quòd non eſt creatura Spiritus; ſed quòd eſt ſpiritus Dei: & in hoc Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus.* Sic S. Baſil. Hom 17. & lib. 5. contra Eunom. Imò, ſi quid aliud tentetur, perfringi mandata Apoſtolica S. Athanaſ. exiſtimat. S. Aug. lib. 1. de Trin. cap. 3. ut cautiores nos reddat, ſic monet: *Nec periculoſiùs alicubi erratur, nec laborioſius aliquid quæritur, nec fructuoſius aliquid invenitur.* Lib. 1. de Civit. c. 23. ait aliam à Philoſophis eſſe apud Chriſtianos docendi rationem: *Liberis enim verbis loquuntur Philoſophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offenſionem religioſarum aurium pertimeſcunt: nobis autem ad certam regulam loqui fas eſt: ne verborum licentia, etiam de rebus quæ his ſignificantur, impiam gignat opinionem.* Undè & lib. 3. de ſe ipſo ità ſcribit: *Non pigebit me, ſicubi hæſito, quærere; nec pudebit, ſicubi erro, diſcere: quiſquis ergò audit hæc, vel legit, ubi pariter certus eſt, perget mecum; ubi pariter hæſitat, quærat mecum; ubi errorem ſuum cognoſcit, redeat ad me; ubi meum, revocet me: ita ingrediamur ſimul charitatis viam, tendentes ad eum, de quo dictum eſt: Quærite faciem ejus ſemper.* Quod exemplum ſi pro lege haberetur, non ſolùm à Catholicâ ſocietate diſſenſiones omnes removerentur; ſed & à ſocietatibus, quæ tanto animorum æſtu Eccleſiam Catholicam impugnant.

Ne igitur adversùs Ethnicos, Judæos, & Hæreticos hujus myſterii hoſtes infenſiſſimos ex humano ratiocinio petantur argumenta; nec ratio advocetur, ut myſterii hujus arbitra. Si nobis ſit res cum Ethnico, veritas, & Religionis noſtræ præſtantia ſuis primò probetur rationibus; & ubi de Religionis veritate conſtiterit, ex ipſis Religionis principiis ille ad Trinitatis fidem adducatur. Si verò cum Judæis decertandum ſit, ex Scripturis excerpantur myſterii fundamenta, & Fidei noſtræ veritas; & ubi immutandæ legis neceſſitate præmiſſâ, variæ Prophetarum de immutando fœdere certò & clarè dilucidatæ fuerint Scripturæ; quid credendum indixerit novi fœderis inſtitutor, demonſtretur. Hanc mox rationem non inibimus: conſtantes de immutan-

do fœdere Prophetias ſupponemus ; ſoliſque antiqui Teſtamenti monumentis adversùs Judæos utemur. Si verò contra Hæreticos ſit propugnanda veritas, non ſola in auxilium vocabitur Scriptura, tùm vetus, tùm nova; ſed & ipſa ſæculorum antiquorum traditio, & Eccleſiæ authoritas. Verùm ne argumentorum ſeries interturbetur ; contra Judæos, ſimul & Hæreticos agendum nobis erit: nam quibus authoritatibus premuntur Judæi, iiſdem conteruntur & Hæretici. Porrò Traditionis antiqua monumenta dum expenduntur, attento animo ſcopuli graves ſunt declinandi: non enim tantùm hos in ſcopulos impegerunt, qui posteriori ſæculo antiquas renovarunt hæreſes; ſed & ex Catholicis Doctoribus quidam, qui adversùs veritatem Catholicam ejus hoſtibus infenſiſſimis arma præbuerunt, non conſultò quidem, ſed in expendendâ veterum Patrum ſententiâ minùs cauti ; quos prohindè Sociniani nobis opponunt. Quas in examine ſimili leges æquitas poſtulet, ſtabiliemus; tùm cuique fiet palàm Deo juvante, ut ſpes eſt, ne vel minimum quid in dogmate fuiſſe à Patribus Nicænis innovatum, & conſtanti Patrum antiquorum, & ſuperiorum temporum conſenſioni unanimi eos adhæſiſſe.

QUÆSTIO SECUNDA.

De tribus in Deo Perſonis.

ERRORES.

NIHIL in hoc myſterio intactum reliquit hominum temeritas. Perſonarum pluralitatem ſuſtulerunt aliqui: Perſonarum verò pluralitate admiſsâ, tres Deos alii induxerunt ; ſeu Deum, qui non eſſet numero unus, ſed ſpecie : alii verò plures Perſonas agnoverunt, quæ eſſent Deus ; ſed quarum prima, ſeu Pater, eſſet ſupremus Deus ; Filius verò minor, aut inferior Deus ; & Spiritus Sanctus minimus Deus. Conſubſtantialitatem inter Perſonas hi penitùs ſuſtulerunt ; & ex illis quidam Filium, & Spiritum Sanctum creaturas dicere non dubitaverunt.

Inter hæreticos primos eſt ſtatuendus Simon Magus, qui pauló poſt Chriſti mortem, ut habet S. Auguſt. lib. de hæreſ. cap. 1. ſe omnem Trinitatis Perſonam eſſe profiteri auſus eſt, & in Perſonâ Patris ſe legem tuliſſe, in Filii Perſonâ conſpicabilem ſe feciſſe, & in linguis igneis in Spiritus Sancti ratione ſuper Apoſtolos deſcendiſſe: undè unicam Trinitatis Perſonam conſtituebat, quæ ipſemet eſſet Simon.

Valentinus an. 145. ex S. Athan. lib. de ſalutari adventu Chriſti, totam Trinitatem paſſam eſſe docuit, Chriſtumque ejuſdem cum Angelis fuiſſe naturæ.

Praxeas Aſiaticus omnium primus eandem hæreſim Romæ propugnandam an. 196. ſuſcepit, pietatis ſpecie, nempè ut Dei unitatem tueretur.

Hinc Tert. l. contra eum c. 1. sic habet. *Variè Diabolus æmulatus est veritatem, & affectavit illam aliquandò defendendo concutere: unicum Dominum vindicat omnipotentem, mundi conditorem; ut & de unico hæresim faciat: ipsum dicit Patrem descendisse in Virginem, ipsum ex eâ natum, ipsum passum, deniquè ipsum esse Jesum Christum.* In Praxeam invehitur Tertull. quòd sibi martyrii gloriam ascriberet, licet in carcerem detrusus, levia, & paucis diebus, fuisset perpessus.

Noëtum S. Epiphan. lib. 2. de Hæres. primum Trinitatis adversarium, & ejusdem hæreseos authorem constituit. Hic Ephesius erat, & circa an. 245. prodiit: patriâ Smyrnæum facit Theodor. lib. 3. Hæret. Fabul. Ille se Moysen, & Fratrem suum Aaronem dicebat. Cum à Presbyteris ut in Trinitatem contumeliosus argueretur, inficiari primò cœpit: Deindè à Presbyteris advocatus, adjunctis sibi sociis decem tria tantùm in Trinitate nomina, quæ eidem Personæ convenirent, esse admmittenda palàm fuit contestatus; ideò cum discipulis ab Ecclesiâ fuit à Presbyteris expulsus.

Sabellius circa ann. 257. in Libyâ patriâ suâ, & in urbe Ptolemaïde, idem quod Noëtus, fuit professus; ut qui ex Epiph. lib. 2. tom. 1. unicam in Deo admiserit Personam; iisdem fermè quibus Noëtus, & Praxeas principiis innixus. S. Aug. lib. de Hæres. cap. 41. miratur quòd ex Noëti, & Sabellii hæresibus duas constituat S. Epiph. cum unius quidem sectæ plura sint tantùm nomina. Sabellium nominatim impugnavit S. Dion. Alex. Illius hæreseos sectatores à Romanis dicti sunt Patripassiani, ut notant Eusebiani apud S. Athan. lib. de Synodis.

Inter secundi ordinis hæreticos primus statuendus est Apelles Marcionis discipulus, qui ad an. 146. Deum summum constituit, alterum in tempore fingens à summo illo Deo creatum, cum orbis creandi consilium suscepit. Sic S. Epiph. lib. 1. tom. 3.

Tempore S. Dionys. Romani hæreticos fuisse quosdam docet Sanct. Athanas. Epist. pro Conc. Nicæno, qui cum Sabellianam impugnarent hæresim, tres Deos distinctos asseruerunt. S. Basil. Epist. 70. ad Episc. Galliæ, & Italiæ, hæreticos illos præpotentes primas sedes invasisse testatur, professosque unicum esse supremum Deum, Patrem scilicet; minorem Filium; Spiritum verò Sanctum esse creaturam. Undè qui ab istiusmodi hæreticorum partibus stabant, moralem tantùm voluntatis, aut consensus inter Patrem, & Filium unitatem admittebant. Ex S. Greg. Naz. Orat. 1. ad Cledonium, Trinitatem ex magno, majori, & maximo constituebat Apollinaris. Quidam etiam, ut refert S. Hilar. lib. 6. de Trin. divinitatem ut substantiam quandam spectabant, cujus partem obtineret Pater, partem verò aliam Filius; & sic divinitatem varias in partes secabant: quam hæresim lib. contra Auxentium impugnat; additque aliam, scilicet eorum, qui substantiam quandam primam admittebant, duasque alias substantias, quæ primam illam inter se partirentur.

Tertium hæreticorum genus singularum personarum, primâ exceptâ, divi-

nitatem impugnavit. Hæresis enim nulla Patri æterno divinitatem detraxit, nisi forsàn ex errantibus, qui plures Deos induxerunt; quos aliàs cum Idololatris confutavimus.

Divinitati verò Filii plurimæ adversatæ sunt hæreses. 1. Qui hæretici prioribus Ecclesiæ temporibus Ecclesiam infestarunt, ut Ebio, Cerinthus, Basilides, & Theodotus, de quo Euseb. lib. 5. Hist. cap. 27. Hi omnes Christum divinitate spoliarunt: & cum violatæ fidei Theodotus Coriarius incusaretur, Deo se injuriam non intulisse respondit; sed soli homini, quem negaverat: & sic perfidiæ crimen novo perfidiæ genere, & scelus scelere cumulavit: quare Ecclesiæ communione à Victore Papa fuit interdictus. Hujus discipulus Artemon, ejusque sectatores se antiquis Patribus addictissimos mentiebantur, & per Zephyrinum Victoris successorem in Ecclesiâ, corruptam fuisse prædicationis veritatem dictitabant. Iis annumerandi sunt, qui Christum Joseph filium fecerunt, ut Carpocras, de quo S. Epiph. lib. 1. tom. 2. & qui Filium Dei ante Incarnationem extitisse negarunt, inter quos Berillus Bostrensis in Arabiâ Episcopus, apud Euseb. lib. 6. Hist. cap. 33. Eorum omnium hæreticorum hæreses renovavit Paulus Samosatenus, ut referunt Euseb. lib. 7. cap. 27. 28. 29. & S. Epiph. lib. 2. tom. 2. Ob istius hæresim habita sunt Antiochiæ duo Concilia, in quorum altero damnatus est, ac Sede suâ deturbatus; quâ cum cedere nollet; interpellato, qui tùm imperabat Aureliano, vi detrusus est. Hanc hæresim renovavit Photinus Marcelli Ancyrani Episcopi discipulus, & Episcopus Sirmiensis, quem damnavit Synodus Sirmiensis an. 350. Mediolan. an. 355. ut refert S. Hilar. lib. de Syn. Hi autem non directè tres personas in Deo negarunt, sed indirectè tantùm: ex quo enim Christo Divinitatem auferunt, unam in Deo personam solùm agnoscunt, & tres negant. Num Marcellus eâ in sententiâ fuerit, aliàs erit expendendum.

Ex his qui Divinitatem Christi impugnarunt, fuêre, qui Verbum non aliquid subsistens dici voluerunt; sed verbum quoddam prolativum; & proindè, quod sermonis nostri naturam imitaretur: ita ut ubi fuisset prolatum, esse desineret. Hanc confutat hæresim author tom. 1. in Joan. apud Orig. hujus etiam erroris incusat Marcellum Ancyran. S. Basil. Epist. ad Episc. maritimos.

Gravissimi omnium Christi Divinitatis impugnatores fuêre, Arius, Aëtius, Eunomius, ipsius Arii sectatores, & qui ab eorum partibus steterunt. Arius ex Lybiâ oriundus, & Presb. Alexand. ab Alexandro consecratus, simul & Alexandrinæ cuidam Ecclesiæ præpositus, Christo Divinitatem abstulit, ut testatur ad an. 315. Alexander Episc. Alexand. in epist. ad Episcopos Catholicos. Docebat autem Deum non semper fuisse Patrem, nec Filium extitisse ab æterno; sed creatum, & factum in tempore; nec essentiâ Patri similem, nec naturâ: item ipsum Verbum & sapientiam, Dei Filium factum esse, ut Deus per ipsum, tanquam per instrumentum nos crearet &c. non esse verum Deum, sed participatione solùm; posse eum converti & mutari, sicut animantia ratione

tione utentia &c. In partes suas Episcopos quosdam Arius adduxit, ut Eusebium Nicomed. Nicænam ideò Synodum an. 325. convocavit Constantinus Mag. in quâ proscripta fuit unanimi consensu hæc hæresis. Eam hujus authoritate Concilii oppressam variis in Conciliis renovare tentarunt Ariani. Imperatorem Constantinum perfido solemnique sacramento Arius ludificatus fuit, publicè testatus se Nicænam amplecti fidem; ut communionem Catholicam Imperatoris authoritate obtineret, quam nec ab Alexandro Episc. nec à S. Athan. extorquere potuerat: sed paulò post debitas impietati pœnas dedit; divino quippe judicio improvisâ morte fuit oppressus, cum ventris exonerandi necessitas urgeret, priusquam in Ecclesiam Constant. irrumperet, ut communionem reciperet. Variis artibus usi sunt Ariani, ut Catholicis imponerent; interdùm de verbis quæstionem tantùm moveri contenderunt, hanc tantummodò scilicet consubstantialis vocem sibi molestam esse testari, & proindè à Symbolo esse amovendam: ut potè etiam quæ à Concilio Antioch. ad an. 272. fuisset proscripta: interdùm verba ipsa Arii damnarunt, nempè verbum ex non extantibus constitui, & fuisse tempus, quandò non erat; ipsum item verbum, & Deum vocabant, & lumen de lumine: rejecto tamen *consubstantialis* vocabulo. His aut aliis artibus hoc unum tentabant, ut nempè Filium ad creaturarum rationem, superioris tamen ordinis, deprimerent: undè & inferioris Dei nomine Verbum designabant. Aliàs etiam ipsum Nicænum Concil. in sui gratiam interpretari non dubitarunt, ut refert Severus Sulp. lib. 2. Hist. Ariani verò, qui paulò apertiùs loquebantur, Filium apertè creaturam profitebantur; ex quibus fuere Aëtius Diaconus, & Eunomius ejus discipulus, qui id omnium primus ita professus publicè, ut refert S. Bas. lib. 10. adversùs eundem Eunom.

Verùm cresceret in immensum longiùsque protraheretur instituta de Trinitate disputatio, si malas hæreticorum artes, erroris que tam perniciosi capita, progressus, & gradus omnes sigillatim persequeremur: pauca solùm notasse sufficiat de illius hæresis origine, ut potè quæ dogmati Catholico firmando plurimùm conferant.

S. Athan. Orat. 4. contra Arianos natam hanc hæresim existimat ex non distinctâ duplici in Christo naturâ; & lib. de Synodis refert Artemonem hujus jecisse fundamenta.

S. Greg. Naz. docet Orat. 49. hanc hæresim ab Ario excogitatam fuisse; cum sibi suadere non posset Patrem, & Filium ejusdem esse substantiæ; præsertim quòd Pater esset invisibilis, Filiusque tùm antiquis, tùm etiam humanâ naturâ assumptâ videndum se præbuisset: ex variâ enim illâ formarum assumptione Filium mutationi obnoxium concludebat.

S. Greg. Nyss. Orat. 3. testatur Eunomium in tanta deliria esse lapsum, quòd ea vellet comprehendere, quæ hominis vires superant, verbisque à Scripturâ præscriptis uti nollet, aut instar Arii voluerit Verbi generationem expendere.

S. Ambros. tradit lib. 1. de Fide ad Gratian. cap. 5. Arium in hanc hæresim esse prolapsum, quòd humanæ generationi divinam conferret, & humanis divina metiretur.

Antiqui & ab Ecclesiæ nascentis exordio hæretici Spiritus Sancti divinitatem impugnarunt. Inter eos Valentinus ad Angelorum naturam Spiritum Sanctum redegit ex S. Athan. Epist. 2. ad Serap. ubi eum illius erroris primum authorem facit; & sub finem alios recenset nomine Tropicos, qui Spiritus Sancti divinitatem convellere & labefactare conabantur.

Fuerunt & alii, qui S. Paulum dixerint Spiritum Sanctum, ut docet Orig. Hom. 35. in Luc. Idem 2. de princip. cap. 7. scribit variis dissensionibus fuisse permixtam Ecclesiam à nonnullis, qui cum ignotis quibusdam spiritibus Spiritum Sanctum comparabant.

Arguuntur etiam Montanistæ, quòd Montanum pro Paracleto habuisse videantur: sed S. Epih. hæres. 48. quæ est Cataphrygum & Montanistarum, cum Ecclesiâ Catholicâ de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto docet consentire Montanistas; aliis licet erroribus adhæserint. Nonnullos ex Montanistis minùs rectè de Trinitate sentire à Theodoreto notatur. Ex illis quidam emerserunt, de quibus mentio habetur ad calcem lib. de Præscript. Tertull. cap. 52. hi Spiritum Sanctum à Paracleto distinguebant, & Paracletum plura, & meliora, & majora in Montano, quàm Christum in Evangelio protulisse. Manichæum se esse Spiritum Sanctum jactasse docet S. Aug. contra Epist. fundamenti c. 6. Orig. l. 2. de Princip. cap. 7. testatur quosdam vilibus spiritibus Spiritum Sanctum comparasse; & ideò multas turbas Ecclesiis intulisse. S. Athan. Epist. 2. ad Serap. ait ex Arianis quosdam Spiritum Sanctum dixisse non solùm esse creaturam, sed unum quoque ex spiritibus ministris, & gradu tantummodò à cæteris differre: ex illis erat Eunom. teste S. Gregor. Nyss. Orat. 1. contra eundem. Hujus hæresis fuit propagator Macedonius Episcopus Constant. à quo Spiritus Sancti impugnatores dicti sunt Macedoniani, etiam Marotoniani à quodam Marotonio Episc. Nicomediæ. Hæc hæresis an. 381. in Conc. Constant. I. proscripta est, & in aliis Conc. de quibus infrà.

Istius hæresis originem refert in Arianum dogma S. Athanas. Orat. 4. contra Arian. S. verò Gregor. Naz. in Orat. in laudem S. Athan. asserit, hanc hæresim non statim adeò gravem apparuisse.

Servetus Hispanus Medicus an. 1531. contra veram de Trinitate fidem scripsit, & plurimos ex illis, qui tunc temporis in Lutheri, & aliorum partes à Catholicâ unitate deficiebant, in errores suos traduxit. Inter Serveti discipulos renovatæ sectæ nomen dedit Lælius Socinus Senensis, qui varias peregrinationes, in Galliâ, Angliâ, Hollandiâ, Germaniâ & Poloniâ instituit. In Frisia, promovente Adamo Dorphensi, Servetismus fuit propagatus. Servetus Viennæ Allobrogum in carcerem ob librum de restituto Christianismo fuit conjectus. Ex eo elapsus an. 1553. Genevam se recepit, ibique authore Calvino, capite fuit amputatus & combustus.

An. 1558. confessioni de Trinitate apud Genevenses Valentinus Gentilis, simulatâ pœnitentiâ, perjurus subscripsit, metu scilicet mortis, & cum eo Paulus Alciatus, & Georgius Blandrata, qui Servetismum in Poloniâ promovit.

An. 1562. Tiguri Lælius Socinus mortuus est. Hæresim dum viveret, nonnisi disputando proponebat: Nepos ejus Faustus Socinus an. ætatis 23. Lælii supellectilem librariam hæreditario jure acceptam Florentiam transtulit. Ejusdem hæresis fautor Bernardinus Ochinus Senensis Tyguro cum familiâ dimissus in Poloniam venit. An. 1566. Valentinus Gentilis Bernæ capitis supplicio hanc ob hæresim mulctatus fuit.

An. 1568. in Transilvaniâ definitur à Socini discipulis perperàm fuisse ab Ecclesiâ Romanâ damnatos clarissimos Patres, Beryllum, Paulum Samosatenum, Arium, Nestorium, Eutychetem, &c.

An. 1570. Faustus Socinus de Scripturæ authoritate scripsit: idem an. 1574. Basileam venit, ubi in excolendâ Lælii patrui Theologiâ triennio operam collocavit.

An. 1587. à Blandratâ Transylvaniæ Principis Medico Socinus evocatus fuit. Anabaptistæ, & Antitrinitarii simul consentiebant; sed postmodùm divisi sunt; quòd hi Christum ut Deum invocari posse assererent, alii negarent.

An. 1597. in Transylvaniâ Georgius Engelinus Trinitatis mysterium impugnavit; sed cum Socino in omnibus non conveniebat.

An. 1598. ob editam de Jesu Christo Servatore disputationem, vix Cracoviâ Socinus potuit elabi: indè factum, ut ejus discipuli Christophorus Ostorrodus Germanus, & Andreas Veidocus Polonus in Hollandiam venerint, ubi eorum libri fuerunt combusti; ipsisque injunctum, ut intra decem dies recederent. Faustus Socinus mortuus est an. 1604. ætatis suæ 65. Ab eo tempore in propugnandâ illâ hæresi Smaltæus, Crellius, Volchelins operam collocarunt.

Ex eorum operibus, & ex Catechesi Cracovinianâ majori, liquet hæreseos capita in his posita esse, unicam scilicet esse personam, quæ divinitatem summam habeat, Patrem scilicet æternum: Christum non extitisse, antequam homo esset: Deum tamen verum esse, acceptâ in tempore divinitate, non eâdem quæ Patris est, sed minori & dependenti; Spiritum verò Sanctum non esse Personam, sed virtutem, & Dei efficaciam.



ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm sint in Deo tres Personæ, quæ sint unus Deus?

QUÆSTIO non movetur, num eadem Persona Divina tres Personas sustinuerit, videlicet modò Patris, modò Filii, modò Spiritûs Sancti; nam facilè consensisset Sabellius de hâc expositione, ut observat epist. 14. ad Neocæsar. S. Basil. Sed de tribus suppositis agitur, quæ à se invicem distincta subsistant; seu quæ personæ sint inter se distinctæ, simulque in se sint invicem, nempè sint unus Deus. Undè modò terminorum plurimorum usum Theologis familiarem necessitate adacti supponimus, ut quid sit suppositum? quid sit essentia? quos quidem terminos ad planiorem mysterii illius illustrationem infià explicabimus. Sed visum fuit convenientius stabiliri mysterium, priusquàm ad mysterii expositionem descenderetur. Probationibus subjungemus solutiones, & subterfugia, quibus uti solent Hæretici; & quæ ad idem argumenti genus pertinent, non dividentur, ut majori facilitate percipiantur.

CONCLUSIO. Tres sunt in Deo personæ à se invicem distinctæ, quæ sunt unius, & ejusdem substantiæ; seu unus Deus.

Prob. 1. Gen. 1. ℣. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* ℣. 27. *Et creavit hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum.* Deus ergò solitarius non est; cum æquales secum personas alloquatur fabricandi operis participes, quæ habeant unam, & eamdem Dei naturam, seu sint unus Deus. Per verbum, *Faciamus*, personarum pluralitas inducitur; & per, *similitudinem & imaginem nostram*, substantiæ unitas designatur. Idem nomen, *Elohim, dixit Deus, & fecit Deus*, sæpè ac sæpiùs repetitur cap. 1. & cap. 2. Deus ergò fuit idem creans, & alloquens. Isaiæ 44. sibi soli Deus tribuit, quòd fecerit cœlum & terram. v. 24. *Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens cælos solus, stabiliens terram, & nullus mecum.* Inferiorem superior ità non compellare solet, ut Deus Pater personas alias divinas. Gen. 1. *Faciamus hominem* &c. non verò, *Faciam*; nec ad *imaginem meam*, sed *nostram*. Alloquitur ergò Deus personas aliquas secum creationis mundi causas

Nec sanè terram, nec Angelos alloquitur Deus; non enim terra hominis causa efficiens est, nec ad ejus imaginem creatus est homo, sed Dei. De Angelis in creatione silet Scriptura, ut notum faceret ad creationem oculis subjiciendam, non esse necesse de Angelis mentionem fieri. Si Deus Angelos compellasset, cur id in Scripturis expressum non esset? cur eos adhortatus non esset? Deo autem soli, non Angelis, tribuit Isaias hominis creationem. Persona ergò quam Deus alloquitur, Deus est; cum & Deus dicatur, & fecisse hominem ad imaginem

ſuam. Undè Angelos Deum alloqui probent adverſarii, nullum ſuppetit argumentum. Qui loquitur, appellatur *Jehova*, *Elohim*, quod nomen Deo creatori maximè proprium eſt, & ſoli Deo tribuitur. Voluit Deus edocere ſe ſolum eſſe creatorem; & ideò ſanè res creatas non ſibi conſociavit.

Prob. 2. In utroque Teſtamento perſonæ tres traduntur, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; quandóque nominibus Domini, Verbi, & Spiritûs exprimuntur, Pſalm. 32. v. 6. *Verbo Domini cæli firmati ſunt: & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Iſaiæ 6. v. 3. *Seraphim clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum.* S. Ambr. lib. 2. de Fide cap. 4. ſic habet: *Ut oſtenderet Trinitatis unam eſſe Deitatem, cum tertiò dixiſſet, Sanctus, Sanctus, Sanctus, addit ſingulariter, Dominus Deus Sabaoth.* Aliis in locis ut Zachar. cap. 2. v. 8. duæ perſonæ deſignantur: una, quæ mittit: altera, quæ mittitur: utraque dicitur, *Jehova*, & *Dominus exercituum*: ambæ ergò habent eamdem eſſentiam.

Filius, & Pater, Joan. 8. v. 18. & 19. nominantur, & cum illis Spiritus Sanctus. Matth. 28. v. 19. Pater eſt gignens in eſſentiâ divinâ. Pſal. 2. v. 7. Hebr. 1. v. 5. & cap. 5. v. 5. Joan. 5. v. 26. Filius genitus eſt ex iiſdem locis; Dei Filius dicitur, Matth. 3. v. 17. & cap. 17. v. 5. Joan. 1. v. 34. Act. 9. v. 20. Unigenitus, Joan. 1. v. 14. & 18. cap. 3. v. 16. Filius proprius, Rom. 8. v. 32. Splendor gloriæ, & character perſonæ Patris, Hebr. 1. v. 3. Imago Patris, Coloſſ. 1. v. 15. ita ut qui videt eum, videat Patrem, Joan. 14. v. 9. Spiritus Sanctus à Patre procedit, Matth. 10. v. 20. Joan. 15. v. 26. procedit quoque à Filio, Rom. 8. v. 9. Gal. 4. v. 6. 1. Cor. 2. v. 12.

Prob. 3. A ſe invicem diſtinguuntur illæ perſonæ divinæ, non quidem ratione eſſentiæ, ſed perſonæ. Dicitur Pater alius à Filio, Joan. 14. v. 16. & 17. Pater Filii, Rom. 15. v. 6. 2. Cor. 1. v 3. Filius Patris, 1. Cor. 3. v. 23. Spiritus Sanctus Patris, Matth. 10. v. 20. & Filii, Gal. 4. v. 6. eſſe dicitur. Item Pater cum Filio, Joan. 14. v. 10. & 11. Filius apud Patrem, Joan. 1. v. 1. unus ab altero eſſe, Joan. 15. v. 16. 1. Cor. 2. v. 12. Pater Filium mittere, Gal. 4. v. 4. dare Spiritum Sanctum, Joan. 14. v. 16. & 17. mittere eum, v. 26. Gal. 4. v. 6. Filius dicitur mittere Spiritum à Patre, Joan. 15. v. 26. Pater per Filium operari, Joan. 1. v. 3. & 5. v. 19. 1. Cor. 8. v. 6. Col. 1. v. 26. Hebr. 1. v. 2.

Prob. 4. Ad divinam, & eamdem, & unam in tribus perſonis ſubſtantiam probandam conducerent admodùm, quæ ſcripturæ loca Filii, & Spiritus Sancti divinitatem articulis ſequentibus aſtruunt: ſed ea facilè quilibet poterit ibi conſulere. Satis ſit ea modò urgere, quæ ad trium Perſonarum in ſubſtantiâ unitatem in ſanctiſſimâ Trinitate probandum propiùs conferunt; ſimulque demonſtrant eas eſſe numero tres. Matth. 28. ℣. 19. ait Chriſtus: *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* At niſi Filius, & Spiritus Sanctus Patri

æquales essent, & ejusdem cum eo naturæ, ac divinitatis; neque baptismus in eorum nomine, ac professione daretur; neque trium unum ac singulare nomen esset; *In nomine*, inquit Christus, non in nominibus; ut & unum Deum per indistinctum divinæ essentiæ nomen ostenderet, & personarum discretionem suis demonstratam proprietatibus edoceret. Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ponuntur eodem nomine, eodem dignitatis gradu; & de illis eadem eodem modo omnia prędicantur; & proindè sunt unus, & idem Deus. In Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti honorem, cultum, fidem, & obedientiam, æqualiter Baptismi legibus obligamur. Illi tres non sunt Dii, sed unus Deus; quia nulla res creata ratione sacramenti Deo Patri potest æquiparari Item in cujus nomine baptizamur, ille verus est Deus; quia in ejus familiam adoptamur ut filii, Gal. 3. v. 26. 27. Ejus obsequio & cultui astringimur, Matth. 28. v. 20. *Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* 1. Cor. 1. se dicebant Corinthii pertinere, alii ad Paulum, alii ad Cepham, alii ad Christum: *Numquid Paulus crucifixus pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?* In Dei solius familiam, ut filii adoptati transferimur, Ephes. 1. v. 5. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum-Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ.* Deo verò soli cultum, & obsequium debemus, Matth. 4. v. 10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Insuper in Ecclesiam admittimur sacramento Baptismi, cujus author est ille, in cujus nomine baptizamur: præter Deum autem nemo esse potest Sacramenti institutor, seu mediorum, quibus gratia confertur, & quibus colitur Deus. Item 1. Petri 3. v. 20. sicut arca Noë octo animas periculo eripuerat; ità nobis salutem confert Baptisma, & conscientiæ bonæ interrogatio in Deum, & heredes vitæ æternæ nos efficit; quæ omnia à solo Deo pręstari possunt.

Pater autem, & Filius, & Spiritus Sanctus hæc nobis præstant: nos regenerant; quæ operatio solius Dei est, quâ peccatis abluimur, & Dei filii efficimur. Hoc jus nobis tradit Christus, ut filii Dei simus, Joan. 7. v. 12. Spiritus Sanctus quoque regenerationis est author, Joan 3. v. 5. & 6. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ, & Spiritu* &c. Qui regenerationis author est, is pater noster, & Deus est: renascimur enim ex Spiritu Sancto, ut ex causâ principali; ex aquâ verò, tanquam ex materiâ, aut instrumento. Paulus 1. Corinth. 11. ut regenerationis causam principalem Spiritum Sanctum proponit. 1. Cor. 6. v. 11. *Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis in nomine Domini Jesu-Christi, & in spiritu Dei nostri.* 1. Cor 12. v. 13. *In uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus.* Spiritum Sanctum ut donorum authorem proposuerat, & cujus beneficio omnes in unum corpus coadunamur, seu Christi membra evadimus: undè & Titi 3. v. 5. Baptismum vocat *lavacrum regenerationis Spiritûs Sancti.* Cum ergò Filio, & Spiritui Sancto cum Patre æquales tribuantur operationes divinæ, & personales; haud dubiè sunt cum Patre unus Deus. Nemo enim operationes

cum Patre æquales edere potest, nisi sit æqualis cum Patre Deus: requiritur enim æqualis divina potestas, & nonnisi Deo essentialia Dei attributa identicè & univocè possunt cummunicari.

S. Hilarius lib. 2. de Trin. hæc verba: *Euntes docete, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, tam aperta esse existimat, ut paria esse censeat, quæ in verâ Trinitatis fide fideles instituant. Deindè ex his verbis: *Hic est Filius meus dilectus, &c. Pater major me est. Ego vado ad Patrem, &c. Pater gratias ago: Clarifica me Pater: Tu es Christus Filius Dei vivi*: Sabellium itâ constringit, ut responsioni non supersit locus. Alius locus est Joan. 10. ℣. 30. *Ego, & Pater unum sumus. In duobus istis verbis*, inquit S. Aug. Tract. 36. in Joan. *Quod dixit, unum, liberat te ab Ario; quod dixit, sumus, liberat te à Sabellio. Si unum; non ergò diversi: si sumus, ergo & Pater, & Filius. Sumus enim non diceret de uno; sed & unum non diceret de diversis*. Christus probat oves suas neminem de manu suâ rapturum, *quia*, inquit, *ego, & Pater unum sumus*. Si autem de solâ voluntatis consensione ageret, nihil concluderet: si de potestatis æqualitate sermonem habeat, idem concludendum superest, ac si de substantiæ unitate loqueretur; cum potentia in Deo, & substantia idem sint. Nec dicit, unum volumus, sed *unum sumus*: quinetiam ex ipsâ Judæorum tunc receptâ sententiâ repetitur argumentum validissimum: ubi enim hæc verba Christus protulit, cum lapidibus obruere statim conati sunt: cum autem causam Christus sciscitaretur; *de bono opere non lapidamus te*, inquiunt, ℣. 33. *sed de blasphemiâ: & quia tu, homo cum sis, facis teipsum Deum*. Intellexerant ergò Judæi hæc verba, *ego, & Pater unum sumus*, naturæ communionem inferre; si autem Patri Filius æqualis non fuisset, facilè hanc à se calumniam depulisset, & debuisset depellere Christus, imò & ab errore Judæos avocare, demonstrando non alio sensu se unum cum Patre asseruisse, quàm Sancti, & Prophetæ fuerint cum eo quid unum, nempè voluntatis consensione. Sed hec ipsum quod Judæi animo conceperant, mirandis suis operibus confirmavit ℣. 36. *Quem Pater*, inquit, *sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis: quia blasphemas: quia dixi, Filius Dei sum? si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio: & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, & credatis quia Pater in me est, & ego in Patre*: proindéque *Ego & Pater unum sumus*. Paulo & Barnabæ divini honores cum deferuntur, ii resistunt, ac se mortales hominibus similes profitentur Act. 14. econtrà verò existimationem de se, tanquam de Deo, conceptam confirmat Christus. Quis ergò in dubium vocare poterit in Deo pluralitatem Personarum, simul & substantiæ unitatem, si Christo fidem adhibere voluerit?

Alius locus est 1. Joan. 5. ℣. 7. *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum sunt*. Sunt igitur unus Deus tres Personæ, quæ testimonium in cœlis ferunt. Locus hic exponetur uberiùs infrà.

Prob. 5. Quia unanimis ea fuit Ecclesiæ universæ hanc in fidem consensio ante Nicænum Concilium, & à temporibus Apostolicis; ea omnium Martyrum, & Ecclesiæ Catholicæ doctrina ubiquè palàm exposita. Quis autem non sibi tutò consultum est existimaturus, si cum Apostolorum successoribus, & cum illis, qui tempora Apostolica proximè exceperunt, senserit? Quis è contrario se à verâ Christi doctrinâ alienum non viderit, qui ab illis se discedere fuerit expertus? Audiantur qui propiùs ad Christum accesserunt; & si tres in Deo personas professi sunt, profiteamur & nos; ut eorum quoque sortis partem consequamur. Hæc autem Patrum, Martyrum, & Ecclesiarum omnium per tria priora secula consensio elucescet eò evidentiùs, quòd pro Dei unitate contra Deorum multitudinem propugnandâ plerique scripserint, & fidem suam sanguine fuerint contestati; quòd Judæorum Trinitatis fide divinam unitatem perimi contendentium objectiones, tùm & Ethnicorum eâ doctrinâ Deorum pluralitatem aliam induci pugnantium argumenta, tùm & Hæreticorum Trinitatis hostium infensissimorum sophismata susceperint convellenda.

Ex illis Hæreticis alii pro unicâ in Deo personâ decertabant, ut 1° seculo Simon Magus; 3° Praxeas, Noëtus, & Sabellius. Alii plures Deos constituebant; sic 2° seculo Cerdon, Apelles &c. Alii Filio Dei Divinitatem adimere conati sunt; ità 2° seculo Carpocrates, & Theodotus; 3° Beryllus, & Paulus Samosatenus; 4° ineunte Arius &c. Alii tandem Spiritui Sancto Divinitatem negaverunt, ut 2. seculo Valentinus, Montanistæ quidam, & alii; 4° Macedonius &c.

Jam verò qui veterum Patrum scripta consuluerit, ab istis omnibus pravis dogmatibus statim abhorrebit. Et certè si viri tantæ pietatis Antitrinitariorum opinionibus adhæsissent, non ægrè Judæis, & Ethnicis, & Hæreticis reposuissent, Christianis scilicet de personarum in Deo trium dogmate injuriâ litem moveri: sicque cum Praxeâ, & Hæreticis aliis subitò convenissent, tùm de personæ in Deo unitate, tùm de Divinitate Filio, & Spiritui Sancto auferendâ. At ea non fuit antiquorum differendi ratio; quinimò aliena prorsùs.

In primis enim à temporibus Apostolicis, quicumque fuerunt unitatis catholicæ participes, ab Ecclesiâ tùm Trinitatis, tùm Divinitatis Filii aut Spiritûs Sancti hostes expulerunt.

2. In Deo tres esse personas professi sunt, & ut indubitatum dogma retulerunt 2° ineunte seculo S. Clem. Rom. S. Ignat. S. Polyc. & eodem jam provecto S. Justin. Athenag. S. Iren. & 3° seculo Tertul. Orig. S. Cypr. S. Greg. Thaum. atque Novatian. Item divinam operandi rationem tribuunt tribus Personis, 2. seculo S. Ignat. S. Justin. Athenag. S. Theophil. Anthioch. S. Iren. & 3. seculo Tert. Orig. SS. Cypr. Firmilian. & Gregor. Thaumat. Attributa quoque divina, seu perfectiones Deo essentiales, ut & adorationem, & latriam singulis personis ascribunt, 2° seculo SS. Clem. Rom. Ignat. Polyc. Justin. Athenag. Theophil. Antioch. Iren. & 3° seculo Tertul. Unum etiam Deum à Christianis agnosci,

agnoſci, tres licet Perſonas adorarent, tradunt 2. ſeculo S. Juſtin Athen. S. Iren. & 3. ſeculo Tertull. Orig. S. Cyprian. ac Novatian. Hanc adhuc de Trinitate, & de Dei unicâ in tribus perſonis ſubſtantiâ fidem eſſe univerſalem ab initio receptam referunt 2. ſeculo S. Juſtin. Athen. S. Iren. & 3. ſeculo Tertull. Orig. Novatian. Similiter pro Chriſti divinitate contra Judæos, & hæreticos pugnant S. Juſtin. Tertull. Orig. Novatian. Tandem ſubſtantiæ unitatem illam ineffabilem utcumque delineant 2. ſeculo S. Juſtin. Athen. & 3. ſeculo Tert. S. Cypr. Novatian. Quæ ſingula, & ampliora longè, fient comperta Patrum veterum doctrinam, depoſito partium ſtudio, expendentibus.

S. Clemens Romanus, S. Petri ſucceſſor, qui, ut cæteri martyres, pro defendendâ Dei unitate occubuit, tres Perſonas in Deo recenſet, & Chriſtum Deum adorat. S. Ignatius Martyr in Antiochenâ Sede ſancti Petri quoque ſucceſſor, perſonarum divinarum in ſuis genuinis Epiſtolis ſex ſæpè meminit. In Epiſt. ad Epheſ. tribus Perſonis juſtificationem aſcribit. In Epiſt. ad Magnes. ait tùm Prophetas antiquos vitæ ſanctitatem Chriſti beneficiis debere: tùm per Chriſtum, Verbum Dei æternum, omnibus Dei unitatem manifeſtatam fuiſſe: tùm & Chriſti Verbo fuiſſe obſecutos Prophetas. In Epiſt. ad Trall. de Patre & Filio diſſerit. In Epiſt. ad Philadelph. Spiritui Sancto, & Chriſto, miniſtrorum inſtitutionem tribuit: Item à Spiritu Sancto accepiſſe ſe dicit, quæ de hierarchiâ doceret, & de morum ſanctitate: & in iiſdem Epiſtolis, ut videre erit art. ſequenti, vocat Jeſum Chriſtum, verum Deum, Verbum æternum, Vitam veram, impaſſibilem ratione naturæ divinæ, omnia animo tenentem, in nobis, ut in Templis, habitantem.

Ab Eccleſiâ Smyrnenſi, in Epiſt. S. Polycarpi Martyris, traditur ſanctiſſima Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, item unus Deus, & Chriſti divinitas, ut Dei æterni, omnipotentis, & adorandi. Hæc verba S. Polycarpi Martyris referuntur. *Ob hanc rem te benedico in omnibus, & glorior per æternum Pontificem omnipotentem J. C. per quem tibi, & cum ipſo, & cum Spiritu Sancto gloria, &c.* Et paulò poſt: *Chriſtum namque Dei Filium adoramus, & colimus, &c.* Fit etiam ſæpè mentio Trinitatis, ut in fine; *per J. C. gloria Deo Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.*

S. Juſtinus Martyr, qui etiam pro Dei adverſus Deorum ſuperſtitionem unitate occubuit, Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium ſæpiùs commendat, ut dogma in Scripturis traditum, & *à Philoſophis, ut à Platone, quomodocumque cognitum*; ità in Orat. Paræneticâ ad Græcos, ubi ait ſub finem, Chriſtum eſſe eundem cum Patre Deum naturâ, & potentiâ. Item in utrâque Apologiâ, & in Dialogo cum Triphone, in probandâ Chriſti divinitate laborat. Ejus verba, & probationes adverſùs Judæos, & Ethnicos, imò & hæreticos, art. ſequenti referemus. Satis ſit modò obſervaſſe S. Juſtinum pro Dei unitate pugnaſſe, & quæ de tribus Perſonis, ut eandem divinitatem obtinentibus tradidit, inſerere. In Apologiâ ad Antoninum notat ità præcipi in primo Mandato; *Deum tuum*

adorabis, atque illum solum coles: nos solum Deum adoramus, & vobis inquit ad Imperatores, *in rebus aliis læti servimus.* In Apolog. ad Senatum sub finem ait, ineffabilis Dei rationem, & verbum, secundum Deum seu secundam Personam, à Christianis adorari. In Apol. ad Antoninum, tres Personas recenset, & à Christianis adorari eas docet; atque simul plurium Deorum cultum repelli; & sic tres Personas esse unum, & eundem Deum. *Profitemur quidem nos talium qui habentur Deorum esse expertes, & Atheos; sed non verissimi illius Dei, Patris videlicet justitiæ, & castitatis, & virtutum aliarum, & ab omni vitiositatis mixtione, & labe alieni expertes. Verùm hunc ipsum, & qui ab eo venit, atque ista nos, & aliorum obsequentium, exæquatorumque (ad voluntatem ejus) bonorum Angelorum exercitum docuit, Filium, & Spiritum propheticum colimus & adoramus; cum ratione & veritate venerantes, atque unicuique discere atque nosse volenti, pro eo atque edocti sumus, candidè (hæc) tradentes.*

Addit Christianos pro Atheis non esse traducendos, qui hujus mundi conditorem colerent Filium secundum, & Spiritum Sanctum tertium: subjicitque hanc ob causam Christianos à Gentilibus insaniæ accusari: quod procul dubio in eorum mentem non venisset, si Christiani Patrem summum Deum; Christum verò, & Spiritum Sanctum, inferiores Deos dixissent; cum ipsi sic de suo Jove, & aliis diis sentirent. Et verò facilè eorum objectionem confutassent Christiani demonstrando ab eorum placitis se non recedere; sed reponit S. Martyr ideò in hunc errorem Ethnicos labi, quòd mysterium non caperent: sic verò credere Christianos, qui à Christo ità fuissent edocti.

Ibidem scribit in trium Personarum nomine nos consecrari: *nam in nomine rerum cunctarum parentis, & Domini Dei, & Servatoris nostri Jesu Christi, & Spiritus Sancti in aquâ tum lavantur.* Quod iterùm repetit ibidem, & addit Spiritum Sanctum per Prophetas res Christi prænuntiasse, & Christum, antequam homo fieret, cum Mose & Prophetis fuisse collocutum, seque videndum præbuisse. Reprehendit & ibi Judæos, quòd nec Christum, nec Patrem noscerent. In his igitur familiarem Ecclesiæ de tribus Personis, quæ sint unus Deus, exponit doctrinam, probatque Judæos errare, qui censerent patrem aspectabilem se fecisse Judæis, *cum,* inquit, *Filius Dei esset.* Porrò autem si non fuisset idem Deus cum Filio, gravior longè aberratio fuisset, ut qui inferiorem Deum cum vero Deo, & superiore confudissent. Alius igitur erat Filius personâ, non divinitate: ut qui esset Deus Abrahæ. Idem in Dial. cum Triphone demonstrat Christum, & Filium Dei, & Deum in Scripturis nominari, & Dominum virtutum; & quæ de summo omnium Domino, ac Deo dicuntur, ea Christo convenire probat, ut adorationem, &c. Cum autem Tripho ejusque sectatores minimè ferrent Jesum à S. Justino vocari Deum; tanquam esset alius Deus verus ab illo, qui unus à Judæis colitur, & qui conditor omnium rerum appellatur: Christianorum fidem exponit his verbis: *Præter hunc factorem omnium alius etiam est, & dicitur*

Deus & Dominus, Filius nimirum ineffabilis, & ingeniti, & singularis Dei ..... germen ante creaturas omninò universas à Patre editum ...... virtutem illam esse Dei, ac Deum à Prophetâ nuncupari; non ita ut solis lux solo vocabulo numeratur; sed numero alterum quiddam esse; non tamen recisione, tanquam Patris substantia secetur; uti cætera omnia divisa atque secta, non sunt eadem atque erant ante sectionem.

Athenagoras in Apol. pro Christianis, sic habet: *Omnis sermo noster Deum unum celebrat conditorem, & Trinitatem Personarum.* Idem verbi æternitatem statuit, simul & ejus cum Patre unitatem, necnon per ipsum omnia esse creata asserit, hæc sunt ejus verba: *sed Filius Dei est Verbum Patris in ideâ & efficaciâ; ab ipso enim, & per ipsum facta sunt omnia; cum Pater & Filius unum sint; ita ut Filius sit in Patre, & Pater in Filio per unionem*, unitatem, *& potentiam Spiritus: siquidem mens & Verbum Dei, Filius Dei est.* Addit Dei Filium non esse factum, seu creatum; sed ex substantiâ Patris genitum; *Primigenia hic est Patris progenies, quæ, non ut facta; à principio enim Deus, qui est mens æterna, habebat in se ipso λόγον, id est rationem, cum æternùm sit rationalis.* Addit adhuc omnibus fidelibus hoc unum esse votum, ut Trinitatis mysterium intelligant: *Quem, utpotè Deum, cum Verbo suo, cognoscere optamus; ut quænam Filii ad Patrem sit unio intelligamus, quid Pater cum Filio communicet, quod sit Spiritus, quæ unitas trium, quæ discretio unitorum, Spiritus scilicet, Filii, & Patris:* Et infrà fidem Christianam sic describit. *Quippè ut Deum asserimus, & Filium ipsius Verbum, & Spiritum Sanctum, qui secundum potentiam vocantur Pater, Filius, & Spiritus. Filius enim Patris mens, Verbum, & Sapientia est. Ut lumen ab igne profluit.* Alia addentur art. sequentibus. Hæc Athenagoras de Deo Patre, Filio, & Spiritu Sancto in Apol. in quâ adversus Ethnicos probavit, Deum unum esse; Dei naturam in varias partes non posse secari; Deos non posse existere, ut ab Ethnicis fingebantur; unum à Christianis coli Deum, qui Pater esset, Filius, & Spiritus Sanctus. Adjicit tandem hunc Deum Patrem, & Filium venerari Christianos; *Ejus Verbum*, inquit, *seu verum Deum veneramur.* An ità disseruissent fidei Christianæ defensores? nisi hæc Ecclesiæ fuisset fides, quæ ad nostra tempora feliciter est propagata.

S. Theophilus Antioch. lib. 2. ad Autol. scribit Verbum esse æternum, ex substantiâ Patris, Deum verum; ipsumque Trinitatis mysterium in creatione fuisse delineatum per dies, qui luminarium creationem anteverterunt. *Tres dies, qui præcessere creationem duorum luminarium, Trinitatis mysterium sacrosanctum repræsentant, videlicet Deum, sermonem, sapientiam*; ita ut Dei nomine, Patrem, per sermonem, & sapientiam, Filium, & Spiritum Sanctum significet. Infrà docet per hæc verba: *Faciamus* &c. Patrem ad Filium, & Spiritum Sanctum habuisse sermonem: *hæc verba ad neminem alium, quàm ad suum sermonem sapientiamque direxit.* Hoc igitur dogma receptum erat, tres scilicet in Deo esse personas in eâdem naturâ.

S. Iren. locis hîc, & art. sequenti citandis, Trinitatis mysterium tradit; asseritque eam esse fidem totius Ecclesiæ, Christum nempè ut Deum verè ubique adorari; Verbum esse æternum; & impios esse Valentinianos, qui adversus hoc mysterium pugnarent; tandemque Filium verum esse Deum, & Spiritum Sanctum. Lib. 1. cap. 2. docet fidem in tres personas ab Apostolis Ecclesiæ traditam esse, & ubique scribit fuisse annunciatam: *Ecclesia enim per universum orbem usque ad fines terræ seminata, & ab Apostolis, & à Discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in unum Deum Patrem omnipotentem. .... & in unum Jesum Christum Filium Dei, incarnatum pro nostrâ salute; & in Spiritum sanctum, qui per Prophetas prædicavit dispositiones Dei, & adventum, & eam, quæ est ex Virgine, generationem, & passionem, resurrectionem à mortuis ad recapitulanda universa, & resuscitandam omnem carnem humani generis, ut Christo Jesu Domino nostro, & Deo, & Salvatori, & Regi, secundum placitum Patris invisibilis omne genu curvetur.* Cap. 3. ejusdem lib. docet hanc fidem ab Ecclesiâ custodiri diligenter, quasi unam domum inhabitaret, & unius esset cordis, & animi: *Et consonanter hæc prædicat, & docet, & tradit, quasi unum possidens os.* Lib. 2. cap. 35. tradit Valentinianos non solùm in fabricatorem irreligiosos esse, sed & in Christum, & Spiritum sanctum. Cap. 47. ait à Filio, & Spiritu sancto profectas esse Scripturas sacras, quæ sunt authoritatis divinæ. Et cap. 55. addit per Filium, & Spiritum sanctum cœlum, & terram, & maria, & omnia quæ in eis sunt, Patrem creasse. Lib. 3. cap. 6. *Nemo igitur alius, quemadmodùm prædixi, Deus nominatur, aut Dominus appellatur, nisi qui est omnium Deus, & Dominus. .... & hujus Filius Jesus Christus Dominus noster.* Et cap. 8. asserit ab Apostolo tres personas tradi, earumque varias operationes delineari, nempè Patrem per hæc verba, *super omnia*; & Filium his verbis, *per omnia*; & Spiritum sanctum per hæc, *in omnibus*. Lib. 4. in Præfat. creationem dicit esse opus Dei, nempè Filii, & Spiritûs sancti, quibus & dixit Pater, *Faciamus hominem.* Cap. 5. *Qui super se*, inquit, *aliquem habet superiorem, alteriusque subest potestati, hic neque Deus, neque magnus Rex dici potest.* Cap. 11. *Qui igitur à Prophetis adorabatur Deus vivus, hic est vivorum Deus, & verbum ejus qui locutus est Moysi &c.* Cap. 14. sub finem ità concludit: *Ab initio assistens Filius suo plasmati, revelat omnibus Patrem, quibus vult, & quandò vult, & quemadmodùm vult Pater; & propter hoc in omnibus, & per omnia unus Deus Pater, & unum Verbum, & unus Filius, & unus Spiritus, & una fides, & salus omnibus credentibus in eum.* Cap. 19. ut probet Angelorum ministerium ad creationem adhibitum non fuisse, nec ad creaturarum administrationem requiri, sic habet: *Copiosum & inenarrabile ministerium. Ministrat enim ei ad omnia sua progenies, & figuratio sua, idest, Filius, & Spiritus sanctus, Verbum, & sapientia, quibus serviunt, & subjecti sunt omnes Angeli.* Cap. 62. veram in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum fidem pluribus extollit·

Cap. 66. ità scribit: *Semper eumdem Deum sciens, & semper eumdem verbum Dei cognoscens, etiamsi nunc nobis manifestatus est; & semper eumdem Spiritum Dei cognoscens &c.* Alia sequentibus artic. referentur.

S. Clem. Alex. Trinitatem personarum, simulque unam Patris, & Filii, & Spiritûs sancti divinitatem, in omnibusque æqualitatem sæpiùs docet. Lib. 1. Pædag. cap. 6. hæc habet: *O miraculum mysticum! unus quidem est universorum Pater: unicum est etiam Verbum universorum; & Spiritus sanctus unus, & ipse est ubique.* Item lib. 3. cap. 12. *Laudemus unum Patrem, & Filium; Filium, inquam, pædagogum, & magistrum, unà cum sancto Spiritu, qui unus est omnia; in quo omnia; per quem omnia unum; per quem est, quod semper est.* Igitur personæ tres sunt quid unum in potentiâ, immensitate, adoratione, & affectu. Sic de Christo lib. 1. Pædag. cap. 8. *Nihil ergò odio habet Deus, sed neque verbum; utrumque enim unum est, nempè Deus: dixit enim, in principio erat Verbum.* Et paulò post vocat eum humanitatis Dei sincerum adjutorem. Cap. 3. *In omnibus prodest, & in omnibus juvat Dominus, & tanquam homo, & tanquam Deus: peccata quidem remittens, ut Deus: ne peccemus autem pædagogi ritu instituens, ut homo.* Lib. 5. Strom. neque Patrem absque Filio; nec Filium absque Patre; nec credi in Patrem, quin credatur in Filium, sic instituit: *Jam verò neque est cognitio sine fide, neque fides sine cognitione; sed neque Pater est sine Filio: simul enim cum eo quod est Pater, est Filii Pater; Filius autem verus est de Patre magister; & ut credat quis Filio, oportet nosse Patrem, ad quem refertur etiam Filius.* Et rursùs, *ut Patrem priùs cognoscamus, oportet credere Filio, quoniam docet Dei Filius.* Addit ibidem à Platone in Timæo descriptam fuisse sanctam Trinitatem. Igitur Deus unus est cum Patre Filius, à quo nequit separari; quia sunt unius essentiæ; & ideò necesse est in eum credi, ut in Patrem. Lib. quoque 7. Strom. sic ait: *unum esse patrem, & filium; unum autem esse Deum, per eos, qui quærunt faciem Dei Jacob, indicatum est, quem solum esse Deum patrem bonum exprimit Servator noster, & Deus.* Docet adhuc varias precum horas, tertiam, sextam, & nonam, esse Trinitatis monumentum. *Jam verò*, inquit, *triplicem horarum divisionem, quæ totidem sunt honoratæ precibus, sciant qui norunt beatam sanctarum mansionum trinitatem.*

Tertull. lib. contra Prax. cum confutat ut hæreticum, quòd Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, unam & eamdem esse personam assereret, ut Deorum pluralitatem declinaret. Sic ergò ea erat ubique recepta fides, tres scilicet esse personas adorandas, licet unus esset Deus: ex eo verò quòd tres personæ unus essent Deus, sic inferebat Praxeas: ergò sunt unica persona; vel certè multiplex erit Deus, si tres personæ sint à se invicem distinctæ. *Variè Diabolus æmulatus est*, inquit Tertull. *veritatem; affectavit illam aliquandò defendendo concutere; unicum Dominum vindicat omnipotentem mundi conditorem, ut & de unico hæresim faciat; ipsum dicit Patrem descendisse in Virginem, ipsum ex*

eâ natum, ipsum passum; denique ipsum esse Jesum Christum. Cap. 2. asserit à nascentis Ecclesiæ exordio viguisse fidem in tres personas à se invicem distinctas, quarum una sit Pater; altera Filius à Patre procedens, & incarnatus; altera verò Spiritus sanctus à Filio missus. *Unicum quidem Deum credimus; sub hac tamen dispensatione, quam œconomiam dicimus, ut unici Dei Filius sit & sermo ipsius, qui ex ipsô processerit, per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil. Hunc missum à Patre in Virginem, & ex eâ natum hominem, & Deum; filium hominis, & filium Dei, & cognominatum Jesum Christum.* Et infrà. *Qui exindè miserit secundum promissionem suam à Patre Spiritum sanctum Paracletum, sanctificatorem fidei eorum, qui credunt in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Hanc regulam ab initio Evangelii decurrisse, etiam ante priores quosque hæreticos, nedum ante Praxeam hesternum probabit tam ipsa posteritas omnium hæreticorum, quàm ipsa novellitas Praxeæ hesterni.*

Hac præscriptione hæreticam illam opprimi posse novitatem contendit, & satis esse ad confutandum illud dogma, quòd recens & inauditum huc usque fuerit; aggredi tamen se uberiorem mysterii expositionem, quæ tùm ad illustrandam, tùm ad corroborandam Christianorum fidem posset conducere. Cap. 10. probat Patrem non esse Filium, nec Filium posse dici Patrem, nec eamdem cum ipso esse personam. *Habeat necesse est Pater Filium, ut Pater sit: & Filius Patrem, ut Filius sit. Aliud est autem habere, aliud esse*: verbi gratiâ, *ut maritus sim, habeam oportet uxorem, non ipse mihi ero uxor. Sic etiam ut Pater sim, Filium habeo, non ipse mihi ero Filius. Et ut filius sim, Patrem habeo, non ipse mihi ero pater.* Cap. 11. hæreticos interpellat, ut scripturarum authoritate opinionem suam confirment; sicut ipse veritatem Catholicam ex iisdem scripturis elicit. Cap. 12. citatis verbis Gen. *faciamus* &c. sic habet: *Fallit, aut ludit; ut, cum unus, & solus, & singularis esset, numerosè loqueretur.* Cap. 21. scribit ab Apostolis Trinitatis fidem esse acceptam; & citatis illis verbis Joan 1. *In principio erat sermo*, sic habet: *indubitanter alius ostenditur, qui fuerit à principio, alius apud quem fuit, alium sermonem Dei, alium Dominum, licet & Deus sermo, sed quâ Dei Filius, non quâ Pater: alium per quem omnia, alium à quo omnia ...... dispositione alium, non divisione.* Cap. 22. idem probat his verbis Joan. 10. *Ego & Pater unum sumus*; hæc sunt ejus verba: *Unum dicit neutrali verbo, quod non pertinet ad singularitatem, sed ad unitatem, ad similitudinem, ad conjunctionem, ad dilectionem Patris, qui Filium diligit, & ad obsequium Filii, qui voluntati Patris obsequitur; unum sumus, dicens, ego & Pater, ostendit duos esse, quos æquat & jungit.* Et cap. 26. probat Filium non esse Patrem, nec Spiritum Sanctum esse Filium aut Patrem; quòd res non sit ipsa res, cujus est, & à quo est; *sicut ergo sermo Dei non est ipse cujus est, ita nec Spiritus; & si Deus dictus est, non tamen ipse est, cujus est dictus. Nulla res alicujus, ipsa est, cujus est. Planè, cum quid ex ipso est, & sic*

ejus est, dum ex ipso sit, potest tale quid & cujus est. Et ideò Spiritus Deus, & sermo Deus; quia ex Deo, non tamen ipse ex quo est. Quod si Deus, Dei tanquam substantiva res, non erit ipse Deus, sed hactenùs Deus, quia ex ipsius Dei substantiâ, quæ & substantiva res est, & ut portio aliqua totius; multò magis virtus altissimi, non erit ipse altissimus: quia nec substantiva res est, quod est Spiritus; sicut nec sapientia, nec providentia; & hæc enim substantiæ non sunt, sed accidentia uniuscujusque substantiæ.

Eodem in capite ex formâ Baptismi novum argumentum colligit. *Mandans*, inquit, *ut tingerent in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; non in unum; nam nec semel, sed ter, ad singula nomina in personas singulas tingimur.* Et cap. 29. ait Patris Filium passum esse, & mortuum; non Patrem: naturamque Filii, divinam nempè, esse immortalem; mortalem verò humanam ab eo assumptam: Item Spiritum Sanctum in nobis nihil pati; sed tolerandi vires suppeditare. Cap. 30. *Si Pater erat qui patiebatur, ad quem Deum exclamabat Filius, cum dixit, Deus Deus?* Lib. de Bapt. omnem Baptismi virtutem ex trium Personarum divinarum nominibus repetit. Cap. 6. loquitur de ablutione delictorum, *quam fides impetrat obsignata in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto; nam si in tribus testibus stabit omne verbum, quantò magis dum habemus per benedictionem eosdem arbitros fidei, quos & sponsores salutis; sufficit ad fiduciam spei nostræ etiam numerus nominum divinorum.* Subjungit adhuc. *Ubi tres, id est, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, ibi Ecclesia; quæ trium corpus est.* Lib. de pudicitiâ cap. 21. de Ecclesiâ differens, ita loquitur de Trinitate, uno Deo: *Nam & ipsa Ecclesia propriè & principaliter ipse est Spiritus, in quo est Trinitas unius divinitatis, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.*

Orig. Hom. 5. in Exod. ait istius mysterii fidem admodùm difficilem esse creditu; *cum confitearis, &c.* Vide suprà art. 1. Idem Hom. 13. in Levit. divinitatis unitatem, simul & personarum numerum sic exprimit. *Nunc autem unus quidem est panis; una enim voluntas est, & una substantia; sed duæ sunt positiones, id est duæ personarum proprietates: illum enim Patrem, qui non sit Filius, & hunc Filium dicimus, qui non sit Pater.* Hom. 10. in Numer. ait summam perfectionem esse in cognitione mysterii istius. Hom. 12. in cap. 1. Reg. asserit excelsa dici non posse, nisi de Patre, Filio, & Spiritu Sancto. Hom. 8. in Exod. in tres personas fidei professionem in Baptismo fieri docet: *Diis*, inquit, *valedicimus, dum baptizamur; solum confitemur Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; sed hoc confitentes, nisi toto corde diligamus dominum Deum nostrum, & totâ animâ, & totâ virtute adhæreamus ipsi, non sumus effecti pars domini.* Hom. 1. in Isai. docet ideò ter *Sanctus* ab Angelis proferri, ut Personarum Trinitas, & naturæ unitas designarentur. Lib. 8. contra Cels. hanc Celsi objectionem refellens, scilicet non esse cur Christiani Ethnicis exprobrarent & vitio verterent, quòd Deo, & Heroïbus cultum exhiberent; cum & ipsi Deum, & Christum adorarent; ita respon-

dei : *si Celsus intellexisset illud, Ego, & Pater unum sumus : Et illud in precatione dictum à Filio Dei, sicut ego & tu unum sumus ; non putasset nos & alium colere, præter Deum universorum Dominum. Ait enim, Pater est in me, & ego in Patre : quod si quis his motus, verebitur ne fortè transfugiamus ad eos, qui negant duas esse substantias Patrem, & Filium ; audiat illud ; erat autem omnium credentium cor unum, & anima una, ut contempletur illud dictum, Ego & Pater unum sumus. Unum igitur Deum, sicut rationem reddidimus, Patrem & Filium colimus, constanterque stamus contra alios, non recens exortum, quasi priùs non fuerit, nimiis honoribus extollimus. Credimus enim ejus verbis dicentis : Antequam Abraham natus esset, ego sum : Itemque, ego sum veritas. Nec est quisquam nostrum tam illiberali ingenio, ut opinetur quòd veritatis essentia non fuerit ante adventûs Christi tempora. Itaquè religiosè colimus Patrem veritatis, & veritatem Filium, duos quidem substantiâ, unum verò concordiâ, consensu, voluntatisque identitate : adeò ut quicumque vidit Filium, qui est splendor gloriæ Dei, caracter ejus substantiæ ; viderit in ipso Deum, & in imagine Dei.*

Ergò objectio à Celso instituta nullius momenti erat, videlicet à Christianis adorari plures Deos, Patrem nempè, & Filium ; cum in eorum fide Pater, & Filius essent unus Deus ; & Filius esset æternus, ut Pater.

S. Cyprianus docet tres personas unum esse Deum, & hanc esse fidem necessariò tenendam, & ubique vigere : sic in Epist. ad Jubaïanum, ubi ait considerandam esse fidem eorum qui foris sunt, ut Patripassianorum, Appellanionitarum, Marcionitarum &c. *Si eumdem Patrem, eundem Filium, eumdem Spiritum, eamdem Ecclesiam confitentur nobiscum.* Igitur ea fides exigebatur ; quâ quidem ratione utitur ad probandum Baptismum apud hæreticos non conferri ; quia baptizatus non potuit fieri templum Dei : *Si Creatoris ; non potuit ; quia in eum non credidit : si Christi ; nec ejus fieri potest templum, qui negat Deum Christum : si Spiritûs sancti ; cum tres unum sint, quomodò Spiritus sanctus placatus esse ei potest, qui aut Patris, aut Filii inimicus est ?* Nec sufficere probat Baptismum in nomine Christi. *Quandò ipse Christus gentes baptizari jubeat in plenâ & adunatâ Trinitate.* Item lib. de Orat. Dominicâ, in hæc verba, *Et remitte nobis debita nostra* &c. fidem in sanctam Trinitatem ità commendat : *Sacrificium Deo majus est pax nostra, & fraterna concordia, & de unitate Patris, & Filii, & Spiritus sancti plebs adunata.* In Ep. quoque ad Magnum sic habet : *Si quis illud opponit, ut dicat eamdem Novatianum legem tenere, quam Catholica Ecclesia teneat ; eodem Symbolo quo & nos baptizare ; eumdem nosse Deum Patrem, eumdem Filium Christum, eumdem Spiritum sanctum : nec hoc adjuvare tales potest ; nam & Chore, & Dathan, & Abiron, cum Sacerdote Aaron, & Moyse eumdem Deum noverant, pari lege & religione viventes unum & verum Deum, qui colendus atque invocandus fuerat, invocabant.* Idem S. Cyprian. lib. de unitate Ecclesiæ ait inter tres personas absolutissimam esse unitatem : *Hi*

Hi tres, inquit, *unum sunt*. Addit etiam ex eâ unitate proficisci Ecclesiæ unitatem, quæ nullatenùs scindi potest.

Sanctus Gregorius Thaumaturgus referente Sancto Basilio Epistolâ sexagesimâ-quartâ, Sabellianismum, qui purus erat Judaïsmus, Neocæsareæ oppressit; & ab eo ad Musonium usque illibata fidei Trinitas in Ecclesiâ Neocæsariensi viguit. Referente Sancto Gregorio Nissl. in vitâ ejusdem Sancti, veram Trinitatis, & consubstantialitatis fidem à S. Joanne per revelationem accepit S. Gregor. Thaum. quæ fidei descriptio eximia ab eodem Sancto exscripta, in Ecclesiâ Neocæsariensi servabatur; eaque ideò Ecclesia ab Arianorum hæresi tuta fuit.

Novatianus lib. de Trin. Ecclesiæ fidem refert de Trinitatis mysterio ubique receptam; & personarum in Deo pluralitatem, simul & substantiæ unitatem probat. Ejus, & utriusque Dionysii, Romani scilicet, & Alexandrini, item & Lactantii loca art. sequentibus afferentur. Cæteri verò Patres, qui subsecuti sunt, ut SS. Athan. Hilar. Cyrill. Hierosolym. Basil. Gregor. Nazian. Gregor. Nissl. Epiphan. eadem ferè argumenta adhibent, ut veritatem catholicam asserant. Addimus pro hæreticis fuisse traductos quotquot ab eâ fide defecerunt, qualis fuit inter alios Noëtus, de quo hæc refert S. Epiphan. lib. 2. tom. 1. *Inter hæc beatæ memoriæ Presbyteri ejus rei famâ permoti hominem advocant, deque his omnibus interrogant utrumnam tam contumeliosum in Patrem dogma proposuisset. At ille coram Presbyterorum consessu productus infi. ciari cœpit. Primò, quod ante ipsum nemo atrox illud, atque exitiabile virus evomuisset. Posteà verò, cum rabiem suam nonnullis, ut ità dicam, aspersisset, ac decem ferè homines sibi adjunxisset, majorem in superbiam, atque audacior factus, palàm hæresim suam disseminavit. Proindè rursùm iidem illi Presbyteri, tàm ipsum, quàm qui se ad eum infeliciter aggregarent, arcessunt; atque iisdem de rebus sciscitantur. Ille cum grege suo frontem perfricans, audacter contradicere cœpit; quid, inquit, malè feci? unum Deum veneror, unum novi; nec præter ipsum alterum natum, passum, mortuum. Ad quam opinionem cum constanter adhæresceret, eum pariter atque ejus discipulos ab Ecclesiâ pellunt.*

Præthereà novitatis circa sanctissimam Trinitatem incusatus Praxeas à Tertulliano Romæ hæresim revocare fuit coactus. Sabellius à S. Dionysio Alex. novitatis & hæreseos hanc ob causam pariter fuit damnatus. Item Paulus Samosatenus in utrâque Synodo Antiochenâ fuit accusatus. Deindè in Nicæno Concilio Arius. Ubique igitur proscribebatur, ut blasphema doctrina fidei de sanctissimâ Trinitate opposita. Hanc adeò constantem unius substantiæ, sive naturæ in tribus personis fidem supponunt veteres, ut variis expositionibus eam illustrarint S. Justin Athen. Tertull. S. Cypr. Novat., &c. Deus unus retinebitur, si Filium, & Spiritum Sanctum ad unam causam referamus, non autem componamus, nec commisceamus; & si unam eandemque divinitatis, ut ità loquar, motionem, & voluntatem, essentiæque identitatem intelligamus.

Alias rationes ex æqualitate Patres antiqui repetunt. Si enim, inquiunt,

in omnibus divinæ personæ sunt æquales, cum quidquid in Deo est, Deus sit, ipsas personas divinas unius & ejusdem substantiæ esse compertum sit: quòd autem nihil distinctum, quoad substantiam, in eis sit; simulque inter eas summa sit æqualitas; patet ex eo quòd Pater, & Filius simul peccata condonent, & nihil sit quod simul non præstent; ac ut uberiùs dicetur, nullum sit attributum divinum absolutum, in quo non conveniant; item etiam quòd unus & idem honor eis deferatur, ut vidimus ex Origene. Et verò uti probat S. Aug. Epist. 66. ad Maximum, divinitas in tribus est personis, nec major, nec minor, sed eadem. *Neque enim Pater*, inquit, *ut haberet Filium de seipso, minuit seipsum: sed ita genuit de se alterum à se, ut totus maneret in se, & esset in Filio tantus, quantus & solus. Similiter & Spiritus Sanctus integer de integro, non praecedit undè procedit, sed tantus cum illo quantus ex illo, nec minuit eum procedendo, nec auget hærendo.* Item lib. 1. de Doctr. Christ. cap. 5. *In Patre unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu Sancto unitatis æqualitatisque concordia: & tria hæc unum, omnia propter Patrem, æqualia omnia propter Filium, connexa omnia propter Spiritum Sanctum.*

Aliam rationem alii repetunt ex earum conjunctione, quæ dissolvi nequit, ut S. Athan. in Apol. & S. Dionys. Alex. Cum enim Sabellianismi argueretur S. Dionysius, quòd innominato Filio solius Patris meminisset; sicque videretur Patrem non alium à Verbo fecisse; hanc calumniam diluit, & respondet Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, à se invicem sejungi non posse; *& in Patris, Filiique manibus esse Spiritum Sanctum; sed ita ut neque à mittente, neque à ferente segregetur.* Et infrà: *hoc scilicet pacto unitatem, quæ divisibilis est, in Trinitatem dilatamus, & Trinitatem, quæ diminui non potest, in unitatem contrahimus.* Aliam & validissimam rationem ducunt alii Patres ex naturæ divinæ unitate, ut S. Gregor. Naz. Orat. 32. & S. August. Epist. 66. ad Maximum.

Ex iis ergò certò inferendum superest, sanctissimæ Trinitatis fidem, & consubstantialitatem apud antiquos constantem fuisse.

Objectiones ex Scripturâ Sacrâ solvuntur.

Objectionum solutiones à SS. Patribus, Athanasio, Hilario, Basilio, Gregorio Nazianzeno, Gregorio Nyssæno, Ambrosio, Augustino, &c. mutuati sumus; horum loca non laudamus plerumquè, quia nullius apud Arianos momenti eorum est nomen.

Opp. 1. Ariani contra probationes allatas ex verbis Matth. 28. ℣. 19. non sequi Filium & Spiritum Sanctum esse unius & ejusdem cum Patre divino substantiæ, licet eorum nomen cum Patris nomine in Baptismo conferendo conjungatur. Nam personæ creatæ, ut alterius naturæ & minùs dignæ, Deo adjunguntur. 1. Reg. 12. ℣. 19. *Timuit omnis populus nimis Dominum, & Samuelem.* Exod. 14. ℣. 31. *Et crediderunt Domino, & Moysi servo ejus.* Act. 20. ℣. 32. *Commendo vos Deo, &*

verbo gratiæ ipſius. Epheſ. 6. ℣. 10. *Confortamini in Domino, & in potentiâ virtutis ejus.*

R. ex Matth. 28. Unitatem eſſentiæ in tribus perſonis ex illâ juxtapoſitione colligi, parem ſcilicet & æqualem Patri, Filio, & Spiritui Sancto fidem, cultum, obedientiam præſtari oportere; & eamdem in Patre, Filio, & Sancto Spiritu omnipotentiam & naturam agnoſci. In illis verò locis quæ objiciuntur, idem deprehendi non poteſt; non enim ad æqualem cultum Deo, & illis præſtandum aſtringimur. Sic 1. Reg. 12. procul dubio æquè non timendi fuerunt Dominus, & Samuel. Nam timor quidem eſt debitus Magiſtratibus, Rom. 13. ℣. 7. ſed timor alius eſt ſoli Deo debitus, Malac. 1. ℣. 6. Iſaiæ 29. ℣. 13. Timuit ergò populus Dominum timore, quo eum ut Deum veneratus eſt: timuit & Samuelem ut Dei Prophetam & Magiſtratum. Attamen Deus non vult hominem æquè ac ſeipſum timeri, Matth. 10. ℣. 28. ſicut nec coli, aut eſſe in veneratione, Iſaiæ 42. ℣. 8. Idem eſto judicium de loco Exod. 14. ℣. 31. Undè aliter in Deum credit populus, nimirum fide divinâ; quæ pars eſt cultûs divini; aliter Moyſi ſcilicet ut miniſtro ſibi credita fideliter referenti. Septuaginta ſic legunt: *Credidit Moyſi*, non verò in Moyſem.

Act. 20. ℣. 32. commendat Apoſtolus eos Deo, ut ejus beneficio in veritate ſerventur; & ſermoni gratiæ ejus, tanquam inſtrumento: quòd ſi audierint, Verbi divini lectio multùm ad eorum utilitatem conferet. In loco Epheſ. 6. ℣. 10. non diſtinguitur Dominus à robore virtutis ejus; & Paulus vires ſuas in Deo collocat, & in fortitudine ab eo acceptâ.

INST. Iſraëlitas in Moyſe baptizatos fuiſſe, 1. Cor. 10. ℣. 2. & Diſcipulos Baptiſmo Joannis, Act. 19. v. 3. nec tamen ejuſdem naturæ dicendos eſſe Deum, Moyſem, aut Joannem. Neque inde diſcrimen eſt repetendum, quod in nomine Moyſis, aut Joannis fuiſſe baptizati Judæi non dicantur; perindè enim eſt; nam alii dicuntur in nomine Chriſti Baptiſmum percepiſſe, Act. 2. v. 38. alii in Chriſto baptizati, Roman. 6. v. 3. Galat. 3. v. 27.

R. in priori loco 1. Cor. 10. v. 2. Hebraiſmum eſſe, & loco, *per*, poni, *in*, ut Act. 7. v. 53. ubi dicitur in diſpoſitione Angelorum acceptam fuiſſe legem, quæ tamen Galat. 3. v. 19. ordinata dicitur per Angelos. Undè ſenſus eſt baptizatos Judæos fuiſſe per Moſem, qui per mare rubrum eos traduxit. Ideò verſio Syriaca ità habet, *in manu Moyſis*: nec aſſerit Apoſtolus, in nomine Moyſis, ſed in Moyſe baptizatos fuiſſe. Si de miniſtro dici poſſet, in nomine ejus baptizatos fuiſſe Diſcipulos, an ità conſtanter Apoſt. 1. Cor. 1. v. 13. proferret: *Num in nomine Pauli baptizati eſtis?* In Moyſe igitur baptizati dicuntur Iſraëlitæ, typicè ſcilicet, & analogicè; aquâ enim nullo modo abluti fuerunt; ſed eorum ingreſſus in mare, & egreſſus, baptiſmi effectus delineant. Act. 19. v. 3. non occurrit nomen Joannis, ſed in Joannis baptiſmo, ſeu quem Joannes adminiſtraverat. In locis Act. 2. Rom. 6. & Galat. 3. Hiſtoricè referuntur

baptizati quidam; sed forma Baptismi non exprimitur, quæ traditur Math. 28. Ex quo quidem capite, Patris, Filii, & Spiritus Sancti ducenda est æqualitas.

INST. Tres quidem signari Matth. 28. sed proindè non unius essentiæ esse, imò distingui; cum Dominus ille, & Spiritus distinguantur à Deo, qui per Dominum, & Spiritum Sanctum operatur.

R. Operationes divinas tribus personis tribui: & sic tres illas personas Deum esse: quæ habent divinam potentiam, ac proindè essentiam quoque divinam. Et licet distinguantur tres personaliter, non sequitur distingui essentiâ; imò essentia communis traditur, cum asseritur illis eadem potentia; ideòque sunt unus Deus. Per Filium autem, & Spiritum Sanctum operari quandoque Pater dicitur; non tanquam per instrumenta, aut causas inferiores; sed per Filium, ut per propriam suam essentialem sapientiam; & per Spiritum Sanctum, ut per virtutem suam efficacem. Sic ordo operationum divinarum, & individuus personarum nexus insinuatur.

OPP. 2. Tres illos Testes quorum fit mentio 1. Joan. 5. v. 7. *Tres sunt qui testimonium dant, &c.* non esse personas distinctas: testificari enim potest persona, quæ dicitur Pater, per virtutes à se constitutas, & emissas. Sed etiamsi personæ haberentur distinctæ; non magis essent quid unum substantiâ, quàm sint spiritus, aqua & sanguis; cum de illis eâdem ratione loquatur S. Joannes: *Quoniam*, inquit, *tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terrâ, spiritus, & aqua, & sanguis; & hi tres unum sunt, &c.* Addunt hæc verba, nec extare in Græcis exemplaribus vetustioribus, nec in Latinis versionibus antiquioribus occurrere: ut in antiquissimis Bibliis Bibliothecæ S. Germani plusquàm 500. annorum; neque in Colbertinis Ludovici Pii; sed hæc tantum verba, *quoniam tres sunt, qui testimonium dant, spiritus, aqua, & sanguis; & tres unum sunt:* Et, etiamsi extarent, ad probandum tres personas esse unum Deum nihil ea conferre: agitur enim duntaxat de testimonio, quod ab iis testibus, qui personæ non sunt, fieri potest, Jesum scilicet esse Dei Filium, ut fertur v. sequenti: spiritum autem, aquam, & sanguinem non esse unum quid in plano est.

R. Testes de quibus agitur 1. Joan. 5. Patrem scilicet, Filium, & Spiritum Sanctum esse personas distinctas, & ejusdem substantiæ, ut patet ex v. 5. ejusdem capitis, ubi sic habetur: *Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Jesus est Filius Dei?* Ejusdem scilicet substantiæ; non verò adoptivus, seu creatus: fides enim in rem creatam non vincit mundum. Cæterùm testis propriè dictus vivit, intelligit, vult, per se subsistit. Porrò ejusmodi sunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Nam quale est testimonium Patris, tale est Filii, & Spiritus Sancti; & simul in testimonio conjunguntur, & à testimonio terreno distinguuntur. Sicut ergò Pater testis verè persona est; ità & Filius; &

ſicut Filius à Patre diſtinguitur; ita Spiritus à Patre, & Filio diſtinguitur, perſonaliter ſcilicet, & pariter teſtatur. Si autem Spiritus S. eſſet virtus ſola Patris; tres non eſſent teſtes, ſed duo duntaxat: teſtis enim, & virtus, per quam quis teſtatur, unicum teſtem conſtituunt; & eſſentia Patris ab ejus virtute non diſtinguitur. Falſum ergò ſcripſiſſet S. Joan. cum tres teſtes adducere ſe teſtaretur. Nec quæſtio eſt, an, qui perſonæ non ſunt, teſtari poſſint? ſed an tres iſti reverâ perſonæ ſint? Chriſtum autem eſſe Filium Dei teſtatur Pater Matth. 30. ℣. 17. teſtatur quoque Spiritus Sanctus ibidem: teſtatur & ipſe Chriſtus de ſe ipſo Joan. cap. 8. ℣. 18. & c. 10. ℣. 30. &c. Porrò æquale Patris teſtimonio non eſſet teſtimonium Filii, & Spiritus Sancti, quòd ſcilicet à perſonâ quæ Patri æqualis non eſſet, proficiſceretur. Et quidem Spiritus, aqua, & ſanguis teſtes, unum non ſunt eſſentiâ, licet ſint unum teſtimonio; & ideò phraſes diverſas adhibuit S. Joannes in Græcis exemplaribus. ℣. enim 7. ità de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto loquitur: *& hi tres unum ſunt*. Sic autem ℣. 8. de ſpiritu, aquâ, & ſanguine: *& hi tres in unum ſunt*. Equidem in quibuſdam codicibus Græcis legi v. 8. *unum ſunt*, non inficiamur; ſed illi Codices, & pauciores, & recentiores ſunt, & non ità authentici.

Addimus locum illum in exemplaribus etiam vetuſtioribus non occurrere, & in novem Græcis ex Roberto Stephano, & in ſeptem minùs vetuſtis deſiderari. Undè credendum eſt ab Arianis fuiſſe eraſum, jam ante S. Hieronymi tempora. Primis ſæculis illum cum Catholicis legerunt antiqui, ut S. Cyprian. lib. de Unitate Eccleſiæ; & eo loco uſi ſunt, qui adverſus Arianos diſputarunt.

Opp. 3. hæc verba Joan. 10. v. 39. *Ego & Pater unum ſumus*, nec probare perſonarum multitudinem, ſeu trinitatem; nec ſubſtantiæ unitatem; cum non de aliquâ ſubſtantiali unitate, ſed tantùm de morali & accidentariâ ſermonem haberet Chriſtus. Nam Joan. 17. v. 21. eamdem inter nos exoptat unitatem, quâ ipſe Patri adunatur, *ut omnes unum ſint*, inquit, *ſic ut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint*. Et infrà v. 22. *ut ſint unum ſicut & nos ſumus unum*. Cum igitur nos inter, imò & cum Deo, ſola unitas moralis intercedat, ſeu quæ petatur ex affectuum conjunctione; ità Patrem inter, & Filium divinum intercedere tantùm ſimilem unitatem contendunt adverſarii.

R. Varia exempla & ſimilitudines in ſcripturis adhiberi, quibus non qui ſimus, aut qui eſſe poſſimus, ſed quid in votis nobis eſſe debeat, aut quid à nobis ſit præſtandum, traditur. Sic nobis præcipitur Matth. 10. v. 16. *ut ſimus ſimplices, ſicut columbæ* Item Luc. 6. v. 36. *Miſericordes, ut Pater cœleſtis*: non quòd poſſimus Dei miſericordiam aſſequi, ſed Deum aliquatenùs æmulari, dum bona præſtamus. Simili ratione, unitatis, quæ inter nos eſſe debet, in exemplum, unitatem ſuam cum Patre æterno proponit Chriſtus; ut ſpiritali conſociatione ſimul conjungamur, ſicut unitate ſubſtantiæ conjuncti Pater, & Filius à ſe invicem divelli nequeunt. Undè verba hæc: *Quemadmodum unum ſumus*: non identita-

tem, sed imitationem designant: exposcitque Dei Filius, ut sui corporis quasi vinculo inter se se invicem fideles adunentur, in idem cum ipso corpus coeuntes.

INST. Hæc verba Joan. 17. voluntatis tantùm conjunctionem, seu consensum inter Verbum & Patrem designant. Eo enim sensu de fidelibus dictum est, Act. 4. v. 32. *anima una, & cor unum.* Et 1. Cor. 3. v. 8. *qui plantat, aut qui rigat, unum sunt*: quæ verba nihil aliud præter animorum ex fidei, & charitatis mutuæ vinculis repetitam conjunctionem designant.

R. 1. omnem quidem inter fideles unitatem, ex fide, & charitate unanimi esse repetendam, seu ex eo quòd Christum omnes induerint, Gal. 3. ℣. 27. & 28. sed longè aliam Joan. 17. inter Patrem, & Filium significari conjunctionem, scilicet substantialem. Neque verò solam inter fideles, & secum ex voluntatis consensu rogat Christus unitatem; postulasset enim ut ejusdem secum voluntatis eos Pater efficeret: idoneis verbis utitur veritas; precatur nempè, ut non modò sint inter se quid unum per fidem, & charitatem; sed etiam ut naturæ suæ sic affectæ conjunctione, unum secum corpus constituant, cujus ipse caput sit Christus: habet enim naturam cum hominibus communem, & cum justis idem corpus efficit. Etiamsi autem Christus postularet, ut fideles voluntate quid unum essent; non sequeretur Patrem, & Filium esse quid unum tantùm consensu: nec enim licet à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter inferre argumentum. An quòd fideles v. c. affectibus conveniant, colligere in promptu erit eos non aliter inter se devinciri? Numquid non multis aliis vinculis inter se possunt colligari? ut conjugio, ut sanguine, propinquitate, beneficiis, gratitudine, & aliis nominibus; imò & ipsius naturæ communis colligatione. Unitas igitur à Christo postulata fidelibus, cæteros unitatis modos non tollit.

OPP. 4. Varia loca adversus Trinitatis mysterium, quibus solum Patrem contendunt esse verum, & unum Deum. Inter alia hunc laudant locum desumptum ex Joan. 17. ℣. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum, Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.*

R. solum Deum ibi dici Patrem, ut excludantur qui pro Diis falsò tunc habebantur; non verò personæ ejusdem divinitatis participes: vox quippè *Solus* omnes alios excludit à communione prædicati, cui apponitur; non cæteros. Sic lib. 1. Mach. cap. 10. ℣. 70. *Tu solus resistis nobis*, inquiebat Apollonius ad Jonatham: non excludebatur tamen Simon ipsius Jonathæ frater, nec duces, nec milites. Item Luc. 9. ℣. 36. *Dum fieret vox illa*, post Transfigurationem, *inventus est Jesus solus.* Hac voce *Solus* excluduntur Moïses, & Elias; non verò Petrus, Joannes, & Jacobus, qui erant cum Christo. Luc. quoque 10. ℣. 40. *Domine non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare.* Solam dixit, ut excluderet sororem; non servos, aut ancillas. Ità Joan. 17. 3. Pater dicitur solus Deus verus, ut removeantur à divinâ naturâ Gentium Dii, seu idola; non verò Filius, & Spiritus sanctus. Pariter cum

dicitur Act 4. ℣. 12. *Non est in alio aliquo salus*, scilicet præter Christum, non excluditur Pater. Similiter 1. Cor. 2. v. 11. dicitur: *Quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi spiritus Dei*, excluditur-ne propterea Deus ipse à spiritu Dei? Matth. etiam 11. v. 2. legitur: *Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius?* Num ideò à suâ ipsorum cognitione Pater, & Filius excluduntur? Vox ergò *Solus* Patri adjuncta excludit quidem personas à Patre sejunctas; non verò eas, quæ sunt in Patre, & unum cum Patre. Sicut 1. Cor. 2. v. 2. cum profitetur Apostolus se nihil nosse inter Corinthios, nisi *Jesum Christum, & hunc crucifixum*, non excludit Patrem, aut Spiritum sanctum; quia cohæret cognitio hæc cum Christi cognitione. Addo Joan. 17. adeò non excludi Christum, ut imò ex illis verbis pateat Christum esse Deum. Nam undè aliter vita æterna in eo est, ut cognoscamus & Patrem, & Jesum Christum? cum vita æterna præstantissima sit merces, & cognitionis præstantius objectum esse non possit eo, cujus cognitio est vita æterna. Hinc ergò cognitio Christi est præstantissimi omnium objecti: ergò Dei. Prior loci pars opponitur Idololatriæ Gentilium; posterior cæcitati Judæorum, qui Messiam rejiciebant. Utraque autem cognitio ad salutem est necessaria: nec mediator esse poterat Christus, nisi esset unus cum Patre Deus.

Equidem se ob naturam humanam à Patre distinctum Christus significavit; sed se unum dixit ob naturam divinam: nec enim cogitari potest Christus à Patre genitus, & Filius Dei, nisi & ejusdem naturæ cum Patre agnoscatur. Et ideò Joan. 5. v. 18. *Judæi Jesum interimere voluerunt, propterea quòd Deum dixisset Patrem suum, parem se faciens Deo*. Et Joan. 10. v. 33. eum ob hanc causam lapidabant Judæi, *quòd homo cum esset, faceret seipsum Deum*.

Igitur ut genuinus loci Joan. 17. sensus habeatur, vox exclusiva *Solus* construenda est, non cum antecedente pronomine, *Te*, sed cum sequente adjectivo, *verum*: Dominus enim non dixit te solum illum verum Deum; sed σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, te illum solum verum Deum. Vox exclusiva, *Solus*, ab antecedente pronomine, *Te*, dividitur per pronomen, *illum*, interpositum; & cum sequente adjectivo, *verum*, jungitur: quod ab Evangelistâ factum non est casu, sed consultò: undè fit ut non Pater excluso Filio, & Spiritu sancto, sit ille verus Deus; sed sit ille Deus, qui solus est verus.

Verborum Christi perspicuitas hos in scopulos Crellium impulit, ut concederet lib. 1. de uno Deo Patre, Christum à verâ Deitate, quæ à supremâ dependeat, verbis illis non removeri. Quantùm autem à veritate aberret in Divinitatis duplicis excogitatione, vel ipsa verba Christi palàm faciunt: nam ibidem Christus vocavit se verum Deum: vera autem Deitas ex Scripturis unica est; nec alia est suprema, & independens; alia inferior, & dependens.

Inst. Solus Pater est unus Deus, seu supremus, à quo Christus in tempore divinitatis participationem accepit. Undè 1. Cor. 8. v. 6.

Nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum. Non prætermisisset autem Paulus Filium, & Spiritum sanctum, si essent unus cum Patre Deus; cum explicaret quis sit ille unus Deus.

R. Filium non prætermitti ab Apostolo, sed Patri ab illo conjungi; ubi scilicet idolum nihil esse docuit; & asseruit unicum esse Deum. *Scimus*, inquit v. 4. *quia nihil est idolum in mundo, & quòd nullus est Deus nisi unus. Nam etsi sunt qui dicuntur Dii, sive in cælo, sive in terrâ, (siquidem sunt Dii multi, & Domini multi) nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Confirmat ergò Patrem, & Filium esse unum Deum: negat enim multos esse Deos, & Dominos, quos colebant Idololatræ, sive in terris, sive in cœlis; & probat unum esse Deum; quia una est causa, ex quâ, & per quam sunt omnia. Ità S. ipse Paulus de Deo Rom. 11. v. 36. *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Undè asserendo Christum esse unum Dominum, per quem omnia, & nos per ipsum, docet illum esse unum & eundem cum Patre Deum, seu unam & eandem rerum omnium causam. Et reverâ si excluderet Filium, & Spiritum sanctum, dum dicit unum Deum esse Patrem; excluderet quoque Patrem, dum docet Christum esse unum Dominum; ut Act. 16. v. 28. ubi cum deprehendisset carceris custos neminem aufugisse, licet aperta essent carceris ostia, & ab inferendâ sibi morte deterritus fuisset à sancto Paulo, ad ejus, & Silæ pedes procidit dicens: *Domini quid me oportet facere, ut salvus fiam? At illi dixerunt: crede in Dominum Jesum, & salvus eris tu, & domus tua.* Ibi solius in Christum fidei meminerunt; nec tamen in Patrem. & Spiritum fidem esse necessariam negavêre. Sicut nec excluduntur Pater, & Filius Act. 13. v. 4. & cap. 15. v. 28. ubi solius Spiritûs sancti fit mentio. Hæc autem disserendi ratio aliis Apostolis familiaris fuit, ut S. Petro Act. 4. v. 10. & S. Joanni Apoc. 1. v. 8. ubi Filius solus dicitur principium, & finis. Undè colligere est tres personas modò exprimi, ut Math. 28. v. 19. quandóque unicam tantùm; quia sunt unius & ejusdem naturæ. Eo ergò loci, 1. Cor. 8. *unus Deus* absolutè sumitur; & est communis Patri, & Christo, exclusis solis Idolis.

INST. Deus ille unus, est tota Trinitas. At Pater ille est unus Deus: ergò unica est persona.

R. Equidem illum unum Deum esse Trinitatem adæquatè; & Patrem esse illum unum Deum; sed non adæquatè. Sic homo est Joannes, Jacobus, & Petrus; sed Joannes non est Petrus, nec Jacobus. Item quantitas continua permanens est linea, superficies, & corpus; attamen omnis quantitas permanens non est linea; sicut nec omnis homo est Joannes. Idem de sophismate adversariorum esto judicium. Enimverò Deus, in majori sumitur collectivè, in minori autem pro personâ. Et proindè istud inferre non licet, quod inferunt adversarii: Deus ille unus, est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: ergò Filius, & Spiritus Sanctus sunt Pater: non enim persona quæ Deus est, Pater est.

Plurima

Plurima opponuntur ejuſcemodi loca, ut Marc. 12. v. 29. Epheſ. 4. v. 6. in quibus exponendis non eſt immorandum, quia eadem redit ſolutio. Et verò qui ſacra inſtrumenta conſuluerit veritatis amore ductus, deprehendet ſubintelligi continuò perſonas, quæ non exprimuntur propter naturæ unitatem, & perſonarum relationem.

Solvuntur objectiones veterum Hæreticorum.

Opp. cum Praxeâ apud Tertull. lib. contra eum cap. 3. Tres in Deo perſonas agnoſcere, in Idololatriam relabi eſt. Et cap. 13. ſi unus Deus alterum Deum alloquatur, ut dicitur ubi de creatione mundi, & unus dicat, *fiat*; alius verò, *faciat*, multos eſſe Deos eſſe ſequitur: unicus autem Deus eſt. Iiſdem fundamentis nitebatur Noëtus. Et ex S. Greg. Naz. Orat. 37. Tritheitas ideò vocabant Catholicos Ariani, quod unamquàmque perſonam Deum dicerent.

R. 1. cum Tert. contra Prax. cap. 3. primâ hâc hæreticorum objectione deludi ſimplices: *Non intelligentes unicum quidem (Deum) ſed cum ſuâ œconomiâ eſſe credendum, expaveſcunt ad œconomiam, numerum & diſpoſitionem Trinitatis, diviſionem præſumunt unitatis; quandò unitas ex ſemetipsâ derivans Trinitatem, non deſtruatur ab illâ, ſed adminiſtretur. Itaque duos & tres jam jactitant à nobis prædicari: ſe verò unius Dei cultores præſumunt. Quaſi non & unitas irrationaliter collecta hæreſim faciat; & Trinitas rationaliter expenſa, veritatem conſtituat.* Ergò perſonarum pluralitas unitati divinæ officere non credebatur; quia Filius à Patre communicatam naturam acceperat, & eandem cum Patre habebat. Sic igitur Monarchia cum Trinitatis æconomiâ ſervatur. Item cap. 13. ait ſcripturam pluribus in locis, quaſi ſint plures Dii, ſermonem habere; ut cum dicitur, *unxit te Deus, Deus tuus*: ſic enim ad Deum fit ſermo, & ungi Deum à Deo aſſeritur. Probat inſuper plures eſſe in Deo perſonas, & Chriſto nomen Dei, & Domini, jure meritò ex ſcripturis tribui.

Addit etiam haberi ex Apoſt. Chriſtum eſſe Deum; nec multiplicari divinitatem, cum una ſit Patris, & Filii ſubſtantia: *qui eſt, inquit Apoſtolus, Deus ſuper omnia benedictus in ævum omne. Nam & radium ſolis ſeorsùm ſolem vocabo: ſolem autem nominans cujus eſt radius, non ſtatim & radium ſolem appellabo. Nam etſi ſoles duos faciam, tamen & ſolem & radium ejus tàm duas res, & duas ſpecies unius & indiviſæ ſubſtantiæ numerabo, quàm Deum & ſermonem ejus, quàm Patrem & Filium.* Ergò perſonarum pluralitas divinæ unitati non nocet; quia una & eadem ſubſtantia, ſeu divinitas in perſonis exiſtit. Item cap. 18. ſic habet: *Porrò non periclitatur ſcriptura, ut illi de tuâ argumentatione ſuccurras, ne ſibi contraria videatur: habet rationem, & cum unicum Deum ſtatuit, & cum duos Patrem & Filium oſtendit, & ſufficit ſibi. Filium nominari ab eâ conſtat. Salvo enim Filio rectè unicum Deum poteſt determinaſſe, cujus eſt Filius. Non enim deſinit eſſe qui habet Filium ipſe*

unicus, suo scilicet nomine, quoties sine Filio nominatur. Sine Filio autem nominatur, cum principaliter determinatur ut prima persona, quæ ante Filii nomen erat præponenda; quia Pater ante cognoscitur, & post Patrem Filius nominatur: igitur unus Deus Pater, & alius absque eo non est. Quod ipse inferens, non Filium negat, sed alium Deum. Cæterùm alius à Patre Filius non est. Itaquè non sibi adversari scriptura existimabatur, cum plures in Deo personas, & unum in tribus personis Deum edoceret. Deos plures diversos naturâ negat scriptura, non plures personas in uno Deo. Et sanè si Praxeæ sententia valeret, in eam procul dubio tunc temporis itum fuisset: nec in solvendis illius argumentis ità fuisset laboratum; nec una & eadem divinitas in tribus personis ità constanter vindicata. Si attento animo quæ sequuntur in Tertull. perspiciantur, compertum fiet Deorum multitudini, non personarum pluralitati, unitatem divinam à scripturis opponi; & eum, cum duos Dominos, aut duos Deos tradit, pluralitatem personarum edocere.

R. 2. cum S. Greg. Naz. Orat. 37. unicum Deum à Catholicis adorari, & simul tres personas in Deo agnosci. Item & injuriâ Tritheitas ab Arianis dictos fuisse Catholicos. Ut autem illud ostendat ipse S. Greg. Naz. his comparationibus utitur: sicut in tribus solibus simul permixtis unicum esset lumen, sic divinitas in tribus unica est. Et sicut unica humanitas pluribus communis est hominibus, ita unica est in tribus personis divinitas: eâ tamen cautione adhibitâ, quòd unitas naturæ in hominibus realis non est, sed mentis nostræ tantùm opus. Nam si seorsim spectentur, quos in illius humanitatis participationem venire dicimus; à se invicem discrepare comperiemus, quoad tempus, vires, affectus, &c. Nos etiam ipsos à nobis ipsis quodammodò varios deprehendimus; cum mens nostra simulque corpus perpetuæ obnoxia sint mutationi. Paganorum etiam Dii, & ordine, & potestate, & muneribus distinguuntur: perfecta autem inter personas divinas æqualitas est. Præterea Dei unitatem in scripturis statui docet S. Greg. ut Paganorum Diis verus Deus opponatur; nec Dei unici rationem, sive nomen, Patri eâdem ratione ac Filio tribui, cum Deus dicitur; quia ex se ipso Pater Deus est; & Filius est Deus; quia ex Deo Patre natus, & quia natura divina una est in tribus personis. Addit in errorem non lapsuros fuisse Arianos, nisi fuissent in perscrutandâ communicatæ naturæ ratione curiosiores. Experiuntur in seipsis quod scribitur Prov. 25. v. 27. *Qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloriâ.* Quàm prudenter igitur, simul & feliciter Patrum vestigiis insistentes adversarii scopulos declinassent, si cum S. Greg. Nyss. Epist. ad Ablavium cum singulis Catholicis traditioni constanter esse adhærendum fuissent professi: *Sin*, inquit, *nostra oratio propositâ quæstione infirmior arguatur; traditionem quidem, quam à Patribus per successionem accepimus, servabimus in perpetuum firmam & immotam: orationem verò, quæ fidei patrocinetur, à Domino requiremus: quæ si ab aliquo eorum, qui gratiâ præditi sunt, inventa fuerit; gratias agemus ei, qui gratiam dederit: sin minùs id nobis contigerit, nihilo seciùs quæ decreta atque*

ſtatuta ſunt, fidem ſtabilem & firmam retinebimus.

Opp. cum eodem Prax. apud Tertull. cap. 8. lib. contra eumdem. Trinitatis dogma à Valentinianorum errore aliud non eſſe; hi enim nihil aliud docent, quam Æonem ab Æone procedere; & proindè cum eorum dogma proſcriptum ſit, Trinitatis fidem proſcribi quoque oportere.

R. 1. Cum Tert. ibidem cap. 8. errorem à veritate quiddam mutuari ſolitum eſſe, ut authoritatem ſibi conciliet; non verò ab errore veritatem quid excerpere. 2. Dogma Valentinianorum ad Trinitatis fidem non accedere; imò penitùs eſſe diverſum: nam inter Patrem Æonem, & filium Æonem ſtatuebant illi tantum diſcriminis, ut Patris notitiam filius aſſequi non poſſet; licet eam maximè exoptaret: tradit autem fides Catholica Filium ſolum noſſe Patrem, utpotè qui in ejus ſinu ſit, & ab eo nunquàm avellatur.

Opp. 8. Si Deus ex tribus perſonis conſtet, ex partibus erit compoſitus; erit enim in eo numerus; ubi autem numerus, ibi multa: ubi multa, ibi compoſitio.

R. cum S. Greg. Naz. Orat. 29. tres in Deo perſonas nullam compoſitionem facere; quia non ut ſimul permixtæ concipiendæ ſunt. Et S. Aug. l. 2. cont. Maxim. c. 10. ait tres in Deo perſonas numerum non conſtituere; ſicut nec conſtituunt numerum attributa, aut Dei virtutes: *Propter uniuſcujuſque proprietatem*, inquit, *tres perſonæ ſunt; & propter ſingulorum perfectionem partes unius Dei non ſunt.*

Inst. Neceſſariò ex tribus creſcit divinitas, & triplex fit.

R. cum S. Aug. lib. 6. de Trin. cap. 1. non creſcere divinitatem: incrementum enim indè oritur, quòd res ſimul additæ aliquid majus faciant; velut corpora corporibus addita; vel cum ſublimioris perfectionis rebus aliquid adhæret. Nihil autem hujuſmodi in Trinitate contingit: ſunt enim æqualis perfectionis perſonæ ſanctiſſimæ Trinitatis.

Opp. 9. Dei nomine perſonæ ratio includitur; ſignificat enim eum, qui aliis imperat: ſic qui dicit Deum, unam dicit perſonam, quæ ſummo cuncta moderatur imperio.

R. Dei nomen non eſſe nomen perſonæ determinatæ; ſed indicare unam naturam ſubſiſtentem per unam, aut per plures perſonalitates: ſeu Dei nomen indicare ens perfectiſſimum, & ſummum; non verò inferre unitatem perſonæ.

Inst. Nomen *Deus* eſſentiam unam numero indicat: hæc autem non poteſt pluribus perſonis communicari; quod perſona ſit rationalis naturæ individua ſubſtantia.

R. eam perſonæ cognitionem non haberi ex ſcripturis, ſed ex Philoſophiâ, quæ fidem non præſcribit. Atque, ut id verum eſſet de eſſentiâ finitâ; de eſſentiâ infinitâ falsò diceretur; Licet enim communicabilitas eſſentiæ finitæ in perſonâ unâ exhauriatur; non ità exhauritur Eſſentiæ divinæ communicabilitas. Perſonæ autem divinæ idem ſunt Deus. eſſentiâ divinâ, quâ Deus unus, non eſt perſona, ſed quatenùs cer-

to modo essentia divina illi competit; communicatur autem pluribus sine sui multiplicatione, sive sine sui divisione; & sic non multiplex fit essentia divina.

Jam præmonuimus hoc in mysterio investigando, sicut & in aliis quorum fidei placuit Deo nos subjicere, rationis, aut philosophiæ præjudicia longiùs esse amovenda; nec ad utriusque stateram adducendam esse Scripturæ authoritatem: alioquin hæc detorquebitur in alienum omninò sensum; & qui ità deliquerint (quod Socinianorum peccatum est) maledictis subjicientur eorum qui addunt verbo Dei, Prov. 30. v. 6. *Ne addas quidquam verbis illius.* Et 1. Reg. 15. v. 23. *Quasi peccatum ariolandi est, repugnare: & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* Et certè cum de Deo loquimur, ex Dei verbis religio nostra summâ animi demissione repetenda est; nec Philosophiam judicem adhibere fas est, aut opiniones præconceptas contra principium fidei disserere Christiano non licet; alioquin Christus, ut & gentibus, videbitur stultitia; & erit offendiculo, ut & Judæis, 1. Cor. 1. v. 23.

Opp. ult. ex hâc doctrinâ sequi quaternitatem in Lateranensi Conc. proscriptam, scilicet essentiam divinam, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.

R. tres Personas esse unum Deum profiteri nos cum Lateranensi Concilio; quaternitatem verò removere; necnon contendere quatuor illis nominibus unicam naturam absolutam significari, tres autem res relativas.

ARTICULUS SECUNDUS.

Verbi Divini, seu Filii, seu Christi Divinitas una & eadem cum Patris Divinitate probatur.

REM confectam æstimaremus, si quæ superiori articulo fuerunt exposita, seriò attenderentur: Verbum enim Divinum, seu Filium, seu Christum, unum & eundem cum Patre Deum esse constaret. Nova tamen plurimaque congeremus hîc argumenta; præsertim cum nihil non moliantur factionis Arianæ infeliciter posteriori seculo renovatæ defensores, ut à Christianâ Fide Christianorum nomine insignitos abducant.

Adversariorum objectiones, quas adversus probationes à nobis allatas, & dogma catholicum à nobis expositum congerunt, Dei beneficio apertè diluemus. Si quæ verò eruditionis singularis, & curiosioris apud antiquos occurrant, ea sedulò prætermittemus, ut seligamus tantummodò quæ Fidem Catholicam evidenter exprimunt, quæque assensum subitò extorquerent, nisi poneret animorum pertinacia obicem gravissimum. Probationes autem nostræ tùm Arianorum, tùm Socinianorum hæreses æquè convellunt: nec necesse est sæpiùs repetere, quid has hæreses confodiat. Meminisse oportet Socinianos sentire Christum non fuisse, antequam homo esset; eumque divinitatem quandam habuisse in tempore,

ſed longè minorem & aliam, quàm ea quæ Patris eſt. Igitur ſi ex probationibus tàm ſuperioris articuli, quàm iſtius conſtiterit Chriſtum fuiſſe antequam homo fieret, & ab æterno eſſe verum, & unum cum Patre Deum, illique tribuenda eſſe quæ Deo conveniunt vera attributa, rem adverſus illos hæreticos abſolverimus. Mihi Theologiæ Candidati parcant, ſi parùm in iſtius articuli probationibus videar prolixior: De Fidei capite nunc temporis acriter impugnato agitur: nam ſi Chriſtus Deus non ſit, ſubvertitur penitùs Chriſtiana Religio. Condonabunt, ut ſpes eſt, cum attenderint ad argumenta perſpicua, quæ ſtylo uberiori adverſus Arianos, SS. Patres, Athanaſius, Hilar. Baſil. &c. ſcripſerunt, adverſus Socinianos hîc revocata ſibi longè compendioſiùs tradi, necnon methodo à S. Hilario feliciter excogitatâ: ſcilicet ſumus probaturi Filium Dei eſſe unum cum Patre Deum, nomine, naturâ, æternitate, immenſitate, omnipotentiâ, adoratione Deo debitâ, ſeu latriâ, profeſſione tùm ipſius Chriſti, tùm Apoſtolorum, & Evangeliſtarum, tùm etiam trium priorum ſeculorum ad Nicænam uſque Synodum conſenſione unanimi. Quæ ſigillatim ſi confecerimus, evidenter ſequetur Filium Dei, ſeu Chriſtum eſſe verum & unum cum Patre Deum. Quamplurima prætermittemus Scripturæ loca; operoſius enim eſſet omnia exſcribere & legere. Satis nobis erit ex veteri Teſtamento laudare præſertim quæ à Chriſto, & Diſcipulis fuerunt laudata. Spes autem mihi eſt ejuſmodi loca tam aperta viſum iri, ut Theologus quilibet in eam ſententiam proculdubiò ſit adducendus.

Prob. ergò Filium Dei cum Patre unum eſſe nomine, & naturâ. Iſai. cap. 6. ℣. 1. *Vidi Dominum ſedentem ſupra ſolium excelſum.* Et dixit qui miſit Prophetam, ℣. 10. *Excæca cor populi hujus, ne fortè videat oculis* &c. Quæ verba citat S. Joan. cap 12. ℣. 40. ut probet ideò Judæos in Chriſtum non credidiſſe: & addit ℣. 41. *Hæc dixit Iſaias, cum vidit gloriam ejus, & locutus eſt de eo.* Hic autem de quo Propheta loquitur, verus Deus Iſraëlis fuit; cujus gloriam deſcribit, quem Dominum exercituum bis vocat, & Deum illum fuiſſe Salvatorem tradit S. Joannes. Quamobrem verus Deus Iſraëlis fuit Chriſtus, ſeu idem cum Patre Deus, tùm ex ipſo Joanne, tùm ex Prophetâ. Verba cohærent tùm in fontibus græcis, tùm in verſionibus genuinis; nec ad alium referri poſſunt, quàm ad Chriſtum, quem videndo non erant viſuri, nec audiendo audituri, & ad quem non erant convertendi, ut ſanarentur.

Hæc detorquere conantur Sociniani, docentque accipi poſſe, aut de Patre, qui dicitur excæcaſſe, induraſſe &c. aut de futurâ Chriſti gloriâ. Undè Iſai. cap. 6. v. 3. *Plena eſt omnis terra gloriâ ejus*: cum ſcilicet Chriſtus toti mundo fuit nuntiatus. At quo fundamento hæc proferunt? nullo penitùs: nec etiam audent pro certo afferre; ſed ut habent, dici poteſt, veriſimile eſt. An non ſic fucum facere ſtudent, & Scripturas temerare? Quæ antecedunt & conſequuntur, Joan. 12. v. 41. Chriſtum ſolum reſpiciunt: hortabatur ſcilicet Judæos Servator, ut in ipſum cre-

derent, præsertim cum tanta signa edidisset, v. 39. *Propterea non poterant credere, quia iterùm dixit Isaias: excæcavit oculos illorum.* Et addit: *Hæc dixit Isaias, quandò vidit gloriam ejus, & locutus est de eo. Verumtamen & ex Principibus multi crediderunt in eum.* Porrò hæc omnia nonnisi de Christo possunt intelligi. Nec etiam de gloriâ Christi futurâ loquitur Joannes, sed de eâ quâ in ipsum crederent ut in Deum. Ità v. 28. postulat à Patre: *Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergò vox de cœlo: Et clarificavi, & iterùm clarificabo.* Joan. 17. v. 4. *Ego te clarificavi super terram: opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam: & nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate quam habui priusquam mundus esset apud te. Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo: tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem meum servaverunt.* Certè testatur ibi Christus se super terram clarificasse patrem, à quo & ipse postulat, ut tanquam Dei filius cognoscatur; seu ut ad tempus propter exinanitionem occultata Majestas Divina toti mundo innotesceret; seu ut pro filio patris unigenito haberetur, qui esset unus cum eo ab æterno Deus, eâdem gloriâ apud eum ab æterno potitus.

Isaiæ cap. 7. v. 14. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuël*, seu *nobiscum Deus.* Qui quidem locus à S. Math. cap. 1. v. 23. laudatur, & Christo tribuitur, cum ejus nativitatis ex Virgine miraculum, nascentisque præstantiam commendat. *Hoc autem*, inquit, *totum factum est, ut impleretur, quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuël, quod est interpretatum, nobiscum Deus.* Christus ergò Deus vocatur, Deus scilicet nobiscum, ὁ Θεός. Hinc Matth. 28. v. 20. *Ecce*, inquit Christus, *ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.*

Jeremiæ 23. Messias qui promittitur v. 5. & 6. Jehova dicitur, & justitia nostra; & proindè verus Deus Israëlis: *Et suscitabo Davidi germen justum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet judicium & justitiam in terrâ. In diebus illis salvabitur Juda, & Israël habitabit confidenter: & hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster.* Sed Dominus ille, qui apud Jeremiam dicitur Justus, seu Jehova in Hebræo appellatur, Christus est, qui 1. Cor. 1. Justitia nostra dicitur.

Verùm hæc de Christo non exponenda, sed de Deo Patre innuunt Sociniani. Quo autem fundamento nitantur, ignotum est: juxta enim Hebræum ità verti debere constat. Et verò Christum vocabant Judæi filium Davidis, qui promittitur: nec certè his inanibus verbis, (*ut verisimile est, videtur ità posse intelligi*) & similibus nonnisi leves conjecturas innuentibus, tam aperta testimonia eludi possunt. Leviori etiam fundamento urbi Hierosolymitanæ hæc adscribunt; imò ab hoc sensu à ratione penitùs abhorrenti abducerentur, si vel attenderent ad vocem eximiam, *Jehova*, quæ nonnisi Deo, & Messiæ à peccatis Israëlem liberaturo tribuitur.

Zachariæ cap. 2. missus & mittens dicitur Deus, Dominus exercituum, seu verus & unus Deus. ℣. 8. *Quia hæc dicit Dominus exercituum: post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliaverunt vos.* ℣. 9. *Et cognoscetis quia Dominus exercituum misit me.* Attamen contendunt Sociniani illum qui mittitur non esse Deum, sed Angelum; quia verba hæc ab Angelo prolata sunt, qui cum altero Angelo, & Zachariâ colloquebatur. Sed hæc expositio aliena prorsùs est: missus enim, & mittens sunt Dominus exercituum, ut patet ex verborum serie; nam ℣. 3. & 4. Angelus qui alloquitur Angelum, & Zachariam, nihil aliud profert, quàm mittendum esse Servatorem Dominum exercituum, seu verum Deum à Domino exercituum, seu ab eodem vero & unico Deo. Item Zachariæ c. 11. v. 13. *Et dixit Dominus ad me; Projice illud statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis* &c. Ironicè dicit Dominus se, ut vilissimum mancipium decoro pretio fuisse appretiatum, seu non pluris quàm triginta argenteis æstimatum fuisse; quo quidem pretio ancilla, aut servus à bove cornupetâ occisus Exod. 21. v. 32. æstimabatur. Hic verò Zachar. locus citatur à S. Math. cap. 2. v. 9. quasi ex Jeremiâ, & tribuitur Christo 30. argenteis venundato. Et proindè Christus, Deus ille idem est, & Dominus, de quo Zacharias. Et cap. 12. v. 10. ità Dominus loquitur: *Effundam super domum David, & super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ, & precum; & aspicient ad me, quem confixerunt.* Quem locum S. Joan. cap. 19. v. 37. & Apoc. cap. 1. v. 7. de Christo exponit. Sic ergò Christus est ille Dominus, quem transfixerunt & viderunt Judæi; nec alius præter illum unum Deum occurrit. Nec potest locus ille asseri de Apostolis cruci affigendis; cum nec verbum de illis sit; sicut etiam non dicitur Deus Heb. 11. lapidatus, dissectus, gladio occisus; etsi de discipulis istud asseratur.

Malachiæ 3. v. 1. mittere dicitur Angelum suum Deus Israëlis, qui viam suam præparet. *Ecce ego mitto Angelum meum, & preparabit viam ante faciem meam.* Quâ ratione paraturus sit Angelus, prænuntiat Isaias cap. 40. v. 3. *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* Hæc vox clamantis in deserto fuit Joannes Baptista, qui viam paraturus erat Christo, Math. 3. v. 3. & cap. 11. v. 10. Marci 1. v. 3. Luc. 7. v. 27. Ergò Dominus Deus est, quem Joannes Baptista prænuntiat, & monstrat; non tantùm ad pœnitentiam cohortando, quod & Christus exequebatur; sed excitando, ut in Christum ipsum, qui veniebat, post ipsum crederent.

Addi possunt hæc verba Psalm. 44. v. 9. *Sedes tua Deus in seculum seculi.* Nec enim de Salomone sunt intelligenda, ut ineptè cavillantur nonnulli: siquidem ea Christo tribuit Apost. Heb. 1. v. 8. An enim fuit aliquis aut Angelorum, aut hominum dictus Deus Salomon? Numquid non nefas est divinum cultum rebus creatis deferre, & Patri æterno homines æquare? Christum autem ità Deum esse testatur David; exponente S. Paulo, ut ab Angelis sit adorandus, omnium sit judex, & patri æqualis. v. 2. *Per quem fecit & secula: qui cum sit splendor glo-*

riæ, & figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ; purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram Majestatis in excelsis: tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquandò Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursùm: Ego ero illi in Patrem, & ipse mihi erit in Filium. Et cum iterùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Ad Filium autem: Thronus tuus in seculum seculi, virga æquitatis, virga regni tui. Et sanè ipsi Christo, non homini, nec Angelo, Dei nomen in singulari numero novum Testamentum tribuit; quia solus cum Patre, & Spiritu Sancto Christus verè Deus est.

S. Joannes Evang. totus est in divinitate Christi tradendâ, ut observarunt Sancti Patres adversùs Cerinthum, Ebionitas, & alios trium priorum seculorum hæreticos. Dei nomen illi tribuit, ut & æternitatem, & alia divinitatis attributa essentialia: Nam. 1. v. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum.* v. 4. *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Verbum igitur erat apud Deum ab æterno, Vita, Lux. Interim nihil indè concludi asserunt Sociniani, quòd Verbum dicatur Deus; quia, inquiunt, hominis sermo non est homo; & proindè sermo Dei non est Deus. Addunt etiam vocem, *Deus*, ibi tribui Patri cum articulo, non Verbo. Verùm an potuit Filius Dei clariori sermone Deus dici? An potuerunt etiam divinitatis perfectiones clariùs exprimi? sermo quidem hominis homo non est; sed Filius divinus ita sermo Dei Patris est, ut etiam ab Evangelistâ Deus dicatur.

Porrò licet vox *Deus* cum articulo posita tribuatur Patri, non autem Verbo; non indè inferri potest alium esse Deum Patrem, alium Filium. Nam vox *Deus* aliquandò Patri sine articulo tribuitur eodem in capite, ubi verum Deum significat; aliquandò etiam in aliis scripturæ locis ipsi Filio tribuitur cum articulo, ut Joan. 20. v. 28. & alibi.

Ne verò dubitationi superesse locus posset; non modò Christum esse Deum æternum, & lucem æternam S. Joannes docet, sed & Deum verum: nam 1. Joan. 5. v. 20. *Et scimus quoniam filius Dei venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, & vita æterna. Filioli custodite vos à simulachris, amen.* Christus igitur verus est Deus, & vita æterna. Cum autem S. Joannes Filium verum esse Deum scribit, monet ne in simulachra deficiamus, seu pro Diis Idola veneremur: *Filioli*, inquit, *custodite vos à simulachris.*

Pronomen autem *hic* referri ad Filium negant Sociniani; quia, ut habent, Pater æternus, solus est ille Deus: Etsi enim, inquiunt, Christus sit Deus verus, non est tamen ex se unus Deus, qui per se & perfectissimâ ratione sit Deus. Verùm hîc agitur de vero Deo, ut subindicat

articulus

articulus in Græco redditus; nec adversatur pronomen *hic* quo videtur indicari vox Christus proximè antecedens: ad id enim de quo potissimùm sermo est, referri sæpiùs solet articulus, ut Actor. 7. v. 19. & Act. 10. v. 6. Cæterùm nullis argumentis probant Sociniani solum Patrem esse verum illum Deum: sicut enim non potest esse homo absque essentiâ humanâ; ità nec verus Deus, absque divinâ. Addo pronomen *hic* demonstrare proximè nominatum, de quo per se, & non per accidens, aut obiter agitur: at hîc de Christo per se agitur, non verò per accidens, vel obiter; uti constat ex solâ capitis lectione. Præterea Filius dicitur vita æterna in Ep. eâdem Joannis, ut c. 1. v. 2. c. 5. v. 11. & 12. & alibi: & verò cur S. Joannes docere voluisset Patrem esse verum Deum, & vitam æternam? cùm de eo nunquam dubitatum fuerit.

2. Alterum argumenti genus petitum ex Attributis, quæ naturam divinam constituunt, sic exponitur. Dei Filius est Patri coæternus; ergo Deus; utpotè genitus ab æterno ex Patris substantia. Is enim est qui dicitur in Scripturis æternus, & æternitatis Pater: qui erat in principio, & in Patre & omnium rerum Creator est, & principium, & finis: qui erat antequam homo fieret: qui claritatem paternam & divinam habebat, priusquam humanam indueret naturam: qui denique Propheticæ doctrinæ Author est.

1. Ab æterno Dei Filius est genitus, & ex Patris substantiâ, utpotè Filius naturalis, unigenitus, non adoptivus, ut ex articulo superiori, & isto jam constat. Ab æterno quidem genitus est: nam Psalm. 2. v. 7. *Ego hodie genui te.* Psalm. 109. v. 3. *Ex utero ante luciferum genui te: hodie, & ante luciferum*; quia tempus non est, in quo genitus sit; sed ab æterno & immutabiliter, & ante omnia.

Verba hæc Psalm. 2. v. 7. *Filius meus es tu; ego hodie genui te*: Æternitati Verbi non favere Sociniani asserunt; quia prætereraquamquod vox, *hodie*, tempus certum designat, addunt insuper juxta litteram dici de Davide, qui neque ab æterno, neque ex essentiâ Dei genitus est.

Verùm facilè confutantur; vox enim, *hodie*, Deum, qui materia subjecta est, respicit; seu illum qui genuit, seu eum qui genitus est: siquidem agitur de Christo, adversus quem fremuerunt gentes, v. 1. Qui constitutus est Rex super montem Sion, v. 6. Qui genitus est. v. 7. Qui omnes gentes in hæreditatem accepit, v. 8. & de quo v. 13. dicitur: *Beati omnes qui confidunt in eo.* At fiducia in solo Deo collocari potest; & proindè subjecta materia non fert, ut vox, *hodie*, tempus denotet, quia tempus in Deum non cadit, & *hodie* æternitatem optimè delineat: præteritum enim, & futurum, & quamlibet successionem removet. Et verò non fert materia, ut alius à Christo Domino intelligatur; divina quippè prorsùs sunt, quæ Davidi non possunt tribui. Undè falsò asserunt adversarii, quæ in Psalmis continentur, primo sensu Davidi convenire; hæc enim verba ab Apostolo, tùm ad resurrectionem, tùm ad glorificationem Christi referuntur, quia ex eodem Rom. 1. v. 4. declaratur Dei Filius per resurrectionem, quâ seipsum suscitavit.

2. Dei Filius, ut Sapientia æterna, ante mundi creationem extitit: Nam Prov. 8. v. 22. *Dominus poßedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondùm erant abyssi, & ego jam concepta eram, &c.* Illa autem Sapientia Christus est. Quod enim sibi tribuit sapientia, dum seipsam describit c. 1. c. 8. & 9. soli sapientiæ divinæ, seu Christo convenit; non verò sapientiæ in genere & in abstracto, nec per prosopopœïam, ut reponunt Sociniani: non enim induceretur hæc virtus tot capitibus de seipsâ sermonem habens; & quidem statim, seu in ipso sermonis exordio, & sine præfatione; nec actio, aut clamor loquens repræsentaretur, ut narrationi major fides conciliaretur. Prætereà figuræ locus non est, ubi, quæ efferuntur, vera sunt. Deniquè si sapientia in genere describeretur, omni sapientiæ conveniret quod ibi describitur: hoc autem est omninò falsum. Ergò de solâ eximiâ, & divinâ sapientiâ sermonem esse constat: neque enim sapientia humana, aut Angelica ante homines, vel Angelos extitit. Sic tamen loquitur sapientia, ut palàm fiat eam ab æterno extitisse: *Dominus possedit me*, inquit, *in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* His enim verbis æterna sapientiæ generatio non obscurè innuitur; scilicet verbum *possedit*, idem sonat ac *genuit*: hinc generatio Caïni Gen. 4. v. 1. iis verbis exprimitur, *possedi hominem per Deum*, inquit Eva: En ergò sapientia Filius Dei.

3. Messias, seu qui promittitur, Isai. 9. nuncupatur Deus fortis, & æternus, & pater æternitatis, licet puer. v. 6. *Parvulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis; & factus est principatus super humerum ejus: & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus Fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis.* Per Patrem futuri seculi, aut æternitatis, non est intelligendus Pater æternus, ut cavillantur Sociniani; nec etiam agitur de futuro seculo, cujus author & Princeps sit Christus: quia qui Pater æternitatis, aut futuri seculi dicitur, dicitur & parvulus natus; *Parvulus enim natus est nobis, &c. & filius datus est nobis*: Pater autem natus non est, sed filius. Nec Christus ibi exprimitur ut Pater futuri tantùm seculi, juxta vulgatam: vox enim Hebræa עד significat seculum simpliciter, vel æternitatem; & sic Christus dicitur pater seculi aut æternitatis; quia Pater est vitæ æternæ; & proindè pro vero & summo Deo erit habendus.

4. Mich. c. 5. v. 2. *Et tu Bethleem Ephrata Parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël, & egreßus ejus ab initio, à diebus æternitatis.* Sic Christus longè antequam Beata Virgo pareret, fuit; utporè cujus egressus fuit ab initio, à diebus æternitatis, & qui egressurus erat ex Bethleem, & Israeli dominaturus, natus est Bethleem. Quæ quidem verba de Christo à S. Matthæo c. 2. v. 6. exponuntur, ubi æternitas Verbi apertè designatur, & describitur ejus nativitatis temporariæ locus.

Ludunt Sociniani, cum verba illa ad æternitatem non pertinere scri-

bunt; quia, inquiunt, mentio est, tùm initii, tùm & dierum; quæ in æternitate non occurrunt: undè volunt significari tantùm ab annis antiquis, nempè à Davide stirpis authore, Christum originem esse ducturum. Nam ad æternitatem tradendam, quid illis verbis expressius potest proferri? his quidem verbis *ab initio, & à diebus æternitatis*, utitur Michæas; sed id facit ut æternitatem ad nostrum captum delineet. Et certè si Michæas de Davide tantùm authore stirpis voluisset sermonem habere, repetiisset potiùs originem Christi ab Abrahamo, juxta Matth. 1. v. 1. Undè igitur Sociniani habent hæc verba significare Prosapiæ antiquitatem?

5. Christus, seu Verbum, in principio, seu ab æterno fuit, & antequam mundus crearetur; cum ipse sit creator. Joan. 1. v. 1. *In principio erat Verbum.* v. 3. *Omnia per ipsum facta sunt.* Hic de orbis principio sermo est, non de Evangelicæ prædicationis initio, ut volunt Sociniani inauditâ sacrilegâ temeritate; quasi nihil aliud significaretur præter quàm Christum extitisse, cum Joannes docere incepit.

Etenim si eam doctrinam intendisset S. Joannes, an obscuritatibus rem quam apertè potuisset tradere, implicuisset? Longè quippè removet Sanct. Joannes hanc detortam nimis expositionem: Verbum enim describit in primis versiculis, ut Deum, ut apud Patrem, ut creatorem; deindè ejus incarnationem explicat. Vox illa, *Verbum*, nomen proprium est personæ, quam repræsentat; solusque Joannes Evangelista hoc utitur nomine, priusquam de Joanne prænuntio, & de Verbo ipso incarnato disserat: Verbo autem, quod Joannes describit, & nomen, & nominis descriptio Gen. 1. convenit; & proindè idem est Deus. Verbum exhibet Joannes, ut Deum & creatorem, ut qui Deus in mundo fuerit, venerit ad suos, nec fuerit cognitus, fuerit lux, vita, longè perfectior Joanne Baptistâ, qui fuerat quidem missus, ut testimonium perhiberet de lumine; sed non erat lux. *In principio*, inquit, *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum.* His verbis nihil apertius ad æternitatem, & divinitatem Verbi exponendam. Præthereà ineptum prorsùs est & absurdum, quod inferunt Sociniani, nempè Joannem non potuisse scribere de æternitate Christi, quia scribendum aggrediebatur Evangelium; quasi verò Matthæus ab Abrahamo, Marcus à Malachiâ, Lucas à Zachariâ ordiri non potuerint? In Evangelio enim, & quæ præcesserunt, & quæ tunc temporis contingunt, referuntur: Joannes autem ab æternitate & creatione mundi suum repetit Evangelium, ut hæreticos refelleret, qui Christum pro mero homine habebant, uti referunt S. Iren. adversus hæres. S. Epiph. hær. 27. S. Aug. & alii.

Voces illas, *erat apud Deum*, exponunt iidem Sociniani, quasi sensus sit Christum à Patre cognitum fuisse ab æterno. Sed expositio hæc penitùs est aliena; nullibi enim ita usurpatur. Esse apud Patrem denotat ejusdem esse cum Patre substantiæ, vel essentiæ; non verò cognitionem: licet enim Deus omnes res creatas noverit; apud illum tamen esse non dicuntur; Deo quippe cogniti sunt Diabolus, Antichristus,

& Impii; an propterea apud Deum esse ab æterno dicentur? Et cur phrasi obviâ usus non esset Joannes, cum repetiisset, *erat apud Deum*: erat quoque tunc temporis Deo cognitus Joannes Baptista, qui vir erat admirandæ pietatis; nec tamen de eo dicitur, *erat apud Deum*, *& Deus erat*; imò negatur: *non erat ille lux*: Verbum autem erat apud Deum, & Deus erat ab æterno, & antequam caro fieret. Undè repetit, *erat*, &, *in principio*, non verò ait, *factus est Deus*, sicut v. 14. *Verbum caro factum est.* Et certè si doctrinam Socinianorum, voluisset tradere Joannes, ut illi arbitrantur; exhibuisset hominem primò, deindè factum Deum; & quâ ratione tantam dignitatem consecutus fuisset, procul dubio explicuisset. Quàm autem alienus sit ab hac Doctrinâ, vel indè planum fit, quod aliquandò factum fuisse Deum nunquàm tradat: factum verò fuisse carnem, & longè antequam caro fieret, extitisse, & antequam Joannes nasceretur, scribat. Verbum igitur verus ab æterno Deus est, & unus cum Patre Deus.

Contestantur adhuc illa verba, *Verbum caro factum est*, nihil aliud significare, quàm quod caro fuit sermo; seu qui homo erat, legatus fuit Dei: & eam ob causam, inquiunt, Christus dictus, est sermo. At nihil manifestius illis verbis, *Verbum caro factum est*: cur itaque vertunt, *homo fuit*, non *factus fuit*? Cum Joannes de divinâ Christi naturâ loquitur, verbum *erat* semper usurpat; vocibus autem illis *caro factum est* significat Verbum reverâ carnem induisse, quam non habebat: nec aliter vocabulum *fieri*, usurpat, quando illud ad res creatas refert, nisi ad illarum originem significandam. Verbum quod initio, *seu ab æterno erat apud Deum*, caro non erat. Ergò post illud tempus factum est caro. Ità de Verbo facto homine usurpatur, Rom. 1. v. 3. Galat. 4. v. 4. Si autem sensus Socinianus valeret, verba ità intelligi oporteret, *homo erat homo.*

6. Apoc. cap. 1. v. 8. *Ego sum Alpha & Omega*, inquit Christus, *Principium & Finis, dicit Dominus Deus, qui est, qui erat, & qui venturus est, omnipotens.* v. 17. *Primus & novissimus.* Cum igitur iisdem verbis suam Christus æternitatem exprimat, quibus expressit Deus Isaiæ cap. 41. v. 4. 44. v. 6. & 48. v. 12. ubi se primum & novissimum se vocat Deus Israëlis; certè Christus quoque verus est Deus, & æternus.

Hic agi de Christo, negant Sociniani: sed perperàm; cum in versibus antecedentibus de eodem Christo agatur, qui c. 22. v. 13. iterùm de se ait: *Ego sum alpha & omega, principium & finis*: Quamobrem de Filio agi extra dubium est; præsertim cum c. 2. v. 8. hæc habeantur: *Hæc dicit primus & novissimus, qui fuit mortuus, & vivit.* Equidem lib. 1. v. 4. de Patre dicitur: *Pax ab eo qui est, qui erat, & qui venturus est, &c. Et à Jesu Christo qui est testis fidelis.* Sed non minùs ea Filio conveniunt, de quo Hebr. 13. v. 8. dicitur *Jesus Christus heri, & hodie: ipse & in secula.*

Respondent adhuc Sociniani Verbum, *venturus est*, posse significare, *futurus est*; tùm quod ità usurpetur alibi; tùm quod Joannes dixerit in

eodem capite, *qui est, qui erat, & quiventurus est*; quod idem significat, ac *futurus est*.

Sed hîc reponitur veram Christi æternitatem describi; quia rerum omnium dicitur principium & finis; sicque omnia tempora complectitur, & ultrà. Et verò quibus terminis magis perspicuis posset describi æternitas? Ille sanè de quo loquitur Jo. Apocal. cap. 1. alius à Christo non potest intelligi, tùm quod iterum venturus sit, nempè in nubibus v. 7. & videndus sit ab omnibus, & ab eis qui eum pupugerunt. Igitur hæc necessariò sunt intelligenda de Christo; cujus divinitas apertè describitur, cum dicitur, *qui est, & qui erat, & qui venturus est, omnipotens*. Licet vox ἐρχόμενος, quandoque futurum significet, hîc tamen nonnisi venturum significat, cum v. 7. sensûs restituatur, & adventus Christi in nubibus describatur. Sic igitur ex connexione utriusque versus de eodem subjecto agi manifestum est; & Christus dicitur æternus, & omnipotens; & eadem æternitas, quæ Patri v. 4. & 5. tribuitur, Filio quoque vindicatur, v. 8. In iisdem etiam versibus 4. & 5. eodem cultu divino afficitur Filius, cum Patre: æquè enim gratiam ac pacem Joannes precatur Ecclesiis à Jesu Christo, ac à Patre, & à septem quidem spiritibus, seu à Spiritu Sancto, qui hîc per dona definito pro indefinito numero describitur.

7. Filius Dei erat antequam caro fieret, ex Joan. 6. v. 62. *Hoc vos scandalizat?* inquit Christus: *Si ergò videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius.* At locus ubi erat priùs, cœlum est, in quo Pater est, & ipse Filius tanquam in suo naturali loco fuerat: hinc se homine longè majorem esse subindicat Christus, & pro homine non esse habendum, sed pro Deo, cujus locus cœlum esset. Quam Christi mentem rectè ceperunt Judæi, qui propterea scandalum passi, adversus Christum pravè insurgentes, ipsum hominem tantummodò propugnarunt; ut cujus patrem & matrem nossent; v. 42. *Cujus nos novimus patrem & matrem, quomodò ergò dicit hic: quia & de cœlo descendi?* Sed nisi mentem Christi probè intellexissent, è benignitate illius fuisset eos ab errore avocare: tantum autem abfuit, ut illos à mente jam conceptâ revocaret; ut imò suam divinitatem toto capite confirmet. Deum enim Patrem suum appellat quater, v. 44. 45. 46. inculcans quod jam dixerat, v. 40. nimirum se esse Filium Dei. Vim quoque vivificandi sibi tribuit, & omnipotentiam planè divinam: v. 47. *Amen, amen dico vobis, qui credit in me habet vitam æternam:* Item v. 44. *Ego resuscitabo eum in novissimo die.* Porrò non dicit, *qui credit in Patrem*, sed *qui credit in me*: nec ait, *Deus Pater resuscitabit*; sed *ego ressuscitabo eum.* Potuisset-ne Christus de se magnificentiùs loqui; aut sibi vim tribuere majorem? Non eas sibi sumit partes hoc loco, ut homines trahat ad Patrem; sed ut ostendat homines ad Filium venire non posse nisi traxerit illos Pater, & veniendum esse ad Filium, tanquam ad vitæ æternæ fontem, doceat. Multi ex Discipulis astantibus scandalizati dicebant, versu 61. *Durus est hic sermo*: & v. 65. esse quosdam asserit

Christus, qui non crederent: Et addit v. 66. *Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.* Cum autem multi ex discipulis recessissent, & dixisset Christus ad duodecim, v. 68. *Numquid & vos vultis abire? Respondit ergò ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* v. 70. *Et nos credidimus, & nos cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei.* Quam responsionem probatam habet Christus. Ergò Deus erat antequam descenderet de cœlo, ut carnem assumeret: & proindè licet caro factus fuerit in tempore; ab æterno nihilominùs existebat, quà Deus.

Sociniani, discipulorum illorum instar; qui ut duriora verba illa ferre non poterant, à Christo recedunt, variisque & penitùs contortis expositionibus verba illa emollire conantur. Reponunt enim fuisse, & descendisse Christum de cœlo; non quòd, ut verbum, antequam homo fieret, extiterit; sed quia homo natus, in cœlum fuit translatus, instar S. Pauli; & exindè cum descendisset, mortales, quæ à Deo fuerant injuncta, edocuit; aut quia ibi fuerat cogitatione versatus.

Verùm quælibet Socinianorum opiniones morari nos non debent; sed lectoribus omne de illis judicium relinquimus. Nihil enim est quod non referant Scripturæ, si figmenta sua illis affingere cuique sit liberum, ut v. c. hæc, *in principio, &c.* de Evangelii initio exponere: *erat apud Patrem*, de cognitione Patris: *Deus erat*, de destinatione, quâ Christus constituendus erat Deus: *ascendentem ubi erat priùs*, de raptu & commoratione per mentem, &c. Fateor sanè me nihil quidquam, vel in priorum temporum hæreticis deprehendisse, quod sit tam insolens & inauditum, & quod insulsè adeò Verbi divini proculcet authoritatem. An homini pio, erudito, Catholicè sentienti, & in Scripturis versato hæc in mentem unquam venêre? An ne ità docuit Ecclesia? Nonne verba apertè reclamant? Nonne satius esset religionem Christianam apertè oppugnare? Sed nullos, aut paucos in errorem induxissent Sociniani, nisi se Verbi divini sectatores fuissent professi. Ii sunt infensissimi religionis Christianæ adversarii, ac nullum vel levissimum Christianæ pietatis sectantur monumentum. Philosophi sunt, unius Dei cultores (si tamen colant) instar Mahumetanorum, & Judæorum; minùs tamen religiosi; ut qui se Christianos mentiantur, ut Christianos faciliùs decipiant. Sed ad propositum redeamus. Aperta scilicet est, & obvia horum verborum Christi significatio, Joan. cap. 6. versu 66. *Si videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat priùs:* Relativa enim oppositio est inter tempus, quo Christus erat in cœlo, & quo loquebatur. Nec ascendentem mirati fuissent discipuli, si metaphorica tantùm fuisset assumptio: deindè fictitius & omninò intolerandus ille Christi in cœlum ante suam prædicationem raptus, nullo prorsùs fundamento nititur: nihil quippè in Evangelio ejusmodi miraculum subindicat; nec esset cur Joan. 3. v. 13. ità haberetur: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo.* Nam si Christus localiter ascendisset in cœlum, antequam descendisset, frustrà proferret: *Nemo ascendit in cœlum, nisi*

qui descendit de cœlo. Quandò enim descendisset, ut ascenderet? cum priùs ascendisset, quàm descendisset. Præterea dicendus fuisset Christus iterùm ascendere, non simpliciter ascendere.

Adversus detortam adeò Socinianorum doctrinam reclamat Apostolus: nam Ephes. 4. v. 9. rem confessam ipse loquitur, scilicet non potuisse Christum ascendere, nisi priùs descendisset: *Quod autem ascendit*, inquit, *quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ?* Heb. c. 9. v. 12. unicum Christi in cœlum ascensum prædicat: *Introivit semel in sancta.* Nullibi autem dicit Christus è cœlo se rediisse, vel raptum fuisse; sed venisse, descendisse de cœlo, & priùs Verbum fuisse apud Patrem, quàm esset in carne, seu in mundo. Joan. 16. v. 28. *Exivi à Patre, & veni in mundum, & vado ad Patrem.* Figuratis expositionibus detorqueri non possunt tam aperta verba. Personæ quidem humanæ dici possunt esse à Deo, sed exire à Deo nullibi dicuntur, nec venisse in mundum.

Verbum Deum extitisse, antequam carnem indueret, iterùm uberrimè tradit Apost. Philip. 2. v. 6. ubi scribit Christum priùs in formâ Dei fuisse, quàm in formâ servi, & seipsum exinanivisse, acceptâ servi formâ: *Qui cum in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens* &c. Si naturalis hæc forma fuisset Christo, eam accipiendo non seipsum exinanivisset, nec eam accepisset, nisi Deus fuisset; nec seipsum æqualem Deo existimasset. Sic ergò Deus, & homo fuit; sed priùs in formâ Dei, servi posteà formam accepit, *in similitudinem hominum factus.* Et sic anteà nec servus erat, nec hominibus similis. Illam Christi demissionem fusiùs exponens Apostolus: *Hàbitu*, inquit, *inventus ut homo..... Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Ità igitur formam servi induit, ut Dei formam non deposuerit; tùm quia deponi non potest; tùm quia se ut Deum semper gessit, & æqualem Patri, & omnia se testatur habere quæ pater. Quibus nihil apertius proferri potest, si Apostoli verbis inhæreamus.

Tricantur Sociniani, dum verba hæc, *qui non rapinam arbitratus* &c. de divino munere, quod in tempore Christus esset consecutus, intelligunt, ut rapinæ seu furti suspicionem removeret. Nam Christus per generationem non temporalem, sed æternam, habet à patre naturam divinam communicatam. Joan. 5. v. 26. *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso; sic dedit & filio habere vitam in semetipso.* Pater habet essentialiter, ut ità loquamur, vitam in seipso, habet & Filius; ideò Christus majestatem Deo æqualem, & divinos honores sibi delatos habuit, & voluntariè servi formam accepit. Qui enim Deus, & idem cum Patre Deus erat, non poterat nisi proprio nutu homo fieri.

Addunt Sociniani formâ Dei non designari Dei naturam; quia hæc exinaniri non potest; nec humanam naturam formâ servi, quæ solam hominis, qui & liber & servus esse potest, conditionem referat; maximè cum exteriorem tantùm speciem significet vox *forma.* Sed non nove-

runt Sociniani *in formâ Dei esse*, idem significare, ac in essentiâ Dei. An in formâ accidentali cogitari potest Deus? Igitur in solâ formâ essentiali subsistit; nec dicitur Verbum assumere formam Dei, sed existere in formâ Dei. Exinanita quidem non est absolutè natura divina, seu quoad gloriam essentialem, quæ deponi non potest; sed quoad accidentalem, abjecti hominis superinductâ formâ. Undè naturæ divinæ dignitas delituit, & ita fuit obscurata, ut pro blasphemo habitus fuerit Christus, cum se Dei filium, & Deo æqualem professus est. Forma verò servi naturam humanam significat; non tantùm conditionem, quâ homo esse non potuit, quin Dei servus esset.

His verbis ejusdem cap. epist. ad Philip. v. 7. *Et habitu inventus ut homo*: contendunt Sociniani Christum, qui opera Dei exequebatur, tunc tantùm factum esse tanquam servum, cum fuit occisus; nec significari Verbum incarnatum fuisse. Sed quis, nisi Socinianus, seu Verbi divini hostis infensus, hæc effutiret? Verbi incarnationem 1. Timot. 3. v. 16. Apostolus ità describit: *Et manifestè magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne*, juxta vulgatam: *Vel quod Deus manifestatus est in carne*, juxta omnes codices græcos. Ubique prædicatum & creditum hoc mysterium docet ibidem Apostolus.

Hæc Apostoli verba referri ad patrem oportere autumant Sociniani, cum dici possit Deus pater apparuisse in Christo, & Angelis.

Verùm quàm ista præter rationem sint, in aperto est. Pater enim caro non est factus, nec venit in carnem, nec particeps factus est carnis; sed solus Filius, Joan. 1. v. 14. 1. Joan. 4. v. 2, & 3. Incarnatio hoc magnum est pietatis mysterium, ex Apost. Non esset autem, si sensu Sociniano explicaretur.

Aliam expositionem non minùs à veritate alienam proponunt Sociniani, nempè divinam homines salvandi voluntatem fieri manifestam per carnis infirmitatem. Sed quomodò hæc Christi verba Luc. 24. v. 26. relata, de solâ Dei voluntate dicerentur? *Oportuit pati Christum, & ità intrare in gloriam suam.* Quomodò etiam ista Pauli Hebr. 10. v. 5. de ipsâ Dei voluntate intelligerentur? *Ideò ingrediens mundum dicit: hostiam & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt; tunc dixi: ecce venio.* An de solâ Dei voluntate diceretur? *Ecce venio.* Quis ità sentiret? si sit piæ & sanæ mentis. An non enim apertè persona inducitur ingrediens mundum, & mortem passa exprimitur, ut homines mortis illius beneficio consequerentur salutem?

Ista quoque verba detorqueri posse censent Sociniani, si de Christi Ascensione exponantur. Sed ubinam in cœlos Ascensio dicitur ingressus in mundum? Certè loquitur Apostolus de Verbo homine futuro, ut Hebr. 1. v. 1. 2. & 4. Et hîc docet Deum abjecisse hostias antiquas, quibus peccatum non auferretur: ideò corpus Verbo fuisse aptatum, & per oblationem corporis ejus fuisse nos sanctificatos.

Quod si Verbo Deo fidem haberent Sociniani, qui tam detortis & inauditis

inauditis expoſitionibus Scripturas conantur evertere, præſertim in præcipuo Fidei Chriſtianæ myſterio, deprehenderent, an ad Chriſtum, an ad Antichriſti partes pertinerent. Qui enim Incarnationis myſterium evacuat, procul dubio Antichriſti eſt: qui vero illud profitetur, Chriſti ſervis eſt accenſendus, 1. Joan. 4. ℣. 2 & 3. *Omnis ſpiritus, qui confitetur Jeſum-Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt; & omnis ſpiritus, qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus.* In vulgatâ quidem habetur, *in carne*: ſed perindè eſt, ſeu Verbum dicatur in carne extitiſſe, ſeu in carnem veniſſe. Porrò qui venit, diſtinguitur à carne, in quam venit.

Ad hæc impiè reponunt Sociniani, eum ſcilicet eſſe ex Deo, qui confitetur Jeſum in ignominiâ occubuiſſe, quod eſt in carne veniſſe. Sed an vox carnis ſolam abjectionem, & calamitatem deſignat? An non enim hominem exprimit, qui iis calamitatibus ſit ſubjectus? Ex Deo non fuerunt quamplurimi palàm fateri non dubitantes, in magno contemptu & calamitate fuiſſe Chriſtum. Et ſanè nonniſi tricesimo ætatis anno in carne cœpiſſet eſſe, ſi tunc ſolùm in carne fuit, cum in calamitatibus fuit conſpectus.

Joan. 1. ℣. 4. *Verbum caro factum eſt.* Ergò erat antequàm caro fieret. Et verò priuſquàm de carne ſumptâ Joannes loquatur, primò quid ſit Verbum, & quid antea præſtaret, tredecim verſibus exponit: Verbo autem ſecundum ſe ità conſiderato, tranſit ad idem Verbum relativè ad carnem, quam aſſumpſit, & ait illud carnem factum. An clariùs rem potuiſſet exhibere? Certè nomen, *Deus*, divinam naturam tàm apertè exprimit, quàm carnem humanam vox, *Caro*.

Prætereà Joanne Baptiſtâ prior fuit Chriſtus: ergò & ipſo antiquior. Joan. 1. ℣. 15. Joannes teſtimonium perhibet de ipſo, & clamat dicens: *Hic erat, quem dixi: qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt: quia prior me erat. Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratiâ.*

Non eſt autem Chriſtus ſolâ dignitate prior, ut volunt Sociniani, ſed tempore: *Ante me factus eſt*, inquit Joan. *quia prior me erat*, ut Deus nempè; ut homo verò, erat poſterior. Suam etiam qualemcumque excellentiam Chriſto ut plenitudini acceptam refert Joannes, & ait gratiam & veritatem per Chriſtum eſſe factam. Natus quidem eſt poſt Joannem Chriſtus ſex menſibus; poſt ipſum quoque docuit: & tamen Joannes à Chriſto omne donum accepiſſe ſe teſtatur: *De plenitudine ejus*, inquit, *nos omnes accepimus.* Ergò Chriſtus quà Deus Joanne fuit anterior; & ſic æternus eſt.

Joan. 8. ℣. 58. æternitatem ſuam ſic exponit Chriſtus: *Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, Ego ſum.* Ità intellexerunt Judæi, cum Chriſtus ipſis dixiſſet: *Abraham pater veſter exultavit, ut videret diem meum: vidit, & gaviſus eſt.* Sic enim repoſuerunt: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti?* Eorum interpretationem probatam habet Chriſtus, & aſſerit ſe non modò tunc extitiſſe; ſed &

anteà : *Amen, amen dico vobis*, inquit, *antequam Abraham fieret, Ego sum.* Sicque Christus se Deum verum designat.

Cavillationibus à Socinianis adhiberi solitis, eludi Christi verba non possunt quidquid ipsi moliantur; cum aliter nec responderet Christus interrogationi Judæorum; nec eorum objectioni faceret satis: de præcipuo scilicet religionis capite agebatur; quis esset Christus? utrum ante Abrahamum, an post? A bonitate verò Christi alienum prorsùs esset populis, quos instituendos suscipiebat, illudere; & aliò detorquere sermonem; nec eorum menti respondere. Tam apertâ explicatione in furorem acti Judæi, lapidibus Christum obruere voluerunt. Undè Christus scandali moti author ipse fuisset, si veritate occultatâ, & verbis alio fine prolatis, in errorem eos impulisset: quod sibi in mentem inducere non possunt, nisi qui volunt decipi & decipere; præsertim cum emphasim & asseverationem adjungat Christus; *Amen, amen* &c. Obvia est interrogatio, & objectio: obvium quoque & apertum responsum.

Aliud argumenti genus sic exponitur. Antequam Verbum caro fieret, paternæ claritatis erat particeps: nam Joan. 17. ℣. 4. *Ego te clarificavi super terram: opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam: & nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui, priusquàm mundus esset apud te.* Gloriam ibi postulat Christus, quam in Deo, & apud Deum habuerat ab æterno, seu ante orbis creationem: igitur fuit ab æterno. Quis enim deprehenderet Christum habere potuisse gloriam, antequàm mundus esset, quin eam ab æterno habuerit? Christus eò loci gloriam à Patre postulat, ut calamitosam istam vitam finiat, & pro Deo, & Filio Dei unigenito agnoscatur. Post mortem quippè Christus futurus erat apud Patrem, ut ab æterno fuerat; & tùm obitûs die, tùm datis Spiritûs sancti donis, ubique pro Deo, & Filio Dei prædicandus & habendus. Undè cap. 16. ℣. 14. ait de Spiritu sancto: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Item Joan. cap. 1. ℣. 14. *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Et verò Christus exinaniverat seipsum; & ideò illa gloria occultabatur: ut ergò agnosceretur ipse postulat cap. 17. ℣. 4. *Ego*, inquit Patrem alloquens, *te clarificavi super terram . . . . . Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo.* Christus igitur gloriam, quam Patri suo contulerat, manifestando nomen ejus, postulat & exposcit, ℣. 4. & 5. & de se dicit ℣. 10. clarificatum esse in eis, quos dedit illi Pater, seu ab eis adoratum, ut qui parem cum Deo Patre majestatem haberet. Undè scribit S. Hilarius lib. 3. de Trin. clarificationem postulatam, & vicissim redditam ostendere eandem in utroque divinitatis virtutem, & unitatem.

Addit carnis clarificationem postulari à Filio, ut fieret æternæ gloriæ in carne suâ particeps: quam quidem gloriam consecutus est, cum resurrexit, ad cœlos ascendit, & ad Patris dexteram sedit.

Reponunt Sociniani verba hæc: *Claritate, quam habui priusquàm*

mundus esset, exponenda esse de Dei decreto, & prædestinatione. Verùm haud dubiè Christus non usus fuisset verbo, *habui*, quod possessionem veram significat; sed verbo aut *promisisti, aut destinasti mihi.* Et certè si valeat hæc explicatio, nihil est, quod in alienum sensum, & improprium detorqueri non possit. At unquam, rogo, electi dicti sunt habuisse gloriam apud Patrem; licet gloria ex Dei prædestinantis decreto ipsis promissa sit ac destinata? Undè quidem 2. Timoth. cap. 1. ℣. 9. dicitur illis gratia data ante tempora secularia; verùm paulò anteà, quomodò eis data fuerit, exponit Apostolus, scilicet juxta propositum, seu quia ità Deus constituerat ab æterno. At nec gratiam illi, nec gloriam ab æterno apud Patrem habuisse dicuntur: *Qui nos liberavit*, inquit ibi Apostolus, *& vocavit vocatione suâ sanctâ; non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo-Jesu ante tempora secularia.*

Immensitas, & omnipotentia; quæ sunt essentiæ divinæ attributa, Filio Dei competere probantur.

In primis Christus immensitatem habet: nam Psalm. 23. ℣. 1. *Domini est terra, & plenitudo ejus.* Christus autem est ille Dominus, 1. Corinth. 10. nomine enim Domini ibi Christum Apostolus intelligit. Deindè Christus omnipotens est; quia rerum omnium creator est & conservator, Joan. 1. ℣. 3. & Coloss. 1. ℣. 26. ubi sic habetur: *Quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis & in terrâ, visibilia, & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates; omnia per ipsum, & in ipso creata sunt: & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.* Idem Psalm. 101. ℣. 26. *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli: ipsi peribunt, tu autem permanes.* Hebr. quoque 1. ℣. 2. *Per quem fecit & secula.*

Verum locorum illorum, licet apertissimorum, vim infringere conantur Sociniani, & ad opera Apostolorum authoritate Christi edita, aut ad futuri seculi renovationem referunt: quæ autem per Apostolos facta sunt, Christi authoritate facta fuisse probant, ex Joan. 15. ℣. 5. *Sine me nihil potestis facere.* Addunt verba hæc, *Mundus per ipsum factus est*, sic esse interpretanda, id est, *mundus futurus*; & sic de renovato mundo intelligenda esse, quæ Joan. 1. Coloss. & Hebr. 1. habentur. Sed ad libitum illos divinitatis perduelles detorquere Scripturas, & quidem summâ cum impietate, quis non advertat? Quæstionibus enim, quæ de Verbo moveri poterant, respondet Evangelista: undè si ab ipso quæras, quandò erat Verbum? statim audies: *in principio.* Ubi? *apud Deum Patrem.* Quid præstitit? *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Quibus nihil est apertius ad Verbi essentiam, & orbis creationem exprimendam.

Cæterùm mundum futurum non posse intelligi his verbis: *Et mun-*

dus per eum factus est, patet, quia nihil vel leviter inducit in hunc sensum. Certè ubi sermo est de mundo futuro, addit Scriptura, futurum, ut Heb. 2. v. 5. de creatione autem agebat Joannes; nec magis perspicuè potuit docere mundum, & omnia fuisse à Dei Filio creata.

Coloss. 1. v. 16. creationem, non renovationem exprimi apertum est. Non enim visibilia renovata sunt, nempè bruta &c. nec invisibilia, nempè Angeli, sive Throni &c.

Hæc, quæ extant Hebr. 1. expositione non egent: *Quem constituit heredem universorum, per quem fecit & secula.*

Sed, inquiunt Sociniani, agit Apostolus de futuro seculo, quod fecit Christus; quia post resurrectionem tantùm constitutus fuit heres universorum. At graviter hallucinantur: Filius enim unus cum Patre Deus, ab æterno genitus, ab æterno quoque heres est, ut & dominus; quia filiatio, & hereditas separari nequeunt.

Addunt Sociniani esto, Verbum in illis locis designetur creator; non proindè erit causa prima, sed secundaria, & instrumentalis; quia Christus his in locis facere, non verò creare dicitur: immò dicuntur per eum factæ res; non verò ab eo: & sic non tanquam prima causa, sed velut secunda, aut instrumentalis innuitur. Prçtereà hæc omnia ad subjectam materiam, nempè novi Testamenti tempus restringenda esse contendunt Sociniani; ita ut omnia quæ sunt in Evangelio, per eum facta fuisse intelligantur.

Refelluntur, quia Scriptura verbis *facere & creare*, cum de creatione agit, promiscuè utitur, ut Psalm. 32. v. 9. Psalm. 120. v. 2. Isaiæ 37. v. 16. & 44. v. 24. Jerem. 32. v. 17. Act. 4. v. 24. Act. 14. v. 14. & 17. v. 14. Propositio, *Per*, denotat etiam Patrem, Rom. 11. v 36. 1. Cor. 1. v. 9. Gal. 1. v. 1. Ephes. 1. v. 1. Cum autem de renovatione loquuntur Apostoli, addunt nova ut sensum restringant; ità 2. Cor. 5. v. 17. quod hîc nequaquam fit, etiamsi Joanni consilium sit scribendi Evangelii. Aliundè Joannes initium duxit à creatione, & à versu 14. de Incarnatione cœpit disserere.

Non modò rerum omnium creatio Dei Verbo, & Christo tribuitur; sed & conservatio: nam Coloss. 1. v. 17. *Omnia in ipso constant.* Et Hebr. 1. v. 3. *Portans omnia verbo virtutis suæ.* Item Ecclesiæ conservatio ipsi tribuitur, Joan. 10. v. 29. & 1. Petr. v. 5. quæ omnia soli Deo competunt.

Et certè is est omnipotens, qui non modò edit miracula; sed & edendorum nomine suo Discipulis facit & confert potestatem. At sic se res habet, ut constat ex Math. 10. v. 8. Marc. 9. v. 37. cap. 16. v. 17. &c.

Alia Dei Attributa in abstracto sumpta conveniunt Filio Dei.

Christi divinitas hinc elucescit, maximè quod ei attributa divina in abstracto sumpta, conveniant: quippè Joan. 1. v. 4. Christus dicitur

vita, lux. Joan. 14. v. 6. de se ait: *Ego sum via, & veritas, & vita.* Rom. 10. v. 4. vocatur justitiæ nostræ origo. 1. Cor. 1. v. 24. Dei sapientia. v. 30. *Justitia, & sanctificatio, & redemptio.*

In aperto etiam est Christi divinitas; tùm quòd in Patre sit, & Pater in eo, Joan. cap. 10. tùm quòd sit Patris æterni Filius, heres, & imago, Hebr. 1. tùm quòd sit objectum fidei nostræ, Joan. 9. v. 36. &c. spei, 1. Timoth. 1. v. 1. charitatis, 1. Cor. 16. v. 22. tùm denique quòd habeat omnia quæ Patris sunt, juxta illud ipsius Christi, Joan. 17. v. 10. *Mea*, inquit, *omnia tua sunt, & tua mea sunt.*

Hoc tamen eludere conantur Sociniani, asserendo ad subjectam materiam esse referenda, scilicet ad dona Spiritûs sancti danda, & ad Christi discipulos. Sed apertè omninò tradit Christus, se habere à Patre per æternam generationem omnia quæ Patris sunt; nimirùm essentiam, potentiam &c. adeò ut nihil excipiat, nec dicat, *erunt*, sed *sunt.*

Adoratio, seu latria, exhibenda Christo, sicut & Patri.

Adoratione Christus unus est cum Patre Deus; quia vera adoratio Deo soli deferenda; Christo autem esse deferendam veram adorationem testatur Psaltes: Psalmo quippè 96. v. 7. ait, *Adorate eum omnes Angeli ejus.* David toto illo Psalmo satis indicat de Deo vero se loqui, deque Domini regno, & potestate, justitiâ, & gloriâ: eum enim opponit simulachris, & Diis gentium, *Confundantur omnes*, inquit, *qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulachris suis. Adorate eum omnes Angeli ejus.* Rationem autem addit: *Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram: nimis exaltatus es super omnes Deos.* Hæc porrò Christo tribuit Apostolus, Hebrẹorum 1. v. 6. Christo igitur sicut & Patri adoratio est exhibenda; nec enim valeret Apostoli ratiocinatio, si hæc verba ab Apostolo ad Deum, & non ad Christum, qui idem Deus non esset, referrentur: nam ostendit hâc ratione Christum longè prẹcellere Angelis, ut qui ab illis tanquam verus Deus adorandus sit, non velut Dei minister; quemadmodùm censent Sociniani. Et verò Christus fuit adoratus à Magis, Math 2. v. 11. tùm à cœco sanato, Joan. 9. v. 38. ità enim Christus ad cœcum sanatum: *Tu credis in Filium Dei? Respondit ille, & dixit: Quis est, Domine, ut credam in eum? Et dixit ei Jesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait: Credo, Domine. Et procidens adoravit eum.* Ergò Christus fidem in se, & adorationem sibi debitam & probatam habet: quibus nihil est expressius ad probandam Christi divinitatem; prẹsertim cum non ipse modò Math. 4. v. 10. Diabolum sic repulerit: *Scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*: sed & Paulus & Barnabas, Act. 14. v. 14. Lystris tam constanter à se adorationem removerint, licet eo plebis affectu potuissent uti, ut eos in obsequium Christi faciliùs adducerent: quinetiam Angelus Apocal. 19. v. 10. adorationem sibi à Joanne delatam ità rejecerit; *Et cecidi*, inquit, *ante pedes*

ejus, ut adorarem eum. Et dixit mihi, vide ne feceris: conservus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Jesu. Deum adora. Nec enim ibi tantùm Angelus, ut & Apoc. 22. ℣. 9. à se adorationem repellit, sed Deo soli docet esse deferendam. Christus verò non solùm adorationem esse sibi debitam testificatur; sed &, quod omnem tergiversationem prævertit, sibi eumdem, qui Patri defertur, honorem postulat, Joan. 5. v. 3. *Ut omnes*, inquit, *honorificent filium, sicut honorificant Patrem.*

Præterea Joan. 14. v. 1. *Creditis in Deum; & in me credite.* Ibi non solùm fidem haberi in se postulat Christus; sed & eamdem quam in Patrem. Porrò in solum Deum fides est habenda; nec potest quis salutem suam rebus creatis credere, & spem in illis collocare: *Maledictus enim*, ex Jerem. 17. v. 5. *qui confidit in homine... Benedictus vir, qui confidit in Domino.* Credendum autem fuisse in Christum, antequàm glorificaretur, ipse Christus docuit, Joan. 3. v. 18. *Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus est; quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* Cum ergò Christus haberi velit eamdem in se fidem & spem, quam in Patrem; unus certè debet dici cum Patre.

Item Isai. 45. v. 23. habetur: *In memetipso juravi* &c. & v. 24. *Quia mihi curvabitur omne genu*: quæ verba Christo tribuit Apostolus, Rom. 14. v. 10. 11. & 12. *Omnes enim stabimus ante tribunal Christi; scriptum est enim: vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. Itaque unusquisque nostrûm pro se rationem reddet Deo.* Et ipse ibidem dicitur Deus, Dominus, Judex supremus. Igitur ex Isaia, Apostolo interprete, Christus Deus est, Dominus, Judex supremus, & illi curvandum est omne genu: nam de illo Deo differit Isaias, qui de seipso, ut habet, ait: *Ego sum Deus, & non est alius.* At Apostolus de illo eodem Deo, qui Christus est, sermonem habet. Ut enim hanc fidem confirmet, Domini nomen septies pro Christi nomine usurpat, & ita concludit: *Unusquisque nostrûm rationem pro se reddet Deo*; nempè illi supremo Judici, ante cujus tribunal stabimus; quem solum esse venturum speramus; & cujus futuram hanc gloriam vocat Apostolus, Titi 2. v. 3. *Magni Dei gloriam.* Ipse ergò solus Deus est, & magnus, in quo salus futura est, ex Isaia ibidem v. 20. & ex Act. cap. 4. v. 12.

Plures Deos sibi non subordinatos Sociniani fingunt, quos verè & propriè dictos Deos vocant: essentiam tamen divinam multiplicari negant. At hæc omnia inter se minimè consentiunt: asserere enim Deum esse, & illi negare Dei naturam, idem est ac tribuere alicui hominis naturam, & negare hominem esse.

Non major divinitas ab Ethnicis olim deferebatur aliis à Jove Diis, quàm quæ à Socinianis Christo tribuitur. Nam asserere unum esse Deum à se, ut aiunt, & Christum quidem esse Deum acceptâ divinitate dependenter à Patre, est relabi in sententiam idololatrarum, qui unicum Deum colebant, à quo cæteri divinitatem accepissent.

His probationibus vis major accedet, ubi observatum fuerit (ut vel leviter attendenti erit obvium) nulli Angelorum, vel alteri creaturæ unquàm fuisse concessa quæ de Christo dicuntur; nempè Deum esse: ejus Patrem Deum: eum adorandum esse ab Angelis: ipsum mutationi non esse obnoxium: habere omnia quæ Dei sunt; esse creatorem. In Scripturis autem impunè non ferunt, qui Dei nomen, aut cultum sibi deferri patiuntur. Nam Act. 12. v. 22. Herodes patitur sibi acclamari voces Dei, & non hominis; & statim percutitur ab Angelo, *eò quòd non dedisset honorem Deo.* Si ergò nec homini, nec Angelo, nonnisi impiè potest tribui Dei nomen, aut adoratio: si autem Verbo & Christo in Scripturis tribuatur; certè Christus verus, & unus cum Patre Deus est; quia Deus unicus est. Cum enim Scriptura nos tanto studio ab Idololatriâ avocet; Dei nomina, dignitatem, potestatem, & cætera attributa in Christum non transtulit, *nisi quia Deus verus est.*

Christus se Deum profitetur.

Tandem profitetur Christus se unum esse cum Patre Deum; & seipsum talem esse probat, Joannis capite decimo: undè blasphemiæ eum Judæi accusant, quòd cum homo esset, seipsum faceret Deum: nam de seipso dixerat v. 27. &c. *Oves meæ vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me: & ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum: & non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est: & nemo potest rapere de manu Patris mei: Ego & Pater unum sumus. Sustulerunt ergò lapides Judæi, ut lapidarent eum. Respondit eis Jesus: multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis. Responderunt ei Judæi; de bono opere non lapidamus te; sed de blasphemiâ, & quia tu, homo cum sis, facis teipsum Deum.* Igitur Christus à se removet hanc blasphemiam, ut jam expositum est. Et v. 37. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre.* Ergò Christus ad opera quæ à solo Deo proficisci poterant, remittit, ut se Deum esse, & unum cum Patre probaret. An apertiùs loqui potuit, aut certiori testimonio naturam suam comprobare? cum tam apertè Deum se esse profiteatur, & unum cum Patre; nec alicubi negetur Deus esse, vel affirmetur factus Deus, aut constitutus; imò ne in eam sententiam veniamus, præcavent Apostoli, cum tam disertè asserant eum esse & fuisse Deum ab æterno, orbis creatorem, vitam, lucem; factum verò fuisse hominem. Quod iterùm Christus confirmat Joan. 17. v. 10. *Mea omnia tua sunt.*

Hoc nomen Dei sumendum esse pro eo qui habet potestatem, vel divinitatem à supremo Deo, contendunt Sociniani, & ideò haberi cap. 10. v. 35. 36. *Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura: quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas: quia dixi, Filius Dei sum?* Ex his enim

verbis concludunt cum aliam divinitatem à Patre habere; cum sanctificetur & mittatur à Patre, qui nec potest sanctificari, nec mitti in mundum.

Verùm hæc profert Christus non tam ut rationem formalem Deitatis suæ exprimat, quàm ut neget se esse blasphemum, quòd se Filium Dei, & unum cum Patre Deum esse dixisset: & argumentum ità ducit ex Psalm. 81. v. 6. à minori ad majus: cum blasphemi non sint magistratus, ad quos sermo Dei factus est, si ob communicatas quasdam Dei proprietates aliquâ ratione Dii dicti sunt; certè nec hanc ob causam blasphemiæ sum incusandus, cum Prophetæ Deum me vocarint, ut Isaias. Immò cum ego mediator missus sim, & à Patre sanctificatus, & in mundum missus; longè prestantiori ratione divinitas mihi competeret, quàm Magistratibus. Porrò autem sanctificatus dicitur ratione humanæ naturæ, quam & operante Spiritu sancto ad mediatoris munus assumpsit, Lucæ 1. v. 35. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et ad Heb. cap. 7. v. 26. *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.* Missum quoque se dicit, ut significet se ab æterno apud Patrem fuisse.

Frustrà etiam inferunt Sociniani inferiorem esse mittente missum. Nam æqualis ab æquali mitti potest: Petrus enim & Joannes Act. 8. v. 14. mittuntur Samariam ab Apostolis, quibus inferiores non erant; imò Petrus primatum acceperat. Item Paulus Act. 15. v. 25. ab Apostolis ad Ecclesias mittitur; qui tamen de seipso ità loquitur 2. Corinth. 2. v. 11. ut qui nullâ in re inferior fuerit summis Apostolis.

Denique in hoc cap. Joan. 10. veræ suæ divinitatis argumenta tradit Christus: nam v. 28. ait, *Et ego vitam æternam do eis*: solus autem Deus dare vitam æternam potest, Rom. 6. v. 23. *Gratia autem Dei, vita æterna*, 1. Joan. 5. v. 20.

Aliud argumentum desumitur ex eodem cap. 10. v. 30. *Ego*, inquit, *& Pater unum sumus*; unitate scilicet essentiæ: etenim indè probat non posse magis sibi eripi oves, quàm Patri; & proindè non minorem habere se potestatem, quàm habeat ipse Pater: potentia enim Dei, potentia est Christi: nec potentiæ Dei infinitæ particeps fieri potest res creata. Et sanè si de unitate voluntatis & consensus locutus fuisset Christus, cum dixit eò quod non magis sibi ereptum iri oves, quàm Patri; quia idem esset quod Pater; numquid non reponi potuisset quod extat apud Apost. Rom. 7. v. 18. ipsum quidem præclara velle, quæ non posset exequi? *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* Quamobrem hæc Christi verba, *Unum sumus*, idem significant, ac indivisam habemus essentiam; & ideò eandem potentiam. Ità quoque Judæi intellexerunt; undè in eum, ut in blasphemum, insurrexerunt; quòd se & Deo Patri æqualem faceret: Nam v. 33. *Quia tu, homo cum sis, facis teipsum Deum.* Non potest quippè fieri, ut, qui tantummodò homo est, sit naturâ Deus, & Filius Dei. Christus autem non inficiatur se verum esse Deum; si enim illud inficiatus fuisset; æquitatis & pietatis ipsius fuisset illos ab errore revocare, sensuque Sociniano divinitatem

tem suam exponere, quod facillimè Judæorum animos pacasset: nec enim Judæi abnuissent Christum Deum esse divinitate minori, & participatâ.

Christus seipsum esse Deum probat, Math. 11. v. 4. ubi hæc Isaiæ verba: *Ecce Deus vester ultionem adducet retributionis; Deus ipse veniet, & salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus*: sic de se ipso exponit, *euntes renuntiate Joanni quæ auditis, & vidistis: cæci vident* &c. Ipse ergò Deus Israëlis est, cujus adventus prædicitur, & qui nomine *Elohin* insignitur, cum simpliciter enuntiatur, & vocatur v. 4. Deus vester, v. 2. Deus noster, & qui venturus dicitur, etiam Isaiæ 25. v. 9. *Ecce Deus noster iste, expectavimus eum, & salvabit nos.* Venturus ergò prædicitur Deus, qui cæcis visum restituat &c. Porrò autem profitetur Christus se illum Deum esse; cum aliundè hæc præstiterit quæ in Prophetâ continebantur.

Probat iterùm Christus se unum esse cum Patre Deum; quia ejus est filius unigenitus, & ex ejus substantiâ: si enim Pater est homo, sequitur Filium esse hominem: si verò Deus est, Deum esse quoque Filium necesse est. Sic ejus mentem ceperunt Judæi; Joan. enim 5. v. 17. *Jesus autem respondit eis: Pater meus usque modò operatur, & ego operor. Propterea ergò magis quærebant eum Judæi interficere; quia non solùm solvebat sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Quòd Deum dixisset patrem suum, & se ei æqualem fecisset; ideò voluerunt eum interficere. An autem ab eâ sententiâ eos avocare conatur? minimè. Imò in eâdem probandâ totus versatur, scilicet se Deum verum, & Dei filium, & unum cum Patre Deum æqualem testatur; ut qui omnia exequatur, quæ Pater; vivificet, ut Pater; judex quoque sit supremus; idemque sibi qui Patri, tribuendus sit honos; & tandem in sui cognitione, æquè ac in Patris, sita sit hominum salus. Quippè v. 19. ità de se loquitur Christus: *Quæcumque enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit.* ℣. 21. *Sicut enim Pater suscitat mortuos, & vivificat: sic & filius, quos vult, vivificat. Neque enim Pater judicat quemquam: sed omne judicium dedit filio, ut omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat filium, non honorificat patrem, qui misit illum.* In sui etiam, & Patris notitiam vitam æternam æquè collocavit, & se unum esse testatur cum Patre: Joan. enim 14. v. 6. *Ego sum via, & veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Si cognovissetis me, & patrem meum utique cognovissetis: & amodò cognoscetis eum, & vidistis eum. Dicit ei Philippus: ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Dicit ei Jesus: tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt & patrem. Quomodò tu dicis: ostende nobis patrem? Non creditis, quia ego in patre, & pater in me est? Verba, quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera. Non creditis, quia ego in patre, & pater in me est?* Sed si Christus discrepasset à patre, quà Deus est, an sic ille fuisset locutus? Imò videtur quasi admirari,

quòd se, & non patrem cognoscerent: *Quomodò tu dicis*, inquit, *ostende nobis patrem? Non creditis, quia ego in Patre, & pater in me est?* Ità autem est in Patre, & pater in eo, ut sint unum, & nunquam sit solus, Joan. 8. v. 16. *Et si judico ego, judicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego, & qui misit me pater.* Item quæ facit pater, filius quoque facit; & quæcumque filius facit, & ipse pater facit: Nam Joan. 5. v. 19. *Quæcumque ille fecerit, hæc & filius similiter facit.* Joan. etiam 11. v. 4. Christus de Lazari infirmitate loquens: *Infirmitas hæc*, inquit, *non est ad mortem, sed pro gloriâ Dei.* Ex quibus optimè infert S. Hilar. lib. 9. de Trin. Christum esse unum cum Patre Deum; ut qui eundem sibi honorem, qui patri defertur, & eandem in se fidem, quam in Patrem, exigat.

Æqualitatem Sociniani in eo reponunt; quòd quæ Dei sunt, virtute Dei, & tanquam Deus, fecerit Christus. At sic pariter Apostoli Dii fuissent; cum similia Dei virtute, imò majora promittente ipsò Christo, præstiterint. Quod à fide tamen alienum omninò esse nemo non dixerit.

Evangelistæ, & Apostoli divinitatem Christi profitentur.

1. S. Petrus Ecclesiæ caput. Math. 16. v. 16. *Tu es Christus filius Dei vivi.* Idem Luc. 5. v. 8. piscium multitudinem retibus conclusam animadvertens, procidit ad genua Jesu, dicens: *Exi à me, quia homo peccator sum, Domine.*

2. S. Thomas, Joan. 20. v. 28. ità ad Christum: *Dominus meus, & Deus meus.* His auditis quis non adducatur ad fidem? Nihil enim apertius proferri potest; nec ullus in scripturis, nisi verus Deus, dicitur Dominus Deus, sicut à S. Thomâ vocatur Christus, dum Christum ipsum coram cæteris Apostolis alloquitur. Quod proculdubiò Christus non tulisset, nisi veri Dei fidem contestatus fuisset S. Thomas: nam tùm ipse Thomas, tùm cæteri Apostoli fuissent in errorem gravissimum adducti, non modò silentio Domini, sed & approbatione palàm adjunctâ: *Quia vidisti me Thoma, credidisti.*

Dicunt Sociniani pronomen, *Meus*, vocis Dei vim restringere, quasi esset Deus Thomæ, & non aliorum. Sed an ità sentiebat S. Thomas, ut Christum vellet sui solius Dominum & Deum esse? quantùm verò S. Thomæ sensu aliena sit hæc cogitatio, palàm est ex adjunctis. De fide quippè Apostolorum relationi non adhibitâ veniam postulat à Christo, cujus divinitatem contestatam habet, tùm ex incredulitatis sibi exprobratâ notitiâ, tùm ex adhortatione ad fidem veram: *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Familiaris est etiam hominibus piè credentibus ejusmodi exclamatio subitanea: *Deus meus, Dominus meus.* Et reverâ nisi S. Thomas ità sensisset, eum sic turpiter errantem non laudasset Christus.

3. S. Paulus Ephesi Presbyteros alloquens, Act. 20. v. 28. *Attendite*, inquit, *vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus*

posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Nomini Dei ibi præfigitur articulus; & ille unus Deus est Christus, qui solus acquisivit Ecclesiam sanguine suo: nec enim sanguis ille Dei Patris dici potest; quia reverâ Dei Patris non est, sed ipsius Christi. Ut autem pastorum sollicitudinem excitet Apostolus, quanti sit facienda Ecclesia, eorum oculis subjicit; utpotè pretio, quo majus excogitari nequit, comparata, nempè sanguine Dei. Et sanè, si sanguis alterius esset, quàm Dei, nihil concluderet Apostolus: imò in errorem induceret. Ideò Syriaca editio loco *Dei*, legit *Christi*. Et sic interpretatur, cujus sit ille sanguis.

Rom. 9. v. 5. Christum super omnia Deum benedictum scribit Apostolus: *Ex quibus*, inquit, *est Christus, secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula, amen.* Nihil magnificentius est hoc testimonio: Christum enim ut merum hominem; Patriarchis non inferiorem modò, sed & verum anathema, seu virum execrabilem falsò existimabant Judæi; quia scilicet Deum se dixerat. Hæc autem verba ideò subjungit Paulus adversus falsam illam existimationem; & ait Christum esse Deum, & benedictum in secula; secundum carnem quidem esse hominem, sed secundum spiritum esse Deum: undè apponitur *amen*, quod soli divino nomini adjungitur, & verbum εὐλογητὸς, quod ubi de Deo agitur, adhiberi solet, præsertim cum additur, *in secula.*

Quod præclarum testimonium ut evertant Sociniani, hæc verba, *qui est super omnia*, puncto sejungunt à superioribus, ita ut ad Christum non referantur; sed ad Deum; perindè ac si sensus esset: ille qui est super omnia Deus, sit benedictus in secula: adeò ut idem valeret, *benedictus*, ac benedictus sit. Sed tàm in removendâ illâ interpunctione, quàm referendo nomine *Deus*, omnes omninò codices Græci consentiunt: imò juxta familiarem Scripturarum consuetudinem interpunctio illa rejicienda est. Nam ubi vox *benedictus* significat *benedictus sit*, ei ad quem refertur, anteponi solet, ut Luc. 1. *Benedictus Dominus Deus Israël.* Cum verò postponitur, adjectivi locum habet, ut isto in loco de quo agitur: undè non subauditur verbum *sit*. Et certè nec constructio, nec sententia ejusmodi suppositionem exigunt; præsertim cum sensus tali additamento mutetur. Hîc etiam exclamatio non est, imò exprobratio, quòd Judæis beneficia à Christo præstita in exitium eorum vitio proprio cessissent.

Titi 2. vocat S. ipse Paulus Christum magnum Deum: nam v. 13. *Expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate.* Verba hæc, *magni Dei*, ad Christum non referri docent adversarii, sed ad Patrem; quia conjunctio hæc, *magni Dei, & Salvatoris*, significat gloriam Patris illustratum iri, cum Christus ad judicium venerit. Addunt nec obstare quòd Pater ad judicium non veniat; cum in ferendo judicio Patris legatus futurus sit Filius. Sed apertius est ibi de solo Christo agi, & eum vocari magnum Deum,

utpotè Patri æqualem. Licet autem sit conjunctio, *&*, *Expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi:* Non indè sequitur duas ibi exprimi personas, sed unam; sicut nec in hoc loco, 2. Cor. 1. v. 3. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi*, non duæ personæ, sed unica innuitur. Et quidem Apost. in istâ epist. ad Tit. cap. 2. de Deo Messiâ solo loquitur v. 11. *Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus.* ℣. 12. *erudiens nos.* Hæc autem apparitio Dei Salvatoris, non Patris fuit, sed Filii: undè ℣. 13. innuit iterùm magnum illum, non Salvatorem jam, sed judicem venturum; seu non in habitu humili, sed in Majestatis Divinæ splendore. *Expectantes*, inquit, *beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi.* Ipse porrò solus Filius ibi dicitur ille magnus Deus, de quo sermo est.

4. S Judas Apost. in suâ epist v. 5. sic habet: *Commonere autem vos volo, scientes semel omnia; quoniam Jesus populum de terrâ Ægypti salvans, secundò eos, qui non crediderunt, perdidit:* v. 21. *Vosmetipsos in dilectione Dei servate, expectantes misericordiam Domini Nostri Jesu Christi in vitam æternam.* ℣. 25. Deum Salvatorem vocat: *Soli Deo Salvatori nostro, per Jesum Christum Dominum nostrum gloria.* Jesus ergò, qui à peccatis morte suâ liberavit, ex Ægypto populum eduxit: ipse est qui vitam æternam confert: ipse Deus Salvator, per quem ut mediatorem, & patrem, & ipsummet filium laudamus.

Frustrà reponunt adversarii Græcis in exemplaribus non extare nomen, *Jesus*, sed, *Domini*: injuriâ siquidem id dicunt: in codicibus enim Græcis apud Robertum Stephanum reperitur. Et etiamsi vox *Dominus* esset loco *Jesus*, versus antecedens ibi de Christo agi evinceret. Nam indicat ℣. 4. impios, qui præterierant, Christum negasse: *Solum dominatorem & Dominum Nostrum Jesum Christum negantes. Commonere autem vos volo scientes semel omnia, quoniam Jesus populum de terrâ Ægypti salvans*, &c.

Ex his & superioribus inferet, qui verbum sacrum à Deo acceptum reverâ crediderit, qui Christo & interpretibus Christi Apostolis fidem adhibuerit, nullam dubitandi de Filii divinitate superesse rationem. Nam non solùm Scripturæ, quæ Deum unum prædicant, Deorumque multitudinem removent, Christo nomen Dei, naturam, attributa Deo essentialia, & latriam seu adorationem tribuunt; sed etiam se Deum profitetur ipse Christus; & eum pro Deo uno cum Patre profitentur pariter Apostoli, Evangelistæ, ac Discipuli.

Trium priorum seculorum consensione Filii seu Verbi Divinitas confirmatur.

In referendis Sanctorum Patrum ante Nicænam Synodum authoritatibus, quam secuti sumus S. Hilarii methodum, sequemur continuò; ut de illorum Doctorum, & primorum temporum fide æquum feratur

Judicium. De hoc uno Socinianos præmonitos velim, præjudicatis depositis, suam conscientiam coram omnium supremo Judice consulant, & attentè considerent, num sua de Dei verbo doctrina sit antiquorum Patrum, ac ipsius Ecclesiæ fides.

Mihi tamen parcant Sociniani, quòd ad conscientiæ tribunal eos advocem; utiliter admodùm, ut spero, seipsos coram illo sistent, modò veterum Patrum doctrinam, doctrinæ seriem, & ex doctrinâ consecutiones mecum expendant. Quantus esset benignitati divinæ gratulandi locus, si quibusdam saltem daretur prodesse! quod ut labore possim consequi, antiquorum dogmata summâ fide refero.

S. Clemens Romanus.

S. Clemens Romanus S. Petri discipulus in eximiâ ad Corinth. ep. Christum Deum vocat, adorat, operationem divinam ei tribuit; & proindè Christum cum Patre Deum unum nomine & naturâ profitetur cum universâ tunc temporis Ecclesiâ. Quæ superiori artic. retulimus loca, non repetimus. S. Clemens igitur Christum ut Deum adorat, & per Christum, inquit, *oculi cordis nostri aperti sunt*: quod solus Deus efficere potest. Angelis eum longè præstantiorem esse asserit; quia illi Psalm. 103. sunt ministri; ipse verò filius Psal. 2. & Ps. 109. Ait denique Apostolos missos, qui Christi Dei regnum annuntiarent: *Annuntiantes*, inquit, *regni Dei adventum.*

Sanctus Ignatius.

S. Ignatius Episcopus Antiochenus in epist. ad Ephes. utramque Christi naturam, Dei scilicet, & hominis distinguit; necnon docet Christum quà Deum, esse vitam veram; impassibilem ratione, naturæ divinæ; ratione verò naturæ humanæ, passibilem; corda scrutari, ut Deum nostrum; in nobis, ut in templo, habitare; æternum esse, non factum. Sic ei tribuit quæ soli Deo vero & unico competunt. Medicus autem unus est, inquit, & carnalis & spiritalis; factus & non factus; in principio Verbum, posteà verò & homo ex Mariâ Virgine; impassibilis in corpore passibili. In Epist. ad Magnesianos sic habet: *Jesus Christus, qui ante secula genitus est à Patre.* Et paulò post: *Unus est Deus omnipotens, qui manifestavit seipsum per Jesum Christum filium suum, qui est Verbum ipsius non prolativum scilicet, sed substantiale. . . . . in omnibus beneplacens suo genitori.* Asserit igitur Christum esse ante secula, esse filium Dei, esse verbum substantiale. Sic non modò Dei nomen Christo tribuit, sed naturam, & omnia divinæ naturæ attributa, & in abstracto. In epist. ad Rom. ità loquitur: *Concedite mihi, ut sim imitator passionum Dei mei:* quem anteà in ipsâ epistolæ inscriptione Deum nostrum appellaverat.

Sanctus Polycarpus.

S. Polycarpus S. Joannis discipulus, & Smyrnensis Episcopus in ep. ad Philipp. scribit Christum gratiam atque pacem conferre, electis coronas impertiri, & finem bonorum operum esse. Porrò Deus solus gratiam & pacem largitur, coronas electis confert, & bonorum operum est finis.

Ecclesia Smyrnensis in epist. de martyrio S. Polycarpi Episcopi, refert hunc sanctum Martyrem, Christum ut æternum Pontificem, & omnipotentem Dei filium adorasse cum Patre, & Spiritu Sancto. Locus extat super. attic. Sic Episcopi ab Apostolis instituti doctrinam hanc, ut Ecclesiæ dogma constans, admittebant; Christumque nomine, naturâ, adoratione, & professione unum cum Patre, & Spiritu Sancto profitebantur. Et verò Ecclesiæ, quas regebant, & instruebant, S. Clemens Rom. S. Ignat. & S. Polyc. reclamassent dubio procul, si quid novi ab Episcopis illis fuisset inductum, præsertim circa divinam naturam, pro cujus unitate tot & tam gravia tormenta patiebantur, ut tanquam veri Martyres occubuerint.

Sanctus Justinus.

S. Justinus Philosophus, & Martyr in dogmate, quod fuerunt posteà professi Nicæni Patres, sitam esse docet Religionem Christianam; Christum nempè nomine & naturâ Deum esse; divina ei convenire attributa; & ab omnibus esse adorandum. Primùm docet in Apol. ad Anton. ubi calumniam Atheïsmi repellit: *Profitemur nos talium, qui habentur* (ab Ethnicis scilicet) *Deorum esse expertes, & atheos; sed non verissimi illius Dei Patris &c. Verum hunc ipsum, & qui ab eo venit. . . . Filium, & Spiritum propheticum colimus, & adoramus.* Et infrà: *Deum solum adoramus, & vobis*, scilicet Imperatoribus, *in aliis rebus læti inservimus.* Indicat ibidem Filium aliam esse personam à Patre, licet Deus sit cum Patre; nec proindè pro Deorum multitudine stare Christianos, ut indè falsò colligebat Tripho Judæus.

Item in Dialogo cum Triphone ait Christum, & Dei Filium, & Deum in Scripturis nominari; & ei omnia, quæ Dei sunt, ut adorationem, convenire: quæ cum Tripho Judæus ferre non posset, probat Justinus Christum à Prophetâ Dei virtutem, & Deum esse nuncupatum; ex Substantiâ Patris esse; & sic unum esse cum Patre Deum. Locus citatus est art. superiori. Ostendit quoque contra Triphonem S. Justinus Christum Deum esse verum, & Dominum, & Regem: *Christus enim Rex,* inquit, *& Sacerdos, & Deus, & Dominus, & Angelus seu nuntius, & homo, & Archidux, militiaque Princeps, & lapis, & puer natus; & perpessioni primùm obnoxius; deindè in cœlum revertens, & indè rediturus cum gloriâ & perpetuum obtenturus regnum deprædicatus est.* Cum autem instaret Tripho, exigeretque ut in Christo adimpletæ Pro-

phetiæ probarentur; Messiæ divinitatem priùs velle se probare respondet sanctus Justinus, & Christum Deum, & Dominum, & æternum vocat: Cumque hanc fidei doctrinam irrideret Tripho, his verbis: *Nam quod ais ante sæcula Deum fuisse hunc Christum, ac deindè natum fuiße hominem, & non ex homine, non modò admirabile, & præter fidem mihi esse videtur; verùm etiam stultum.* Pluribus eamdem veritatem à Triphone impugnatam confirmat sanctus Justinus, confutatque hæresim, quæ Christum ex electione factum esse docebat, & ex homine genitum hominem tantùm esse, ut modò censent Sociniani; probatque eum esse Creatorem Universi, & Deum verum, ex Gen. & ex aliis Scripturæ capitibus, præsertim verò ex Prophetiarum auctoritate, quas Christus solus implevit. *Sunt nonnulli*, inquit, *ô amici dixi ex genere nostro, profitentes ipsum Christum esse; sed hominem ex hominibus genitum esse affirmant; quibus non assentior: neque id sanè multi, qui in eâdem mecum sententiâ sunt, dixerint: Si quidem non humanis traditionibus & doctrinis jussi sumus à Christo ipso credere, sed eis quas beati Prophetæ promulgarunt, & ipse Christus tradidit.* Sicque Christum esse verum Deum, & æternum asserit; testaturque nihilominùs à Christianis non alium adorari Deum à Deo Judæorum: *neque alium*, inquit, *vestrum ducimus Deum; sed illum ipsum qui eduxit patres vestros de terrâ Ægypti in manu forti, & brachio excelso; neque in alium quemquam speramus; non enim extat: verùm in eum, in quem & vos, Deum Abrahæ, & Isaaci, & Jacobi.* Sic ergò Christus à Christianis habebatur verus Deus Abrahæ & Israelis, & idem qui à Judæis adorabatur; & proindè unus cum Patre Deus.

Si autem S. Justin. & Christiani in sententiâ Socinianorum fuissent versati, facilè Judæorum instantiam repulissent, contestati Christum non esse Deum ejusdem naturæ, cujus erat Pater. Hinc non fuisset cur Tripho obstupesceret, & vitio verteret, quòd Christiani adversùs Ethnicos cum Judæis unum Deum colere se profiterentur; & tamen crederent Patrem Deum, & Filium Deum; sicque multos Deos cum Ethnicis inducerent, sibique ipsis adversarentur: nec esset cur S. Justin. totus esset in probandâ divinitate Christi, & assereret illius ex Deo Patre generationem inenarrabilem esse ex Isa. c. 53. Nihil enim mysterii occurreret, si juxtà Socinianos Christus res tantùm creata esset.

Quærenti Triphoni quomodò probare posset alium esse Deum præter Universi Creatorem, & illum Deum nasci ex Virgine; S. Justinus respondet, & ostendit alium dici verum Deum in Scripturis præter Creatorem, nempè eum qui se videndum antiquis præbuit; illum autem Deum non fuisse Patrem, quia Pater à nemine visus est, neque cum aliquo collocutus est: ergo Deum, seu Filium, *alium ab eo eße, qui cuncta creavit, numero dico, non animi conceptione.* Porrò generationem ejus ab æterno ex substantiâ Patris, & divinam illius naturam ità delineat: *Præter hunc (Universi scilicet Conditorem) Deum & ipsum, qui Abrahæ apparuit, dicere neceße est: alius etiam est, & di-*

citur Deus, & Dominus, Filius nimirùm ineffabilis; & unigenitus; & singularis, Dei germen ante creaturas omninò universas à Patre editum. Addit *virtutem illam esse Dei, ac Deum à Prophetâ nuncupari; non ità ut solis lux, solis vocabulo numeratur, sed numero alterum quiddam esse; non tam n rescisione, tanquam Patris substantia secetur, uti catera omnia divisa atque secta non sunt eadem atque erant ante sectionem.* Variis Scripturæ locis utitur, ut Ps. 25. *Thronus Deus tuus*, &c. 45. *Ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum. Hisce verbis satis disertè est judicatum amplissimum eum habere à rerum Creatore testimonium; adorandum eum nimirum eße & Deum, & Christum.* Et infrà sic Christum à Davide meritò appellatum Deum asserit. *David eum ante Solem & Lunam ex utero natum iri juxtà consilium & voluntatem Patris cecinit: & Deum fortem, & adorandum esse Christum declaravit.*

Insurgit adversùs eum blasphemus Tripho his verbis *Sit sanè vester, qui ex gentibus estis, Dominus Christus, & Deus designatus...... nos autem Dei, qui & hunc ipsum fecit, cultores cum simus, non indigemus ejus nec professione, nec adoratione.* Cumque instaret ex Isaiæ 42. *Ego Dominus Deus, & alteri gloriam meam non dabo.* Respondet S. Justin. Deum gloriam suam soli Christo ex eodem Prophetâ dare. Et infrà. *Nam si dicta Prophetarum intellexißetis, non inficiati estis ipsum esse Deum, singularis, & ingeniti ineffabilisque Dei Filium.* Deindè confutat eos, qui dicerent eum virtutem esse à Patre indistinctam, quâ Pater pro libito utatur; & docet esse Deum numero à Patre distinctum, scilicet personâ, non naturâ: germen hoc esse ante creaturas omninò universas: tùm germen ipsum aliud esse à generante, quod unusquisque confitebitur. Sanè universum opus exscribendum esset: congesta enim ibi sunt pro divinitate Christi argumenta: satis sit pauca subjicere. Primùm inter Josuë & Jesum interponit discrimen, quod Christi divinitatem eamdem cum Patre certò evincit: *Namque*, inquit, *temporaneam ipsis* (Josuë scilicet) *tribuit hereditatem, utpotè qui neque Christus Deus esset, neque Dei Filius: Hic autem* (nempè Christus) *post sanctam Resurrectionem possessionem nobis dabit sempiternam.* Deus ergò est unus cum Patre, qui sempiternam vitam largitur. Dein addit à Christo habuisse Josuë sistendi solis virtutem, & Christum antiquis se præbuisse conspiciendum.

Neque verò quæstio est, an S. Justinus adversus Triphonem rectè disserat; nobis satis sit, eum tunc id supposuisse cum Triphone, & adversus Ethnicos in utrâque Apol. contendisse unicum Deum adorandum; & professum fuisse contra Triphonem, præter illum conditorem universorum, personam aliam, videlicet Filium, Deum esse verum, æternum, immensum, omnipotentem, Deum Abrahæ, & Judæorum, seu quem Judæi recolerent; & hanc Ecclesiarum esse fidem, & Religionis Christianæ fundamentum.

Ex quibus sequitur ex S. Justino Filium esse unum cum Patre Deum, &

&

& ab æterno ratione ineffabili genitum, & ex patris substantiâ; quam substantiæ unitatem, & generationem ineffabilem, & æternam expressit indubitanter, quòd filius sit patris ratio & sapientia. Idem in Apol. ad Anton. opponentibus Ethnicis post Deum parentem secundas partes tribui à Christianis homini crucifixo, hoc fatetur; & ait gentiles mysterium hoc ignorare, & Christianos adhærere Deo ingenito per Filium ipsum, qui virtus Dei, ratio, & verbum ejus fuit. .... *Et quod rationem, & verbum, quod primum est genimen Dei, absque mistione genitum esse dicimus, Jesum videlicet Christum* &c. Addit præter communem mortalium nativitatem, Filium ex Deo rationem, & verbum, & genitum dici: *Jesus Christus*, inquit, *unus & solus propriè Filius Deo genitus, qui ratio & verbum ejus, & primogenitus, & virtus est.* Ergo ratio verbum est; non quòd in tempore factus sit Dei Filius; sic enim ad cæterarum rerum creationem tantùm accederet; sed quia ab æterno genitus solus propriè Filius est, utpotè ex Patris substantiâ. Idem probat in dial. cum Triphone, ut mox retulimus. Item Deo essentiales perfectiones Filio Dei ascribit, ut æternitatem in apol. ad Anton. & in dial. cum Triphon. Eadem habet in apol. ad Senat. ubi ait Christum esse solum Dei Filium, æternum, & ante creatas res, & ab æterno gigni. *Porrò Filius ejus, qui solus propriè dicitur Filius, verbum, simul cum illo ante creaturas & existens, & nascens: quoniam primitùs per eum cuncta condidit, & ornavit.* In dial. citato confutat eos qui Christi originem non prævertere incarnationem assererent, & ex hominibus eam ducerent, non ex sacris codicibus, nec à Christo acceptâ doctrinâ, sed ex arbitrio suo; & proindè Arianos, & Socinianos in antecessum refellebat: loca mox retulimus. In apol. ad Anton. addit non Patrem, sed Filium Christum (qui priùs verbum existens erat) se videndum præbuisse antiquis, aut in formâ ignis, aut Angelicâ, aut aliâ. In eâdem apol. ad Anton. asserit nomine Patris, & Domini Dei Servatoris Jesu Christi Baptismum conferri: immensum eum esse: & ubique extitisse: futura per Prophetas prænuntiasse: & tandem hominem factum omnia nos docuisse. *Ratio enim*, inquit, *& verbum fuit, & est in universitate rerum existens. .... qui & per Prophetas quæ futura erant vaticinatus est.* Docuit adhuc in apologiâ ad Senatum adorationem Christo deferri, & deferendam esse, nullo discrimine posito inter adorationem Patri, & ei delatam. Denique Fidei professionem universalem de Trinitate refert in apol. ad Anton.

Intelligant igitur Sociniani hæreseos suæ capita singula secundo seculo fuisse reprobata; necnon fidem Patrum Nicænorum, temporibus etiam illis ubique fuisse receptam.

Athenagoras.

Athenagoras eodem seculo eandem fidem universi orbis Christiani refert. Nam in apol. pro Christianis docet in Deo tres esse personas, & unum

Deum; Verbum esse unum cum Patre; ex Patris substantiâ; Patris esse rationem, & sapientiam; & hanc esse Christianorum fidem. Ibidem ait Filio Dei competere attributa divina, potentiam nempè, sapientiam, & æternitatem. Et sic ab atheïsmo Christianos vindicat, quòd unum Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum colant. Hinc ità concludit: *Quantùm igitur in me fuit, etsi non pro dignitate rei, nequaquàm nos esse à Deo alienos, qui universitatis hujus opificem, simulque ejus verbum, seu verum Deum veneramur, demonstratum est.*

In initio Apol. Deum unum rerum omnium creatorem esse profitetur, & hanc antevertit objectionem; ridiculum scilicet videri Deo Filium tribuere, quia id Poëtis in more erat; asseritque Filium esse Dei verbum, & unum cum Patre, & æternum; cum Patris ratio sit; & adducit illud Prov. 8. v. 22. *Dominus creavit me in initio viarum suarum.* Ex quo negat Verbum creatum esse, quia æterna Patris ratio est. Quarè per verbum, *Creavit*, nihil aliud intellexit, quàm ordinavit, aut constituit. Antoninum, & filium ejus Commodum allocutus ait, ipsos animorum conjunctione delineare patris, & filii supremam potestatem indivisibilem: *Ut vobis enim, patri, & filio in potestate sunt omnia*: sic uni Deo, & Filio ejus, hoc est, Verbo inseparabili omnia subjecta sunt. Athenagoras ergò tradit tùm personarum trium fidem ubique receptam, tùm Filium ab æterno Deum, & unum cum Patre Deum esse adorandum; & illius mysterii intelligendi desiderio omnes fideles teneri. Hæc sunt Catholicæ Fidei capita; proindéque Socinianorum blasphemiarum proscriptio.

S. Theophilus Antiochenus.

S. Theophilus Antioch. eodem seculo Episc. Antioch. fidem de Trinitate sanctissimâ refert; & illud asserit mysterium in creatione fuisse delineatum per tres dies, qui præcessere creationem *duorum luminarium*: Patrem allocutum fuisse sermonem, & sapientiam; seu Filium, & Spiritum Sanctum, cum dixit, *Faciamus hominem*, &c. Illius articulo super. exscripsimus verba. Item Filium Dei nomine, naturâ, adoratione, & professione unum esse cum Patre, veluti universalem fidem profitetur. Dei quoque nomine sæpiùs Filium compellat, & ait Deum Patrem illum habuisse suis in visceribus, lib. 2. ad Autolicum: *Deus habens suum sermonem*: cumque ante omnia genuisse: sic enim habet, *sermonem*, λόγον ἐν διάθετον, *seu verbum internum in suis visceribus, genuit eum .... ante hæc universa.* Addit hoc sermone, seu ratione Deum usum esse in mundi creatione: illum esse Dei sapientiam, potentiam, & prophetiarum authorem: *Hic igitur existens spiritus Dei, principium, & sapientia, Altissimique potentia, descendit in Prophetas, per quos, seu organa, de mundi creatione, necnon de reliquis locutus est. Non enim erant Prophetæ, cum mundus crearetur; sed sapientia Dei, quæ in ipso est, sermoque ejus sanctus semper præstò erat. Quare per Salomonem Prophetam sic fatur: cum ipse*

præpararet cœlos, aderam. Undè tùm ex istis, tùm ex Prov. 8. Filii cum Patre coæternitatem exponit. Ut autem à pravâ generationis Verbi ideâ animum revocet, ità loquitur: *Nec arbitreris*, inquit, *ut Poëtæ, & fabularum scriptores perhibent, Dei filios ex concubitu natos esse; sed intellige hoc loco enarrari sermonem perpetuò existentem, & insitum in corde Patris Dei. Antequam enim quicquam eorum quæ facta sunt, fieret, hunc consiliarium habuit, ut qui & mens, & prudentia ejus foret.* Sic Verbum inter res factas non potest computari; imò Verbum illud est ex substantiâ Patris, & ab æterno; utpote mens, sapientia, & consiliarius Patris. Æternâ porrò sic generatione delineatâ, primùm temporariam ità describit: *Cum verò jam condere quæ deliberaverat, instituisset, hunc sermonem genuit prolatum primogenitum universæ creaturæ; nec interim Deus exinanitus est sermone sermonem gignens.* Quamobrem Verbum, quà æternum & Deo interius, res creata non est, cum sit consiliarius Patris; nec in tempore Filius est genitus, sed ab æterno, ut qui Patris sit mens, & prudentia: genitus verò in tempore dicitur, cum exteriùs prodiit ut creator, seu sono circumvestitus, cum nempè dixit, *Fiat.* Et laudatis verbis Joan. 1. *In principio erat Verbum* &c. sic habet: *Significans in principio solùm fuisse Deum, & in eo sermonem. Posteà infert: Deus erat ille sermo. Omnia per ipsum facta sunt, & sine eo factum est nihil. Deus itaque existens sermo, & ex Deo progenitus, quandò vult Pater universorum, mittit eum sermonem ad aliquem locum. Qui adveniens auditur, & videtur ab eo missus, & in loco reperitur.* Æternum ergò dicit sermonem, & ex substantiâ Patris ortum; eumque utpotè genitum à Patre mitti, & formâ exteriori circumvestiri, & ratione illius formæ in loco esse, & audiri, & conspici.

Tatianus.

Tatianus post S. Justini præceptoris mortem hæreticus factus, scripsit Verbum Dei unum esse cum Patre Deum, nomine, & naturâ; item ex Patris esse substantiâ, utpotè ipsius Paris rationem; necnon etiam æternum esse; quia creavit Angelos, & orbem: ità enim scribit in orat. ad Græcos. *Quippè Dominus mundi, cum ipse sit universorum substantia, nondum condito mundo solus erat. Si verò respicias potentiam ejus, in quâ visibilia & invisibilia cuncta consistunt, omnia cum ipso erant. In ipso enim per potentiam Verbi, tùm ipse, tùm Verbum quod in eo erat, extitit.* Igitur æquè æternus est Filius ac Pater. Ibidem docet, cum de orbe creando Deus constituit, Verbum divinum, quod in ipso Patre erat, exteriùs prodiisse, ut orbem è nihilo educeret: hæc sunt ejus verba: *Cum voluit autem ipse, Verbum ex ejus simplicitate prosiliit. Et Verbum non inaniter prolatum, primogenitum opus fit ipsius Spiritûs. Hoc scimus esse principium mundi: natum est autem per divisionem, non avulsionem. Quod enim avellitur, à primo separatur: quod verò dividitur, id functione donatum propriâ, nihil imminuit illum, à quo vim suam sum-*

psit. Quemadmodum enim ab unâ face aliæ multæ accenduntur, nec tamen primæ facis lux minuitur propter plures indè succensas: sic etiam Verbum è Patris potentiâ progressum, non relinquit genitorem Verbi expertem: nam & ego si loquar, & vos audiatis, non tamen propter transitum sermonis, ego qui vobiscum loquor, sermone vacuus fio: sed vocem meam proferens, ineultam in vobis materiam excolere mihi propono. Et quemadmodùm Verbum in principio genitum, mundum & nos vicissim genuit, cum sibimet materiam produxisset: sic ego quoque ad imitationem Verbi regenitus, & veritatis illustratus cognitione materiæ mihi cognatæ confusionem emendo. Addit: *Verbum illud cœleste, Spiritus à Patre genitus, & ratio ex rationali potentiâ hominem immortalitatis imaginem fecit ad imitationem sui genitoris.*

Equidem videtur à S. Justini præceptoris doctrinâ Tatianus recessisse, cum asserit Verbum natum esse per divisionem, non per avulsionem; quia quod dividitur donatum functione propriâ, non imminuit illum à quo vim suam sumpsit: quod verò avellitur, à primo separatur. Verbum autem genitum esse non per resectionem docuit S. Justinus. Idem tamen cum S. Justino sentire videtur, & per divisionem intelligere distinctionem; cum separationem apertè neget.

Sanctus Irenæus.

Sanctus Irenæus Lugdun. Episc. S. Polycarpi discipulus, Asianæ, Lugdunensis, & totius Catholicæ Ecclesiæ doctrinam referens, fidem in sanctissimam Trinitatem, quæ unus Deus sit, asserit: & ait Verbum Filium Dei esse Deum unum cum Patre, nomine, naturâ, adoratione, & professione. Docet 1. Mysterium in sanctam Trinitatem ubique annuntiari: Christum Deum esse Dominum, Regem, & Salvatorem nostrum: & omne genu illi curvandum; ità lib. 1. cap. 2. ubi addit Ecclesiam per universum orbem disseminatam diligenter istam fidem custodire: locus relatus est art. super. Deindè tradit Filium Dei tàm esse verum Deum, quàm Patrem; & unicum esse cum Patre Deum; hancque fuisse Christi, Spiritus sancti, & Apostolorum doctrinam, & professionem; sic enim habet lib. 3. cap. 2. *Neque igitur Dominus, neque Spiritus sanctus, neque Apostoli, eum, qui non esset Deus, & absolutè nominaßent aliquandò, nisi esset verus Deus: neque Dominum appellaßent aliquem ex suâ personâ, nisi qui dominatur omnium Deum Patrem, & Filium ejus.* Citat ibi tùm illud Ps. 109. *Dixit Dominus Domino meo:* tùm Ps. 44. *unxit te Deus Deus tuus:* tùm & Ps. 49. *Deorum Deus locutus, &c.* Et ait ipsum esse qui Moysi dixit, *Ego sum qui sum.* Item lib. 4. cap. 1. scribit magnum Deum dicendum non fuisse Filium, Christum scilicet, si aliquem suprà se Deum haberet. Et cap. 11. ait Filium super omnia Deum fuisse, qui adorabatur à Prophetis, & Mosi loquebatur. Sic ergò Christum, ut verum Deum cum Patre, adoravit: ideò Deum lib. 3. cap. 6. rogat ut hanc sui cognitionem om-

tibus indulgeat : *da*, inquit, *omni legenti hanc scripuram cognoscere te, quia solus Deus es ; & confirmari in te ; & absistere ab omni hæreticâ, & quæ est sine Deo, & impiâ sententiâ.* An ità expositâ de Filii divinitate doctrinâ postulasset à Deo, ut hanc cognitionem omnibus necessariam largiretur, & ejus beneficio omnes ab impietate, & hæreticâ pravitate avocarentur ; nisi fides de Christi verâ & unicâ cum Patre divinitate in Scripturis contineretur, & esset eximium Dei donum? Impiam igitur & blasphemam Socinianorum opinionem proscribit, & Nicænis Patribus in anathematibus adversùs Arium prævivit. Idem cap. 11. relatis infinitis propemodùm utriusque Testamenti pro Filii divinitate testimoniis, sic urget eos omnes, qui vel Deum Patrem, vel Filium non agnoscerent: *His igitur sic se habentibus vani omnes, & indocti, & insuper audaces, qui frustrantur opem Evangelii ; & , vel plures quàm dictæ sunt, vel rursus pauciores inferunt personas ..... Per hæc omnia peccantes incidunt in Spiritum Dei, in irremissibile incidunt peccatum.* His autem argumentis utitur adversùs hæreticos, qui duos Deos duorum Testamentorum Authores faciebant. Lib. 1. cap. 11. asserit Prophetas, Christum, & Apostolos alium neminem, præter Patrem & Filium, Deum nominare Lib. 4. idem repetit, & illud addit cap. 1. *Cum sit igitur hoc firmum, & constans, neminem alterum Deum & Dominum à Spiritu prædicatum, nisi eum, qui dominatur omnium Deus, cum Verbo suo ; & eos qui adoptionis spiritum accipiunt, hoc est, eos qui credunt in unum & verum Deum, & Christum Jesum Filium Dei, &c.* Ibi Valentinianorum hæresim impugnat. Igitur, ex doctrinâ Ecclesiæ palàm à S. Irenæo expositâ, Deus est Christus, non nomine solo, sed naturâ, & idem cum Patre Deus.

Seipsos audiant Sociniani, non alios appello Judices ; si Socinianum dogma tenuisset S. Iren. cum universâ Ecclesiâ, cujus fidem adversùs hæreticos ipse refert ; an eâ ratione confutasset eos, qui vel duos Deos Testamentorum duorum authores, vel etiam longè plures admittebant ? An in demonstrandâ Patris, & Filii eâdem & unicâ divinitate tantoperè laborasset, ne indè argumentum hæretici illi ducerent, præsertim qui duos facerent veteris & novi fœderis authores ? An ità constanter à salutis expectatione eos repulisset, qui cum Socinianis nunc Ecclesiam vexantibus duos Deos agnoscerent ? nam Sociniani Christo divinitatem inferiorem non negant. Hæc autem non modò cum universâ Ecclesiâ professus fuit S. Irenæus ; sed & Christum æquè verum esse Deum, ac verum hominem, contra aliud genus hæreticorum, qui Christum pro homine mero habebant, probat lib. 3. cap 10. ex eo quòd Emmanuël sit dictus, à Magis sit adoratus quatenùs homo, illique ut Deo oblatum fuerit thus. Ibidem naturæ utriusque dotes uberiùs sic exponit. *Nam secundum id Deus homo erat, ex radice Jesse, & Filius Abrahæ ; secundum hoc requiescebat Spiritus Dei super eum, & ungebatur ad evangelizandum humilibus : secundum autem quod Deus erat ...... non opus erat illi, ut quis testimonium diceret de homine..... cum ipse sciret quid esset in homine.*

Item cap. 20. *oportuerat*, inquit, *Mediatorem Dei & hominum per suam ad utrosque domesticitatem, & ad amicitiam & concordiam utrosque reducere, & facere ut & Deus assumeret hominem, & homo se dederet Deo.* Quæ verba laudavit Theodoretus. Deo ergò, & homini Christus quatenùs Mediator, consubstantialis est. Quam rationem cap. 29. adversus Ebionitas urget, qui Christum nudum hominem esse asserebant. *Si enim*, inquit, *Josephi Filius esset: quemadmodum plus poterat, quàm Salomon: aut plusquàm Jonas habere: aut plus esse, quàm David; cum esset ex eâdem seminatione generatus, & proles existens ipsorum; ut quid autem beatus dicebat Petrus, quòd eum cognosceret esse Filium Dei vivi?* Et anteà c. 16. variis argumentis ex Scripturâ deductis confirmat eum non merum esse hominem, sed & Deum; & præter illam, quam super omnes habet, à Patre generationem, recenseri à Scripturâ alteram, quam habet ex Virgine.

Prætereá scribit lib. 4. cap. 66. apud Isaiam ità vocari Christum: *Admirabilis, Deus, fortis . . . . . quoniam verbum caro erit, & Filius Dei, & Filius hominis purus, purè puram aperiens vulvam eam quæ regenerat homines in Deum, quam ipse puram fecit, & hoc factus est quod & nos, Deus fortis, & inenarrabile habet genus.* Nec enim Mediatoris munia potuisset exequi Christus, nisi fuisset Deus. Et cap. 11. docet Christum Dominum Deum carnem factum fuisse, ut peccata dimitteret; factum hominis Filium, ut homo, Dei Filius fieret: & ideò Zachariam Luc. 1. in Cantico suo hæc protulisse: *Ad dandum salutis intellectum*, idest hanc salutis cognitionem, quæ deerat, nempè Filii Dei, quem scribat Joannes dicens, *Ecce Agnus Dei, &c.* qui salus & Salvator verè dicitur, & est de quo dicitur, *Ecce Deus meus, Salvator meus, fidens ero in eum.*

Hanc confirmat doctrinam, ostendendo essentialia Deo attributa Dei Filio competere.

1. Docet æternitatem Filio convenire; quia inquit, lib. 4. c. 9. Mosi & aliis Prophetis fuit locutus, & ab illis adoratus, & illis factus aspectabilis. Idem lib. 3. cap. 47. sacras Scripturas illis dictavit. Lib. 2. cap. 43. *Neque enim*, inquit, *infectus es homo, neque semper coexistebas Deo, sicut proprium ejus Verbum.* Igitur Filius Dei & infectus est, seu res creata non est, & ab æterno coexistit Patri. Et cap. 55. Filii cum Patre æternitatem omnibus in confesso esse tradit: *Cognoscunt enim eum, quibus revelavit Filius; semper autem coexistens Filius Patri, olim, & ab initio, semper revelat Patrem & Angelis, & Archangelis.* Lib. 4. cap. 28. scribit ab æterno Patrem & Verbum mutuam sibi gloriam procurare: *Non enim solùm ante Adam; sed & ante omnem conditionem, glorificabat Verbum Patrem suum manens in eo, & ipse à Patre glorificabatur; quemadmodum ipse ait: Pater glorifica me claritate, quam habui apud te, priusquam mundus fieret.* Et cap. 37. *Adest enim ei semper Verbum, & Sapientia; Filius, & Spiritus, per quos, & in quibus omnia liberè & spontè fecit; ad quos & loquitur dicens: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Quibus subjungit: *Et quoniam Verbum, id est Filius, semper cum Patre erat, per multa demonstravimus.*

Quoniam & Sapientia, quæ est Spiritus, erat apud Deum ante omnem constitutionem, per Salomonem ait Deus, Sapientia fundavit terram, &c. Et rursùm: *Creavit me Dominus principium viarum suarum, in opera sua; ante seculum fundavit me,* &c. Sic verbis ex Prov. 8. desumptis utitur ad probandam Verbi æternitatem. Quo loco Ariani postmodùm usi sunt, ut probarent Verbum non esse æternum. Item lib. 2. cap. 18. negat prolatitiam esse Verbi naturam, & temporariam; sed æternam & subsistentem: *Lationem prolativi hominum Verbi transferunt in Dei æternum Verbum, & prolationis initium donantes & Genesin, quemadmodum & suo Verbo, &c.* Arguit enim ibi Valentinianos, qui prolationis humanæ generationem in Verbum divinum transferebant. C. 35. ait illos non modò irreligiosos esse adversùs Patrem; sed & adversùs Christum, & Spiritum S. Et c. 37. docet Verbum ante creationem, ab æterno Patri ut Sapientiam coextitisse. Lib. 3. cap. 20. ex professo probat, ipsum non tunc incœpisse existere, cum carnem induit; quia semper, & ab æterno coexistebat Patri; *Ostendimus enim quia non tunc cœpit Filius Dei, existens semper apud Patrem; sed quandò incarnatus est, & homo factus.* Idem docet lib. 4. cap. 2.

2. Omnipotentiam Verbi illustrat, tùm lib. 2. cap. 3. ubi habet ab illo, utpotè Deo, non ab Angelis, potuisse hominem ad imaginem Dei componi: tùm lib. 3. cap. 10. ubi ait ipsummet hominem factum omnipotentiam suam testificari peccatorum veniâ concessâ; solus enim Deus peccata potest dimittere: tùm denique lib. 3. cap. 17. ubi scribit visum restituisse, necnon res universas creasse.

3. Immensitatem Filii Dei, & cum Patre æqualitatem tradit lib. 4. cap 8. hæc sunt ejus verba: *Omni enim mensurâ & ordine Deus facit, & nihil non mensum apud eum....... & benè qui dixit ipsum immensum Patrem in Filio mensuratum.* Mensura enim Patris est Filius; quoniam & capit eum, & ejus mensura est. Igitur immensus & æqualis in omnibus est Patri. Et anteà lib. 2. cap. 41. ait nomine *Deus*, significari Dominum, qui continet cœlum & terram.

4. Adoratum fuisse Dei Filium à veteris Testamenti Patribus docet lib. 4. cap. 9. à Magis cultum adorationis ipsi fuisse exhibitum tradit l. 3. c. 10.

5. Ecclesiæ professionem eam esse, quam retulimus, asserit lib. 1 cap. 2. ut constat ex superioribus. An quid ultra postulari possit apertius ad fidei catholicæ probationem? non existimo.

Sanctus Clemens Alexandrinus.

Sanctus Clemens Alex. Presbyter, eruditionis stupendæ vir, Verbum unum esse cum Patre Deum, nomine & naturâ, locis citatis articulo superiori, ex lib. 1. Pædag. cap. 6. & 8. & lib. 5. & 7. Stromatum contestatus fuit. Essentialia Deo attributa illi vindicat.

1. Æternum Dei æternitate, Verbum esse profitetur. Nam docet lib. 1. Pædag. cap. 7. ipsum extitisse, antequam caro fieret: Israelitas ex Ægypto adduxisse: & Abrahæ aspectabile se præbuisse. Ibidem dicit tunc

nominatum non esse Deum Dominum; quia nondum carnem assumpserat: *Adhuc autem erat innominatus Deus Dominus, ut qui nondum homo factus fuerat; vocavit tamen Jacob nomen loci illius speciem Dei .... facies autem Dei est Verbum, quo Deus illuminatur & cognoscitur.* In admonit. ad Gentes, ait Verbum fuisse ante Davidem, & ex ipsius Davidis testimonio ante luciferum, & apud Deum. Item l. 7. Strom. scribit illud esse Dei sapientiam, & potestatem, & ejus consiliarium ante mundi constitutionem: *Qui ante mundi constitutionem fuit Patris consiliarius: Hae erat enim sapientia, quâ Deus delectabatur: omnipotens Dei enim virtus, sive potestas est Filius, utpotè antè omnia quæ sunt genita, verbum Patris maximè principale, & ejus sapientia.* L. quoque 7. Strom. tradit principium esse, principio carens & generatione vetustius. L. 1. Pædag. cap. 6. Filium æternum Deum Israelis vocat, & unum cum Patre. Lib. 6. Strom. ait Gen. 1. non dixisse Moysem principium à Deo esse factum, sed in principio Deum fecisse cœlum & terram. Addit lib. 3. Strom. non fuisse Christo, *necesse filios procreare, qui manet in æternum*, & natus est solus Dei filius.

2. Immensum Dei Filium supponit. 1. quia non secùs ac Pater apud justos inhabitat, ut habet in Admon. ad Gentes. 2. quia magnus est inenarrabili magnitudine, & ex Patris substantiâ; utpotè qui sit in Patre ut consiliarius, & ut sapientia: sic enim loquitur lib. 1. Pædag. cap. 5. *Per Isaiam Prophetam narrat ejus magnitudinem: admirabilis consiliarius, Deus potens, Pater æternus* &c. *ô magnum Deum! ô pefrectum puerum! Filius in Patre, & Pater in Filio.* 3. describit eâ ratione immensitatem Verbi, lib. 7. Strom. & cæteras Dei perfectiones illi tribuit. *Nunquam enim à suâ excedit speculâ Dei Filius; ut qui non dividatur, non dissecetur, non transeat à loco ad locum: sit autem semper, ubique, & contineatur nusquam: tota mens, tota lux paterna, totus oculus, qui omnia videt, omnia audit, scit omnia.* Ibidemque docet eum indefessâ & inexhaustâ potentiâ cuncta operari, & omnia scire. Quæ sanè nonnisi Deo soli possunt competere. Addit adhuc Verbum undequàque esse diffusum; vel minima respicere quæ geruntur: quod etiam expressit his verbis in Admonit. ad Gentes: *Hic, per universam terræ faciem diffunditur, per quem effecta sunt omnia, pelagus bonorum.* Quid igitur superest inferendum, nisi divinitatis unius esse & ejusdem cum Patre?

3. Scientiam Dei, seu eam quâ Deus hominis cor scrutatur, ut & omnipotentiam Filio pariter tribuit. Ità enim habet lib. 4. Strom. *Justis appropinquat Dominus, & nihil eum latet ex nostris cogitationibus .... Dominum Jesum dico, qui omnipotenti suâ voluntate corda nostra intuetur.* Lib. 5. Strom. sic loquitur: *Verbum Patris universorum non est hoc quod profertur; sed sapientia, & Dei bonitas manifestissima.* Et rursùs: *Omnipotens potestas & verè divina, quæ non est ejusmodi, ut intelligentia non comprehendi possit vel ab iis qui non confitentur: voluntas, quæ omnia conti-et suâ omnipotentiâ.* Et iterùm: *Verbum autem quod progreditur, opificii causa est, & creationis. Deindè etiam seipsum generat, quan*

dò

do Verbum caro factum fuerit, ut etiam cadat sub aspectum. Quapropter naturâ suâ est invisibile Verbum, & omnipotens. Addit quoque Dei Filio nihil esse incomprehensibile, quod soli Deo, & Patri æquali competere potest. Præterea lib. 1. c. 1. pædag. ait Christum Deum, Deo Patri similem remittere peccata ut Deum. Item cap. 3. asserit eum visu perspicacissimo intima videre hominum corda. Et cap. 6. affirmat eum nihil didicisse, quia Deus erat. Idem in admon. ad gentes, docet Verbum esse Patri divino æquale, utpotè cum sit ejus filius: *Verbum divinum, qui reverà est Deus manifestissimus, qui est universorum Domino exæquatus; quoniam erat ejus filius.*

4. Adorationem Christo debitam jam ex ipso Clemente Alex. inseruimus, simulque Ecclesiæ professionem: hæc ad ejusdem veritatis confirmationem illius verba addemus ex admon. ad gentes: *Crede homo homini, & Deo; crede homo Deo viventi, qui passus est, & adoratur.... omnes homines credite ei, qui solus est Deus ex omnibus hominibus.* Idem lib. 5. Strom. super. art. citato scribit patrem non esse absque filio, nec in eum credi, quin credatur in filium. Lib. etiam 3. pædag. cap. ult. hæc habet: *Quod ergò restat in tali Verbi celebratione, Verbum orabimus: placare tuis, ô pædagoge, pueris; pater, auriga Israël, Fili & Pater, unum ambo, Domine. Da nobis.... ut sentiamus bonum Deum, & judicem non acerbum: præstaque ut cum undas peccati absque fluctibus tranaverimus, tranquilli cum S. Spiritu conveniamus, & gratias agamus, & laudemus unum patrem, & filium. Filium, inquam, pædagogum & magistrum, unà cum S. Spiritu, qui unus est omnia, in quo omnia, per quem omnia unum, cujus sunt gloria & secula, cui gloria nunc, & in secula seculorum, amen.* Filius igitur Deus unus est cum Patre; cum ipso adorandus est, & invocandus; author item omnium; & tandem tribus personis pari modo idem cultus est deferendus.

Addimus objectionem, quam prævertit & solvit lib. 7. ubi ex Heb. 1. v. 3. probat Servatorem esse Deum; & addit: *Quocircà Apostolus quoque appellavit filium, caractherem, seu typum gloriæ patris, qui veritatem de Deo docuerit, & expreßerit. Quod Deus & pater unus est, & solus omnipotens, quem nemo novit nisi Filius* &c. *unum autem esse Deum, per eos qui quærunt faciem Dei Jacob, indicatum est. Quem solum esse Deum Patrem bonum exprimit Servator noster & Deus:* Scilicet unus est Deus & Pater, excludendo Deos Ethnicorum, aut qui non sunt unus cum Patre Deus; non verò Filium, qui est unus cum illo Deus Aliam adhuc rationem affert, quòd nempè Christus solus sit Dei Filius.

Jam quæ fuerit Alexandrinæ & universalis Ecclesiæ fides, potuit ne manifestiùs exprimi? minimè sanè: Attamen, si tàm celebris Ecclesiæ Doctor, qualis Clemens Alexand. in Trinitariorum Sententiâ versatus fuisset, an eâ ratione disseruisset? Præsertim cum ex Ethnicis multi recens ad fidem adducti essent Christianâ doctrinâ imbuendi; & aliundè propugnanda foret contra Ethnicorum, & Judæorum calumnias Religio Christiana.

Tertullianus.

Tertullianus Ecclesiæ Catholicæ defensor, nunquam satis laudandus, docet adversùs Ethnicos, Judæos, & hæreticos, Verbum esse unum Deum cum Patre nomine, naturâ, adoratione, & professione. Idipsum nominatim probat adversus Praxeam, qui quidem cum Catholicis unicum esse Deum conveniebat; sed à Trinitate, ne plures Deos inducere cogeretur, abhorrebat. Hunc igitur confutat Tertull. tanquam novitatis hucusque inauditæ propalatorem; contenditque adversus eum à nascentis Ecclesiæ exordio hanc fuisse fidem, nempè unicum esse Deum, & tres personas. Laudavimus locum egregium ex capite 2. libri contra Praxeam excerptum. Est & alius locus ex cap. 9. art. sup. desumptus, ubi ait malè accipere idiotas, aut perversos, quòd diceretur, alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, quasi diversitas induceretur, in essentiâ scilicet: quæ sanè verba distinctionem quidem, & numerum inter personas indicant: non verò substantiæ diversitatem. *Non tamen*, inquit, *diversitate alium filium à patre, sed distributione: nec divisione alium, sed distinctione; quia non sit idem Pater & Filius.* Cap. etiam 1. asserit Patrem non esse Filium, nec Filium esse Patrem. Et cap. 11. affirmat Scripturas omnes Trinitatem personarum demonstrare: *Scripturæ omnes*, inquit, *& demonstrationem, & distinctionem Trinitatis ostendunt: Est enim ipse, qui pronuntiat, Spiritus; & Pater, ad quem pronuntiat; & Filius, de quo pronuntiat. Sic & cætera quæ nunc ad Patrem de Filio, vel ad Filium; nunc ad Filium de Patre; vel ad Patrem; nunc ad Spiritum sanctum pronuntiantur, unamquamque personam in suâ proprietate constituunt.* Cap. quoque 12. probat ex verbis, tùm Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem nostram*; tùm & Genes. tertio *Adam factus est tanquam unus ex nobis*, unicam in Deo non esse personam. Alius erat, inquit, pater, alius filius, duæ personæ, non substantiæ, ad distinctionem, non ad divisionem. Sic ergò ex ipso plures personæ sunt, & indivisam substantiam habent, nempè divinam: cum autem duos habere divinitatem indè instarent adversarii. Ergò duos Deos prædicas: absit, inquit, secundum œconomiam dicimus, ad distinctionem, non ad divisionem; seu duas personas distinguimus, quæ non habent divisam naturam. Addit insuper Patrem alium esse à Filio, personâ scilicet: *Duos tamen Deos, & duos Dominos nunquam ex ore nostro proferimus, non quasi non & Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus Sanctus Deus, & Deus unusquisque.* Ait autem duos ità esse dictos, ut Christus cum venisset, Deus agnosceretur; & ideò Rom. 9. v. 5. vocari Deum super omnia benedictum; quia uterque idem Deus est, utpotè habens indivisam divinitatem; quod hâc comparatione illustrat: *Nam*, inquit, *& radium solis seorsùm solem vocabo: solem autem nominans, cujus est radius, non statim & radium solem appellabo. Nam etsi soles duos faciam, tamen & solem, & radium ejus tam duas res, & duas species unius & indivisæ substantiæ numerabo, quàm Deum, & sermonem ejus à*

quàm Patrem, & Filium. Idem repetit cap. 14. 21. 22. 26. & aliis ejusdem libri suprà laudatis.

Prætereà Verbi divini naturam propriis & singularibus argumentis delineans, asserit Verbum esse unum naturâ, potestate, substantiâ cum Patre Deum. Sic enim habet cap. 2. lib. contra Praxeam: *Quia Filius sermo ipsius, qui ex ipso processerit. . . . unius autem substantiæ, & unius statûs, & unius potestatis, quia unus Deus.* Cap. 3. Praxeæ sic arguenti: igitur contra fidei, quæ plures Deos removet, legem peccatis: *Quoniam & ipsa regula fidei à pluribus Diis seculi ad unicum & verum Deum transfert:* Respondet, & demonstrat contra fidei regulam non peccari: *Non intelligentes unicum quidem, sed cum suâ οἰκονομίᾳ esse credendum; expavescunt ad οἰκονομίαν: numerum, & dispositionem Trinitatis, divisionem præsumunt unitatis, quandò unitas ex semetipsâ derivans trinitatem, non destruatur ab illâ, sed administretur. Itaque duos & tres jam jactitant à nobis prædicari; se verò unius Dei cultores.* Et cap. 4. *Filium*, inquit, *non aliundè deduco, sed de substantiâ Patris . . . hoc mihi & in tertium gradum dictum sit, quia Spiritum non aliundè puto, quàm à Patre per Filium.* Hæc iterùm toto opere tradit, & præsertim cap. 1.. ubi illam in Patre, Filio, & Spiritu S. substantiæ unitatem variis comparationibus ex fonte, radice, & sole ductis illustrat: *Ego verò*, inquit, *audebo ità differere. Sicut radix fruticem, & fons fluvium, & sol radium emittit, nec frutex tamen à radice, nec fluvius à fonte, nec radius à sole discernitur; sic nec à Deo sermo. Igitur secundum horum exemplorum formam, profiteor me duos dicere, Deum & sermonem ejus; Patrem, & sermonem ipsius: nam & radix, & frutex res duæ sunt, sed conjunctæ; & fons, & flumen duæ species sunt, sed indivisæ.* Porrò his comparationibus usus non esset ad exponendam pro virili & confidentiùs, ut habet, divinam naturam in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, quem ibi patri, & filio adjungit, nisi pater, filius, & Spiritus Sanctus essent unus Deus, juxta fidem tunc temporis receptam.

In aliis operibus nomine totius Ecclesiæ, ut hîc adversus hæreticos & ethnicos, idem profitetur. In apologetico quippè cap. 21. Christianos probat non esse cultores hominis, sed Dei; quia Christus est homo-Deus: *Tunc*, inquit, *ex Deo prolatum didicimus, ex prolatione generatum, & idcircò filium Dei, & Deum dictum ex unitate substantiæ: nam & Deus Spiritus.* Sic ergò quia filius, & ex Dei substantiâ, quæ in plures dividi non potest; ideò plures Deos non esse Patrem, & Filium concludit: communicationem autem ejusdem naturæ comparatione jam superiùs allatâ quodammodo explicat, scilicet solem esse in radio, nec separari substantiam, sed extendi: Ità de Spiritu, *Spiritus, inquit, & de Deo Deus*; & paulò post, *quod de Deo profectum est, Deus est, & Dei Filius, & unus ambo.*

Idem Tertullianus cap. 6. lib. contra Marcionem, qui plures Deos invehebat, tradit eandem in Patre, & Filio esse substantiam; nec diversum esse Christum à Deo veteris Testamenti; cum Filius ex ejus sub-

ſtantiâ ſit. Item lib. 4. cap. 20. & 25. probat adverſus hunc hæreticum, unicum eſſe Deum. Æqualem etiam eſſe filium patri variis probat argumentis : Nam lib. contra Praxeam cap. 5. & cap. 22. attendens ad hæc Christi verba ex Joan. 10. deſumpta : *Ego & pater unum ſumus :* ſic habet, *Unum ſumus, dicens, ego & pater, oſtendit duos eſſe, quos æquat, & ſejungit.* Lib. quoque de reſurr. carnis cap. 6. ſic habet : *Fecit hominem Deus, id utique quod finxit; ad imaginem Dei fecit illum, ſcilicet Chriſti; & ſermo enim Deus, qui in effigie Dei conſtitutus, non rapinam exiſtimavit pariari Deo :* quo nihil expreſſius proferri poteſt. Ità etiam ſcribit lib. de orat. cap. 2. *Dicendo autem patrem*, nimirùm *(Pater noſter qui es &c.) Deum quoque cognominamus ..... in patre filius invocatur. Ego enim*, inquit, *& pater unum ſumus.*

Filium adhuc coæternum eſſe Patri pluribus docet idem Tertullianus; Et ideò dici primogenitum, quia ab æterno genitus eſt, & ante omnia; & unigenitum, quia ſolus ex Deo genitus : ità cap. 7. l. contrà Prax. Idem cap. 5. refellit quoſdam, qui Geneſis initium ità legebant : *In principio Deus fecit ſibi Filium*, quaſi creatus eſſet Filius : Sic autem legendum non eſſe contendit; quandoquidem conſtat Filium ante mundi creationem extitiſſe; quia licet eo ſenſu Deus fuerit ſolus, quòd nihil extrà Deum eſſet, nunquam tamen ſine filio fuit, quia intrà ſe rationem ſuam habebat, nempè Filium. *Aiunt quidem*, inquit, *& Geneſim in Hebraico ità incipere : In principio Deus fecit ſibi Filium. Hoc ut firmum non ſit, alia me argumenta deducunt, ab ipſâ Dei diſpoſitione, quâ fuit ante mundi conſtitutionem ad uſque Filii generationem : Ante omnia enim Deus erat ſolus, ipſe ſibi & mundus, & locus, & omnia. Solus autem : quia nihil aliud extrinſecùs præter illum. Ceterùm ne tunc quidem ſolus; habebat enim ſecum, quam habebat in ſemetipſo, rationem ſuam ſcilicet : rationalis enim Deus, & ratio in ipſo priùs : Et ità ab ipſo omnia. Quæ ratio, ſenſus ipſius eſt, hanc Græci λόγον dicunt, quo vocabulo etiam ſermonem appellamus. Ideòque jam in uſu eſt noſtrorum per ſimplicitatem interpretationis, ſermonem dicere in primordio apud Deum fuiſſe; cum magis rationem competat antiquiorem haberi : quia non ſermocinalis à principio, ſed rationalis Deus etiam ante principium : Et quia ipſe quoque ſermo ratione conſiſtens priorem eam ut ſubſtantiam ſuam oſtendat; tamen & ſic, nihil intereſt. Nam etſi Deus nondum ſermonem ſuum miſerat, proindè eum cum ipſâ ratione intra ſemetipſum habebat.* Et cap. 7. duplicem Verbi nativitatem diſtinguit, æternam ſcilicet, cum in ratione Sophiæ generatus eſt; & temporalem, cum prodiit exteriùs ad res omnes creandas : *Hæc eſt*, inquit, *nativitas perfecta ſermonis, dum ex Deo procedit : conditus ab eo primùm ad cogitatum in nomine Sophiæ : Dominus condidit me initium viarum. Dehinc generatus ad effectum : cum pararet cœlum, aderam illi ſimul. Exindè eum parem ſibi faciens, de quo procedendo Filius factus eſt primogenitus, ut ſolus ex Deo genitus : propriè de vulvâ cordis ipſius, ſecundum quod & Pater ipſe teſtatur, eructavit, &c.*

Ejusdem Verbi æternitatem ex Incarnatione repetit ipse Tertullianus, nempè quòd Christus, quà Deus, fuerit antequàm incarnaretur; ut qui Mosem & Prophetas ipse fuerit allocutus, illisque se videndum præbuerit:Ità lib. 2. contrà Marcion. cap 27. quo argumento adversùs hunc hæreticum utitur, ut probet Christum Novi Testamenti Deum, Deo Veteris Testamenti non fuisse adversatum: *Ipsum congressum cum Patriarchis & Prophetis, Filium Creatoris, sermonem ejus, quem ex semetipso proferendo Filium fecit, ut exindè omni dispositioni suæ, voluntatique præfecit.* Et lib. contrà Judæos cap. 9. *Qui ad Mosem loquebatur, ipse erat Dei Filius, qui & semper videbatur. Deum enim Patrem nemo vidit unquam, & vixit; & ideò constat ipsum Dei Filium Moysi esse locutum, & dixisse ad populum; Ecce ego mitto Angelum meum antè faciem tuam.* Et lib. de præscript. cap. 13. ait, *Verbum Filium ejus appellatum fuisse in nomine Dei variè visum Patriarchis, in Prophetis semper auditum, postremò delatum ex Spiritu Dei Patris, & virtute in Virginem Mariam, carnem factum in utero ejus ..... misisse vicariam vim Spiritûs sancti qui credentes agat.* Item lib. 5. contrà Marcion. cap. 8. docet Verbum totam Divinitatis substantiam habuisse antequàm caro fieret: *In quo Christo consistere haberet tota Substantia Spiritus, non quasi posteà obventura illi, qui semper Spiritus Dei fuerit, antè carnem quoque: nec ex hoc argumenteris Prophetiam ad eum Christum pertinere, qui ut homo tantùm ex solo censu David, posteà consecuturus sit Dei sui Spiritum.*

Immutabilitatem Verbi non minùs expressè docet idem Tertullianus; tùm in lib. contrà Praxeam; tùm & aliis in libris, ubi asserit mutatum non fuisse Verbum, quando carnem induit. Sic enim loquitur lib. de carne Christi cap. 3. *Non potes dicere: si natus fuisset, & hominem verè induisset, Deus esse desiisset, amittens quod erat, dum assumit quod non erat. Periculum enim statûs in Deo nullum est.* Idipsum probat ex Angelis quorum pedes lavit Abraham, quorum manibus ereptus est Loth. *Si igitur*, inquit, *Angeli conversi in corpulentiam humanam, Angeli nihilominùs permanerent, hoc tu potentiori Deo aufers, quasi non valuerit Christus verè hominem indutus, Deus perseverare.* Et c. 14. *Infrà Angelos diminutus, dum homo fit .... quà autem Spiritus Dei, & virtus Altissimi, non potest infrà Angelos haberi.* Addit c. 18. non decuisse ex humano semine Dei Filium nasci.

Hanc Verbi immutabilitatem aliis illustrat rationibus, docens scilicet, ideò Christum, quà Deum, nec fuisse morti, nec passionibus obnoxium. Ità lib. contrà Prax. cap. 2. jam adducto; necnon cap. 29. ubi dicit Christum, non in divinâ, sed in humanâ naturâ esse passum: *Quanquam, cum duæ Substantiæ censeantur in Christo Jesu, divina & humana, non stet autem immortalem esse divinam, sicut mortalem quæ humana sit; apparet, quatenus eum mortuum dicat: id est, quà carnem, & hominem, & Filium hominis; non quà Spiritum, & sermonem, & Dei Filium.* Et infrà: *tàm autem incompassibilis Pater est, quàm im-*

passibilis etiam Filius ex eâ conditione, quâ Deus est. Quam omnem doctrinam, amplissimâ professione complectitur, duas, videlicet divinam & humanam, in Christo naturas verè fuisse conjunctas testificatus. Hincque à Christo phantasma removet, & peccatum: nam lib. de carne Christi cap. 5. Marcionitas, qui phantasticam tantùm Christo carnem tribuebant, impugnans, Christum æquè Deum ac hominem fuisse probat: *Sicut*, inquit, *nec Deus sine Spiritu Dei; nec Dei Filius sine Deo Patre: Ità utriusque Substantiæ census hominem & Deum exhibuit: Hinc natum, indè non natum; Hinc carneum, indè spiritualem ..... Quid dimidias mendacio Christum? totus veritas fuit.* Et lib. secundo contrà Marcion. cap. 27. *Miscente*, inquit, *in semetipso hominem, & Deum; in virtutibus Deum; in pusillitatibus hominem; ut tantùm homini conferat, quantùm Deo detrahit: totum denique Dei mei penes vos dedecus, sacramentum est humanæ salutis. Conversabatur Deus, ut homo divinè agere doceretur. Ex æquo agebat Deus cum homine, ut homo ex æquo agere cum Deo posset.* Ait autem Christum à peccato fuisse immunem lib. de animâ cap. 41. *Solus enim Deus*, inquit, *sine peccato; & solus homo sine peccato Christus; quia & Deus Christus.* Item lib. 4. contrà Marcion. cap. 9. *Tetigit Christus Leprosum, à quo etsi homo inquinari potuisset, Deus utiquè non inquinaretur.* Lib. etiam 5. cap. 20. *Æquè non erit Deus Christus verè, si nec homo verè fuit in effigie hominis constitutus: Utrobiquè enim veritas necesse habebit excludi, si effigies & similitudo & figura phantasmati vindicabitur. Quod si in effigie & imagine, quâ Filius Patris verè Dei prædicatus est, etiam in effigie & imagine hominis, quâ Filius hominis, verè hominem inventum ..... Sic & Deus inventus est per virtutem, sicut homo per carnem.*

Omnipotentiam Christo ut Creatori tribuit etiam Tert. lib. contra Prax. cap. 7. mox citato, & lib. 4. cap. 9. & lib 5. cap. 20. contra Marc. hanc, quam suis in libris erat professus, Ecclesiæ unanimem, & ubique ab initio receptam de Verbi divinitate fidem esse docet; probatque, tùm ex fidei symbolo lib. contra Prax. cap. 1. & 2. jam relatis; tùm ex adoratione palàm ab omnibus Christo delatâ: sic enim habet lib. cont. Judæos cap. 7. *Christi autem regnum & nomen ubiquè porrigitur, ubique creditur, ab omnibus gentibus suprà enumeratis colitur, ubique regnat, ubique adoratur, omnibus ubique tribuitur æqualiter; non Regis apud illum major gratia, non barbari alicujus imperiosi lætitia, non dignitatum, aut natalium cujusquam discreta merita, omnibus æqualis, omnibus Rex, omnibus Judex, omnibus Deus & Dominus est.* Eadem repetit adversus Ethnicos in apolog. cap. 1.

Quibus certè omnibus nihil clarius, nihil apertius adjici potest: nec in mentem venisset Praxeæ, Filium, & Spiritum sanctum unam & eandem cum Patre personam constituere, nisi Ecclesia tres personas unum esse Deum fuisset professa: hinc enim colligebat hæreticus: igitur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt unica persona, sicut & unicus Deus.

De posteriori dogmate, Dei scilicet unitate, cum Praxeâ conveniebat Tert. de alio à Praxeâ cum Catholicis dissentiebat. At Sociniané sentiens Tert. nonne in eandem cum Praxeâ sententiam subitò descendisset? Pariter an Judæis, an Ethnicis, an Marcionitis, aut Christum merum esse hominem, aut phantastico tantùm corpore fuisse indutum, vel minorem esse Deum contendentibus, fuisset adeò constanter reluctatus? non quidem, ut vel attendenti cuilibet, Fidei Catholicæ licet infenso, fiet obvium.

Origenes.

Origenes vir eruditissimus, eandem superiorum temporum fidem apertè profitetur, præsertim in genuinis contra Celsum operibus: ejus enim opera plurima variis erroribus conspersa fuisse non diffitebitur, qui Origenem ejusque defensores audierit. Ex corruptis tàm eximii viri libris nihil, nisi à Sanctis Patribus pro vindicandâ contra Arianos catholicâ doctrinâ laudatum, proferemus.

Verbum, seu Filium Dei, esse unum cum Patre Deum probat Orig. lib. 8. contra Celsum: objiciebat quippè Celsus non esse cur Ethnicos incusarent Christiani, quòd plures Deos colerent; cum ipsi Christiani Christum pro Deo haberent. Respondet autem Origenes non pluribus Diis servire Christianos, licet Patri, & Filio servirent; cum unus & idem Pater, & Filius essent: *Unum igitur Deum*, inquit, *Patrem, & Filium colimus.* Et ex his Scripturæ locis: *Ego & Pater unum sumus: Pater in me est, & ego in Patre:* unum esse Deum patrem, & filium probat. Refellit etiam alium errorem, scilicet recens exortum esse Christum, quia, ut habet: *Illi credimus dicenti, antequam Abraham esset, ego sum.* Joan. 8. & credimus eum esse *veritatem*; & veritatis essentiam fuisse ante adventûs Christi tempora; Patrem, & Filium duos esse substantiâ, unum verò *concordiâ, & voluntatis identitate*; & qui videt Filium, videt & Patrem Deum, ut in Dei imagine. Locus extat art. super. Patrem ergò, & Filium unum substantiâ fecit, distinctos verò personâ. Et sanè, si diversitatem substantiæ in patre & filio agnovisset Origenes, non solvisset Celsi argumentum; imò in Ethnicorum sententiam, quam impugnabat, descendisset: hæc ergò fuerat Origenis doctrina, filium scilicet esse unum cum Patre Deum.

Illustratur admodùm hæc sententia ex objectione hæreticorum asserentium Filium Dei non esse Deum, ne duo Dii dicerentur; sed esse unum Deum Patrem, & unum Dominum Christum, idque probantium ex 1. Cor. 8. v. 6. *Unus Deus Pater, ex quo omnia; & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia.* Namque respondet lib. 7. in epist. ad Rom. in hæc verba, *veritatem dico*, Apostolum asserere Christum esse super omnia Deum. Et sicut in isto loco non negatur quin pater sit Dominus, licet Christus dicatur unus Dominus; ità Christus non negatur Deus, licet pater dicatur unus Deus.

Attributa Dei essentialia filio competere docet idem Orig. ut æterni-

tatem, quam ipsi tribuit verbis illis, quæ refert S. Athan. lib. de decretis Synodi Nic. *Cum Christus sit similitudo Patris; fieri non potest, ut fuerit, quandò non fuerit: quandò enim Deus qui secundum Joannem lux dicitur, splendore caruit suæ majestatis, ut quis audeat filio principium adscribere, quasi anteà non existenti? Cogitet secum quicumque audebit dicere, Erat, quandò non erat filius, se hoc ipsum dicere, Erat quandò sapientia non erat, quandò ratio non erat, quandò vita non erat.* Idem Origenes alibi dicit, ut habet ibidem S. Athan. *Sed fas non esse, quantùm in nobis est, spoliare Patrem unigenito suo, semper secum existente verbo.* Item in commentariis in epist. ad Rom. quæ, ut ex præfat. patet, non Rufinus, sed S. Hieron. interpretatus est, ità scribit: *Non prædestinatus est, ut esset filius Dei, inquit; sed destinatus: semper enim fuit sicut pater; factus est quidem secundum carnem quod priùs non erat, non secundum spiritum.*

Attributa quoque divina in abstracto sumpta Christo impertit lib. 6. contra Celsum, & ait hominem esse ad Dei imaginem conditum, seu ad imaginem *Verbi*, quod est *justitia*, & *veritas*; summumque interesse discrimen inter esse Dei imaginem, & fieri ad imaginem: Dei imaginem, quâ homo exornatur, in animâ & animæ virtutibus sitam esse, seu in justitiæ communione; Verbum autem, seu Christum esse ipsam Dei justitiam: *Servator noster*, inquit, *non est particeps justitiæ, sed cum ipse sit justitia, participatur à justis.*

In eodem lib. docet Christum esse invisibilem, & incomprehensibilem: *Qui cum in principio apud Deum esset; propter carni cohærentes, & carnales, caro factus est: ut caperetur ab eis, à quibus alioquine videri quidem poterat, in quantum Verbum erat, & apud Deum erat, & Deus erat: nunc corporaliter loquens, &, ut caro se præbens, ad se vocat omnes carneos.* Tradit etiam eum invisibilem & incomprehensibilem esse æquè ac patrem, quâ patri est magnitudine æqualis, quâ ei pater suam magnitudinem communicavit, & magnitudine suâ imaginem Patris refert; alioquin patrem non perfectè referret.

Immensitatem etiam Filio tribuit lib. 4. contra Celsum, ubi contendit Christum, cum è cœlo descendit, nec mutasse locum, nec solium deseruisse, cum repleat totum orbem, quod ex Jerem. 23. & Act. 17. probat. Item lib. 6. contra eundem filio tradit omnes patris perfectiones: *Communicavit enim*, inquit, *suam magnitudinem cum unigenito & primogenito creaturæ totius; ut, cum invisibilis Dei sit imago, magnitudine quoque imaginem Patris referat; alioqui non habitura erat imago invisibilis Dei, pulchram, ut ità loquar, proportionem, nisi magnitudo etiam accederet.*

Omnipotentiam ei tribuit lib. 1. de principiis cap. 2. ex Apoc. 1. v. 8. *Hæc dicit Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens: quis est alius, nisi Christus? & sicut nemo debet offendi, cum Deus sit pater, quòd etiam Salvator est Deus: ità & cum omnipotens Deus pater, etiam nullus debet offendi, quòd etiam filius omnipotens dicitur.*

dicitur. Hoc modo namque verum erit illud quod ipse dicit ad Patrem, omnia mea, tua sunt; & omnia tua, mea; & glorificatus sum in eis. Si verò omnia quæ Patris sunt, Christi sunt: inter omnia verò quæ sunt Patris, est etiam omnipotens; sine dubio etiam unigenitus Filius debet esse omnipotens, ut omnia quæ habet Pater, etiam Filius habeat.

Ex Incarnationis mysterio, quod pluribus in locis explicuit, palàm est, quæ fuerit Origenis circà divinitatem Filii sententia; aut potiùs quæ tunc fuerit totius Ecclesiæ doctrina; præsertim ex operibus indubitatis contra Celsum, in quibus sibi proponit ostendere nullius esse momenti argumenta, quæ Celsus congesserat ex Ethnicorum monumentis, & calumniis Judæorum adversus Christi divinitatem; nec proindè Christianos in Ethnicorum superstitiones relabi, Patrem, & Filium licet adorarent. Id patet ex lib. 1. contra Celsum, ubi cùm instaret, ipse Celsus, cur fugit in Ægyptum, si Deus sit Christus? Respondet: Credimus illum Deum, & hominem fuisse: sed ideò fugisse; quia erat necesse, ut humano more vitam ageret, nec divinitatem in infantiâ, potentiam, & sapientiam manifestaret. Si autem Christum non esse Deum verum censuisset Origenes ipsi per facile fuisset Celso respondere, nihil mirum, si occultarit se Christus, & instar cæterorum hominum fugerit, cum non fuerit Deus. At verum esse Deum contendit, respondetque corpus, & animam non fuisse Deum, sed Dei instrumenta; & ideò, ut dictum est suprà, humanâ cum ratione vixisse, atque obiisse, quia voluit, ut est in Evangelio. Addit etiam Judæorum fuisse Christo fidem adhibere; quòd cum Scripturæ tàm clarè demonstrarent: quòd miraculis juxtà Prophetas divinitatem suam probaret; quòd Discipulis se usque ad seculi consummationem affuturum polliceretur; & quod tandem quæ ante mortem pollicitus erat, mortuus impleverit.

Addit adhuc meritò accusari Judæos à Christianis, quòd Christum Deum minimè agnoscerent, cui tot in locis Prophetæ testimonium præberent, & qui de se dicit, *Ego sum veritas, & via.*

Lib. quoque 3. scribit Verbum fuisse Dei filium, & Deum, antequàm corpus humanum indueret. Cum autem vitio verteret Celsus, quod Christum hominem pro Deo colerent Christiani; sic respondet Origenes: *Attamen sciant isti criminatores, hunc Jesum, quem jam olim Deum esse credimus, Deique filium, ipsum esse Verbum, veritatem, sapientiam: cæterùm mortale ejus corpus, & humanam animam, illius Verbi non solùm communicatione, sed etiam unitione & permixtione tantum divinitatis assumpsisse, ut Deus fieret.*

Adorationem insuper Christo delatam fuisse refert Origenes; & ideò à Magis thus oblatum ei fuisse, quia Deus erat. Porrò autem soli Deo, & orbis creatori deferri posse adorationem scribit lib. 1. contra Cels. & nulli creaturæ tribui posse sine divinitatis injuriâ; sed Christo, & ejus nomini exhibendum esse hunc honorem. Lib. 5. alio argumento idem probat, & ait Deos quidem dici Angelos quandòque, propter divinitatis quamdam communicationem; sed non adorari: orationes verò ad

Deum per Verbum, & ad Verbum esse dirigendas; Verbumque Deum esse: *Hos Spiritus, Angelos ex officio suo nominare docti, invenimus propter divinitatem quamdam interdum Deos vocari à sacrâ Scripturâ; sed non sic, ut jubeamur eos adorare, aut divinis honoribus colere; quamvis dona Dei nobis afferant. Omnia enim vota, omnes interpellationes, deprecationes, & gratiarum actiones destinandæ sunt ad Deum rerum omnium Dominum, per majorem omnibus Angelis summum Pontificem, vivum Verbum, & Deum: gratias agemus etiam ipsi Verbo, interpellabimus, vota & preces ei offeremus.* Miratur etiam ibidem Origenes quomodò Celsus crocodilis delatum honorem legibus firmatum probet; damnet verò cultum à Christianis exhibitum virtuti, quam Dei filium, justitiam, & sapientiam dicit, & nobis factum sanctificationem, & redemptionem: *Ergò etiam si secundum Deum dicamus; sciant quod his verbis nihil aliud dicimus, quàm virtutem in se omnes virtutes continentem, & rationem quæ totius rerum naturæ ad utilitatem universorum potissimùm factæ rationem complectatur; quam cum Jesu animâ longè præ cæteris animabus unicam cohæsisse tradimus; quòd ea sola perfectè capax sit ipsius Verbi summæ participationis, & sapientiæ, justitiæque ipsissimæ.* Idem initio lib. 8. Verbum Deum precatur, ut sibi adsit. Lib. quoque 6. scribit orphanos hæreticos esse, non Christianos, ut qui Jesum nec Deum, nec magistrum, nec Dei filium dicerent. Item lib. 8. observat alios quosdam extitisse hæreticos, qui filium majorem patre facerent: hos confutat, docetque patrem filio majorem dici; sic tamen, ut patri non subjiceretur: licet enim ille quà Verbum & sapientia, imperium habeat, patri propterea non imperat. Quam quidem hæresim esse maximè occultam animadvertit ipse Origenes.

In aliis operibus extant istis consentanea; nam in cap. 10. ad Rom. in hæc verba: *Quomodò ergò invocabunt*: probat Christum esse reverà Deum ex Apostolo, quia invocandus est, & adorandus. Item Christum omnia nota habuisse cordis arcana probat in cap. 13. Math. Et præfat. in Joan. ait nullum Evangelistarum tàm purè divinitatem exposuisse, quàm Joan. Addit adhuc Servatorem nihil ignorare; quia est veritas: esse summè bonum; quia cum patre æterno universorum Deus est: esse æternum; quia illi à Deo dictum est Ps. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

Non est ergò cur miretur Socinianus, quòd à S. Athan. & aliis contra hæresim Arianam tantoperè grassantem Origenes laudatus fuerit. Puduisset proculdubiò tantum Præsulem Origenis fidem Ariano dogmati opponere, nisi certò constitisset de illius fide catholicâ. Arianis enim præsto fuisset hanc authoritatem subitò repellere, & Origenem opponere ipsi Origeni. Sed quâ ratione id obtinuissent Ariani? An Judæorum, & Ethnicorum adversus Christi divinitatem argumenta sic convellenda suscepisset Origenes, nisi sensisset catholicè? Ergò cum Orientali Ecclesiâ, Alexandrinâ scilicet, Cæsariensi, & Hierosolymitanâ; imò & cum universali Ecclesiâ, Catholicam de Filii divinitate doctrinam semper est professus.

S. Gregorius Thaumaturgus.

S. Gregor. Thaumat. Neocæsariensis Episcopus, discipulus Origenis, vir sanctitate & miraculis commendatus, asserit tres personas unum esse Deum; & Verbum, seu Filium, esse unum cum Patre Deum: id enim constat tùm ex S. Basil. Epist. 64. tùm ex S. Greg. Niss. super. art. citato. Addere illud quoque possumus, nempè in confessione illâ fidei, quam ex eo refert S. Greg. Niss. Filium dici sapientiam subsistentem; perfectum ex perfecto; sapientiam omnia comprehendentem; virtutem, quâ potuerunt fieri creaturæ; sempiternum ex sempiterno: item Trinitatem perfectâ majestate, & sempiternitate, & regno minimè dividi; nihil in eâ esse factum, aut serviens; immutabilem esse Trinitatem; Filiumque Patri nunquam defuisse. Idem in orat. ad Origenem Verbum appellat veritatem, & sapientiam, & Deum.

Minutius Felix.

Minutius Felix in Octavio ex eo Christi divinitatem repetit, quòd in eo spes collocetur; eosque pariter deridet, qui Christum dicerent mortalem instar aliorum: *Qui putatis*, inquit, *Deum credi, aut meruisse noxium, aut potuisse terrenum. Næ ille miserabilis, cujus in homine mortali spes omnis innititur: totum enim ejus auxilium cum extincto homine finitur.*

Sanctus Cyprianus.

S. Cyprianus Carthaginensis Episcopus, Martyr, & Doctor celeberrimus, necnon Africanæ simul & universæ Ecclesiæ testis illustrissimus, tùm circa S. Trinitatis mysterium, tùm circa Filii Dei, & Christi consubstantialitatem superioribus Patribus in omnibus consentit: huic autem, ut ampliùs ex infrà dicendis patebit, consentiunt, S. Cornelius Episcopus Rom. & S. Firmilianus Cæsareæ in Cappadociâ Episc. Et proindè in S. Cypriani operibus occurrunt Ecclesiarum, Romanæ, Africanæ, & Orientalis, fidei testes, qui sanctitate & eruditione antiquorum nulli cedunt, nec possunt inferiores haberi. De Trinitate autem S. Cypriani fides, & Ecclesiæ Africanæ art. super. refertur in epist. 73. ad Jubaj. in epist. 7. ad Magnum, & in serm. de orat. Dominicâ; & rem jam confectam rursùm conficimus, cum de Christi seu Filii divinitate probationes peculiares congerimus. Iterùm personas tres unum esse Deum Sanct. Cyprianus demonstrat lib. 2. ad Quirinum contra Judæos, & probat Christum seu Filium Dei esse, verum, & cum Patre Deum unum; quia Dei est Filius unigenitus, Patris sapientia, & potestas: docet enim cap. 1. Christum esse primogenitum, & sapientiam Dei: cap. 3. esse Verbum: cap. 4. manum & brachium Dei. In eodem quoque lib. cap. 1. tradit eum esse æternum, & creatorem: cap. 5. Patriarchis apparuisse: cap. 6. Deum esse: cap. 7. à principio Dei Filium existere: cap. 8. hominem, & Deum esse. In eodem etiam libro cap. 9. scribit Christum esse hominis æquè ac Dei Filium: *Homo, & Deus Christus, ex utroque genere concretus; ut mediator esse inter nos & Patrem posset.*

In aliis suis operibus Christum Deum, & hominem esse semper docuit ipse S. Cyprianus. Etenim in epist. 47. ad Cornelium, gratias agit Deo Patri, & Christo Deo nostro. In epist. 74. ad Pompeium, blasphemari ait in Dominum Deum Christum. Item Christum esse adorandum docet lib. de bono patientiæ, utpotè verum Deum: hæc sunt ejus verba: *Pater Deus præcepit Filium suum adorari, & Apostolus Paulus divini præcepti memor ponit, & dicit: Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum: & in Apocalypsi, Angelus Joanni volenti adorare se resistit, & dicit: Vide ne feceris, quia conservus tuus sum, & fratrum tuorum: Jesum Dominum adora.*

S. Cornelius Papa.

S. Cornelius epist. ad S. Cypr. quæ est 46. inter ejus epistolas ità loquitur: *Nec ignoramus unum Deum esse; unum Christum esse Dominum, quem confessi sumus; unum Spiritum sanctum; unum Episcopum in Ecclesiâ Catholicâ esse debere.*

Sanctus Firmilianus.

S. Firmilianus in epist. ad S. Cypr. art. super. citatâ, eandem astruit veritatem. Jam verò potest-ne magis esse perspicua fidei professio; si attendatur tunc temporis in more fuisse receptum, ut primatum Sedium Episcopi sua secum opera communicarent, præsertim ubi singularis animorum conjunctio accedebat; cujusmodi S. Cornelium inter, & S. Cyprianum semper intercessit. Porrò autem S. Cyprian. adeò eam de trium personarum divinitatis unitate fidem vigere supponit, ut de illâ redeuntes ab hæresi hæreticos interrogari velit, ut patet ex epist. ad Jubaj. art. super. citatâ.

Novatianus.

Novatianus Ecclesiæ Romanæ Presbyter eruditus admodùm, posteà adversus Cornelium Papam schismatis author cum suis, Sanctissimæ Trinitatis fidem, etiam in schismate, cum Catholicâ Ecclesiâ quam deseruerat, servabat: quod consensionis universalis argumento est invicto. Hanc exponit lib. de Trinit. An librum istum unitatis catholicæ particeps, an in schismate scripserit? ignoro. Trinitatis sacrosanctæ unitatem, & Christi divinitatem apertè omninò confirmat, & asserit Christum esse unum Deum cum Patre, nomine, naturâ, adoratione, & professione. Duplicem ibi hæresim impugnat. Adversus primam, quæ Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, unam esse personam docebat, argumenta Tertulliani fermè omnia congerit.

Adversus alteram, quæ Christum hominem tantùm dicebat, probat Christum esse Deum, & unum cum Patre Deum. Quia autem Ecclesiæ fidei professionem de Trinit. emittit; ideò ab ejus professione incipio.

mus. Cap. 1. asserit ubique credi Deum unum esse & solum; & trinum in personis: *Regula*, inquit, *veritatis exigit, ut primò omnium credamus in Deum Patrem omnipotentem* &c. Cap. 9. *Eadem regula veritatis docet nos credere post Patrem, etiam in Filium Dei Christum Jesum Dominum Deum nostrum, sed Dei Filium, hujus Dei, qui & unus, & solus est.... in veteri Testamento promissum, in novo exhibitum.* Cap. 29. addit professionem in Spiritum Sanctum: *Ordo*, inquit, *rationis, & fidei authoritas, digestis vocibus & litteris Domini, admonet nos post hac credere etiam in Spiritum Sanctum olim Ecclesiæ repromissum* &c.

Verbum autem unum esse Deum cum Patre, cum adversariis, qui personæ unitatem ex divinitatis unitate inferebant, supponit, & observat c. 18. ex hæreticis quosdam scripturarum pondere ad divinitatem Christi agnoscendam adductos, eundem cum Patre dixisse, Deumque simul Patrem, & Filium asseruisse: alios autem ideò corporis veritatem ei detraxisse, ne tam humili divinitatis cum corpore confœderatione divinitas infirmaretur. Cap. 30. quòd eodem principio niterentur scilicet, quia unicus erat Deus; tùm ii qui unicam in Deo personam agnoscerent; tùm qui Christum merum esse hominem profiterentur; cum utrisque de principio convenit, unum scilicet esse Deum. Et addit cap. 12. adversariis ità certum fuisse Christum esse Deum, ut cum illi divinitatem negare non possent, eandem illum cum Patre personam facerent.

Non mediocriter illustratur ejus doctrina circa unitatem divinitatis in Patre, & Filio ex solutione argumentorum, quæ adversarii proponebant. Cap. 30. sic colligebant, inquit, isti: *Si non Pater sit Christus, dum & Deus Filius Christus: duo Dii contra Scripturas introducti esse videntur.* Ità etiam alii: *Si alter Pater, alter est Filius: Pater autem Deus, & Christus Deus; non ergò unus Deus, sed duo Dii introducuntur pariter, Pater & Filius; ac si unus Deus, consequenter homo Christus; ut meritò Pater sit Deus unus.* His autem ità respondet: *Nos enim & scimus, & legimus, & tenemus unum esse Deum, qui fecit cælum ac terram &c. sed quomodò hoc tenemus, & legimus, & credimus, sic Scripturarum cælestium nullam partem prœterire debemus.* Deindè laudat Scripturæ loca, quæ docent unum esse Deum, & quæ tradunt etiam Verbum & Christum esse Dominum, & Deum: ità retundit adversarios: Ex eorum enim ratiocinatione sequeretur duos esse quoque dominos. Cap. 31. probat unum esse Deum Patrem, & Filium, duæ licet personæ sint; quia non duo sunt innati, sed ex Patre natus est Filius; ita ut sit incomprehensibilis ejus divinitas, & ab æterno, quia ante tempus. Et quia Pater est ab æterno Pater, Filium tantùm præcedere concipitur, quia originis est principium, sed coæternum. Si autem duo essent innati, duo essent principia; sed quia filius genitus est, non discordiam divinitatis facit, nec inæqualitatem divinitatis: *Sed unus Deus est per substantiæ communionem.* Cap. 31. *Sermo Filius natus est, qui non in sono percussi aëris, aut in tono coacta de visceribus vocis accipitur; sed in substantiâ prolata à Deo virtutis agnoscitur: cujus sacra & divina nativitatis*

arcana, nec Apostolus didicit, nec Prophetes comperit, nec Angelus scivit, nec creatura cognovit. Filio soli nota sunt, qui Patris secreta cognovit. Hic ergò cum sit genitus à Patre, semper est in Patre: semper autem sic dico, ut non innatum, sed natum probem. Sed qui ante omne tempus est, semper in Patre fuiße dicendus est: nec enim tempus illi assignari potest, qui ante tempus est. Semper enim in Patre, ne Pater non semper sit Pater: quia & Pater illum etiam quâdam ratione præcedit, neceße quodammodò est prior sit quà Pater sit; quoniam aliquo pacto antecedat neceße est eum qui habet originem, ille qui originem nescit: simul ut hic minor sit, dum in illo eße se scit, habens originem; quâ nascitur, vicinus in nativitate dum ex eo Patre, qui originem solus non habet, nascitur. Hic quidem Patrem ratione originis priorem & majorem facit. Et posteà: *Cum Patre*, inquit, *postmodum fuit; quia ex Patre processit, substantia scilicet illa divina, cujus nomen est verbum.* Et posteà: *Deus utique procedens ex Deo secundam personam efficiens, sed non eripiens illud Patri, quod unus est Deus. Si enim natus non fuisset, innatus comparatus cum eo qui eßet innatus, æquatione in utroque ostensâ, duos faceret innatos; & ideò duos faceret Deos.* Ostendit quomodò futuri fuissent duo Dii ingeniti, & sic duo principia. Et addit: *Nunc autem quidquid est, non ex se est, quia nec innatus est; sed ex Patre est, quia genitus est; sive dum verbum est; sive dum virtus est; sive dum sapientia est; sive dum lux est; sive dum filius est; & quidquid horum est, dum non aliundè est, quàm ex patre, patri suo originem suam debens, discordiam devinitatis de numero duorum Deorum facere non potuit, qui ex illo, qui est unus Deus, originem nascendo contraxit.* Et proindè sunt unus Deus, quia unam & eandem communicatam habent divinitatem. Et infrà: *Duos*, ait, *Deos facere non potuit, qui nec duas origines fecit, qui ex eo qui originem non habet, principium nativitatis ante omne tempus accepit.* Et ut habet posteà: *Idem cum Patre Deus nascitur ex Patre Deo, & æqualis Patri; etiamsi Deus est, qui natus est: unum tamen Deum ostendit, quem hic, qui natus est, eße sine origine comprobavit. Est ergò Deus, sed in hoc ipsum genitus, ut esset Deus .... cujus sic divinitas traditur, ut non aut dißonantia, aut inæqualitate divinitatis duos Deos reddidiße videatur.* Sic igitur Pater, & Filius sunt unus Deus; nec ulla est divinitatis inæqualitas, aut dissonantia.

Adversus alios hæreticos, qui Christum dicebant merum esse hominem, variis argumentis pugnat idem Novat. cap. 11. quia tàm certum est verum esse Deum ex Scripturis, quàm certum sit verum esse Deum hominem: *Periculum enim erit, ne homo ex passionibus ostendi non possit, si non potuerit etiam Deus ex virtutibus approbari: non est ergò in unam partem inclinandum, & ab aliâ parte fugiendum; quoniam nec tenebit perfectam veritatem quisquis aliquam veritatis exclușerit portionem: tam enim scriptura etiam Deum annuntiat Christum, quàm etiam ipsum hominem annuntiat Deum; tàm hominem descripsit Jesum Christum, quàm etiam Deum quoque descripsit Christum Dominum.* Et cap. 12. ex Pro-

phetâ Osee Christi divinitatem probat, quòd salutem *in Domino Deo ipsorum* se daturum Deus sit pollicitus. Addit cap. 16. Christum dici *primogenitum omnis creaturæ; quoniam secundum divinitatem*, inquit, *ante omnem creaturam ex Patre Deo sermo processit.*

Variis argumentis cap. 14. & sequentibus Attributa Deo essentialia, æternitatem, immensitatem, &c. verbo competere probat ex Scripturis; & ideò Verbum esse fidei, spei nostræ, & invocationis objectum. *Ergò*, inquit, *ante mundi creationem in gloriâ erat; cum Patrem roget ut sibi, quam claritatem haberet, conferat.* Et in eodem cap. 14. sic habet: *Si homo tantummodò Christus, quomodò adest ubique invocatus? cum hæc hominis natura non sit, sed Dei, ut adesse omni loco possit. Si homo tantummodò Christus, cur homo in orationibus Mediator invocatur? cum invocatio hominis ad præstandam salutem inefficax judicetur. Si homo tantummodò Christus; cur spes in illum ponitur? cum spes in homine maledicta referatur. Si homo tantummodò Christus; cur non licet Christum sine exitio animæ negare? cum in hominem commissum delictum referatur posse dimitti. Si homo tantummodò Christus, quomodo Joannes Baptista testatur, & dicit: Qui post me venit, ante me factus est, quia prior me fuit? cum si homo tantùmmodò Christus, post Joannem natus, ante Joan. esse non possit, nisi quoniam illum quà Deus est, ante præcessit. Si homo tantummodò Christus; quomodò quæ Pater facit, & Filius facit similiter? cum homo cælestibus operibus, Dei similia opera facere non possit. Si homo tantummodò Christus; quomodò sicut Pater in se vitam habet, ità dedit Filio vitam habere in semetipso? cum exemplo Patris Dei, homo in se vitam habere non possit; cum non in æternitate sit gloriosus, sed in materiâ mortalitatis effectus? Si homo tantummodò Christus, quomodò refert: Ego sum Panis vitæ æternæ, qui de cœlo descendi*, &c. Et cap. 16. ait, quòd sit Dei ab æterno lux, sapientia, &c. Cap. 24. idem probat, tùm quia qui credit in hominem ex Jerem. 17. maledictus est; qui autem in Christum credit, in æternum non est moriturus: tum quia Paracletum mittit, & à se accepturum quæ nuntiaturus esset, testatur: tùm etiam quia Joan. 15. hanc regulam credendi constituit, ut illum esse Deum intelligeremus: *Hæc est vita æterna; & quoniam si se Deum nollet intelligi, addidisset, & quem misisti hominem Jesum Christum: nunc autem neque addidit, nec se hominem nobis tantummodò Christus tradidit: Deo junxit, ut & Deum per hanc conjunctionem, sicut est, intelligi vellet. Est ergò credendum, secundum præscriptam regulam, in Dominum unum verum Deum, & in eum quem misit Jesum Christum consequenter se nequaquam Patri, ut diximus, junxisset, nisi Deum quoque intelligi se vellet: separasset enim ab eo, si Deum intelligi se noluisset: inter homines enim tantummodò se collocasset, si hominem se esse tantummodò sciret: nec cum Deo junxisset, si se non & Deum nosset: nunc & de homine tacet, quoniam hominem illum nemo dubitat: & Deo se jungit meritò, ut credituris divinitatis suæ formulam poneret.* Addit autem ex Joan. cap. 17. Christum fuisse ante mun-

di constitutionem ; cum ante mundum gloriam apud Patrem haberet: *Deus est igitur*, inquit, *quoniam ante mundum fuit.*

Socinianorum hîc responsionem prævertit ; nam & illâ solutione utebantur tunc temporis hæretici, habuisse quidem Christum gloriam ab æterno, sed in decreto Dei: *Nec*, inquit, *prædestinatio ista dicatur, quoniam nec posita est; aut addant hoc, qui hoc putant. Sed væ est adjicientibus, quomodò & detrahentibus positum: non potest ergò dici, quod non potest adjici: sublatâ ergo prædestinatione quæ non est posita, in substantiâ fuit Christus ante mundi institutionem..... quoniam & si in prædestinatione dicitur gloriosus, & ante mundi institutionem fuisse prædestinationem, ordo servetur, & ante hunc erit multus numerus hominum in gloriam destinatus: minor enim per istam destinationem Christus cæteris intelligetur, quibus posterior denotatur. Nam, si hæc gloria in prædestinatione fuit, prædestinationem istam in gloriam novissimus Chistus accepit: Ante enim prædestinatus Adam esse cernetur & Abel &c.... nam cum apud Deum & personarum & rerum omnium ordo digestus sit, ante hanc prædestinationem Christi in gloriâ multi prædestinati fuisse dicentur. Et hoc pacto minor cæteris hominibus Christus esse deprehenditur, qui melior, & major, & antiquior ipsis quoque Angelis invenitur.* Addit cap. 26. & 27. Verbum Deum apparuisse antiquis ; & ideò dictum fuisse Deum, non verò Angelos.

Iterùm illustratur illorum temporum fides ex hæreticorum objectionibus, nam capite 19. ex his verbis Luc. 1. ℣. 35. *Propterea & quod ex te nascetur, sanctum vocabitur Filius Dei:* concludebant illi dictum esse Filium Dei, qui hominis erat Filius ; quod & colligunt Sociniani: Respondet verò Scripturam commentationi illi hæreticæ viam præclusisse adjunctâ conjunctione: *Propterea & quod ex te nascetur sanctum; ut illud ostenderet non principaliter hoc sanctum, quod ex illâ nascitur, id est istam carnis corporisque substantiam, Filium Dei esse; sed consequenter, & in secundo loco: principaliter autem Filium Dei esse, Verbum Dei incarnatum per illum Spiritum, de quo Angelus refert: Spiritus veniet, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Hic est enim legitimus Dei Filius, qui ex ipso Deo est, sanctum illud assumit, & sibi Filium hominis annectit, & illum ad se rapit, atque transducit. Connexione suâ & permixtione sociatâ præstat, & Filium illum Dei facit, quod ille naturaliter non fuit.*

Ad aliam objectionem cap. 20. relatam, si Christus Deus est, ergò mortuus est ; Respondet Christum ex duplici naturâ constare, & in illo mortuum esse, quòd homo est, non quòd Deus. Hæc retulisse satis sit, nihil enim manifestius.

Addimus docere Novatianum cap. 23. ex Joan. 10. se unum cum Patre Deum dixisse Christum: *Ego & Pater unum sumus. Quomodo enim dixit: Ego & Pater unum sumus, si non Deus est & Filius?* Et posteà dicit Christum refutasse blasphemiam sibi à Judæis imputatam: *Si illos dixit Deos Scriptura, ad quos Dei verba facta sunt, & non potest solvi*

Scriptura

Scriptura: quem Pater sanctificavit & misit in hunc mundum, vos dicitis, blasphemas, quia dixi: Filius Dei sum ego. Quibus vocibus neque se negavit Deum; quin imò Deum se esse firmavit: nam, quia sine dubitatione Dii esse dicuntur, ad quos verba facta sunt; multò magis hic Deus, qui melior illis omnibus invenitur. Ità, quod ad crimen blasphemiæ pertinet, filium se, non patrem dicit. Quod autem ad divinitatem spectet ipsius, ego & pater unum sumus dicendo, filium se esse, & Deum probavit.

Hîc igitur totius Ecclesiæ etiam cum Novatianis schismaticis consensionem deprehendant Sociniani expositam eruditè, & suas evasiones, & tergiversationes solerter præoccupatas & solutas. Nicænis igitur Patribus innovationem vitio vertere desinant, & in sectâ suâ tam apertè significatam pro merito detestentur, & ad eam Ecclesiam redeant, quæ juxta Christi pollicitationem immunis ab omni errore fuit servata.

Theognostus.

Theognostus, quem citat S. Athan. lib. de decretis Nicænæ Synodi, Filii generationem æternam, & ex substantiâ Patris cum cæteris tertii seculi authoribus profitetur. *Non forinsecùs*, inquit, *aut ex rebus extraneis Filii substantia constat, neque ex non entibus producitur; sed ex Patris substantiâ ita progenitus est, ut à luce jubar; ut ex aquâ vapor: neque enim vapor id ipsum est, quod aqua; neque jubar id ipsum, quod sol; sed non alienum tamen, verum ut profluentem eum esse dicas ex Patris substantiâ: idque ita ut interim substantia illa Patris, divisionem non patiatur. Quemadmodùm enim sol non diminuitur suis ex se profluentibus radiis; ità nec substantia Patris diminutionem sustinet, imaginem sui Filium progignens.*

SS. Dionysius Rom. & Alexand. martyres.

Ex opere Dionysii Rom. adversus eos, qui Filium Dei creaturam facerent, hæc verba S. Athan. lib. de decretis Nicænæ Synodi laudat, in quibus tùm Sabellium, tùm eos, qui divinitatem in tres Deos dividerent, refellebat: *Ille enim cum blasphemiâ dicit Filium esse Patrem, Patremque Filium: isti autem quodammodo tres Deos constituunt, dum in tres substantias alienigenas, & inter se omninò segregatas sanctam unitatem dispertiuntur: uniri enim necessarium est omnium Deo Dei verbum, & in eodem hærere, & versari Spiritum Sanctum, & Sanctam Trinitatem in unum omnium rerum Deum, omnipotentemque, veluti in verticem, principemque consummari, & coalescere.* Sic ergò tres personas unum esse Deum cum Ecclesiâ Romanâ professus est. Hæc addit: *Non igitur dividenda est in tres deitates admirabilis, & divina unitas: neque sub nomine creationis aut factionis minuenda est dignitas, & immensa Domini majestas; sed credendum est in Deum Patrem omnipotentem, &*

in Jesum Christum Filium ipsius, & in Spiritum Sanctum, unirique Deo totius universitatis verbum: Ego enim, inquit, *& Pater unum sumus, & ego in Patre, & Pater in me: ità enim & divina Trinitas, & sancta prædicatio professioque monarchiæ conservari possit.* Præterea qui Filium, Dei opus faciebant, ut blasphemos ità rejicit: *Caterùm non minùs culpaveris eos, qui Filium Dei opus credunt, & factum esse Dominum opinantur; cum sacra eloquia generationem ei congruentem, & decentem; non autem formationem, & creationem testimoniis suis attribuant. Blasphemia igitur illa, non vulgaris, sed maxima habenda est, si Dominum dicas manu factum: si enim factus est Filius; erat igitur, cum ille non erat: atqui ille semper erat.*

Quod autem spectat ad Dionysium Alex. is cum adversus Sabellianam hæresim, ut habet S. Athan. in apologiâ pro illo, scripsisset, & quidam è fratribus Romam trajecissent ad Dionysium Rom. accusassentque suum Episcopum, quasi Christum hominibus tantùm accenseret; à Dionysio Romano admonitus apologiam scripsit, & tres esse personas unum Deum probavit. Ità. S. Athan. in lib. de decretis Nicænæ Synodi scribit Euphranorem & Ammonium Episcopos in superiori Libyâ, rudes & indoctos, Sabellii argumentis eò adductos fuisse, ut in Ecclesiis penitùs Filii Dei nomen tacerent: illos S. Dion. Alex. ad quem Ecclesiarum illarum cura pertinebat, tùm litteris, tùm etiam per legatos admonuit: & ut eos edoceret, probavit Filium alium esse à Patre; nec Patrem carnem induisse: sed insimulatus à quibusdam, quòd Filium creaturam nominasset, eumque factum esse, & non fuisse consubstantialem Patri dixisset, ad S. Dionysium Rom. Episcopum in depulsionem criminis scribit, se neutiquam dixisse Filium factum esse, quem Patri consubstantialem liberè confitetur. Illius autem forma loquendi, inquit S. Athan. talis est. *In aliâ epistolâ, quâ ostendo falsum esse crimen, quod mihi objiciunt, quòd Christum esse consubstantialem Deo negassem. Nam tametsi dico me id vocabuli in sacris litteris nec legisse, nec reperisse; veruntamen argumenta mea, quæ postmodum subjunxi, & ab illis tacita sunt, nonne prorsùs ab hac sententiâ discrepant? Qui & humanam sobolem pro exemplo allegavi, de quâ nihil dubium, quin sit cum genitore ejusdem generis, atque eo solo parentes à liberis alios esse, quòd ipsi liberi sui non sint.... Plantam etiam dixi, sive à semine, sive à radice procreata sit, diversam eam esse ab eo, unde progenita sit; sed tamen cum eo omnino naturâ convenire: fluviumque dixi à fonte profluentem, aliud quidem nomen sortiri: neque enim fontem fluvium, nec fluvium fontem dici; sed tamen utrumque simul existere, & fluvium esse aquam ex fonte. Caterùm neque opus aliquod esse, neque creaturam verbum Dei, sed proprium paternæ substantiæ germen, idque indivisibile.* Posteà verò cum Ariani S. Dionysium Alex. suas in partes adducere conati essent, quasi Christum hominem tantùm dixisset, librum de illius sententiâ, seu apologiam pro illo S. Athan. scripsit, ostendens eum docuisse Verbum esse æternum, sapientiam, Dei virtutem; fuisse ab æterno, quia Pater fuit ab

æterno, luce ſemper exiſtente, exiſtente æterno Patre, æternum Filium exiſtere, lumen de lumine: *Hoc pacto*, inquit S. Dionyſius apud Athan. *unitatem quæ indiviſibilis eſt, in Trinitatem dilatamus, & Trinitatem quæ diminui non poteſt, in unitatem conſummamus; & tamen accuſamur quaſi qui dicamus Filium unum eſſe ex numero rerum factarum, & nequaquam* ὁμόσιον τῷ Πατρὶ, *Patri conſubſtantialem*. Ex utriuſque Eccleſiæ, Romanæ ſcilicet, & Alexandrinæ conſenſu, & utriuſque Dionyſii doctrinâ, tres perſonas unum eſſe Deum, Filium eſſe Patri conſubſtantialem, & probandam eſſe vocem ὁμόσιον, utpotè antiquitùs uſurpatam, probat S. Athan.

Animadvertant Sociniani continuatam ſic in utrâque Eccleſiâ, Romanâ & Alexandrinâ Catholicæ Fidei profeſſionem, & ab objectionibus, quas ipſi renovant, abhorruiſſe tunc temporis, tùm Eccleſiæ caput, tùm ſecundæ Sedis Epiſcopum.

Synodus Antiochena.

Synodus Antioch. adverſus Paulum Samoſat. qui divinitatem Chriſti negabat, Verbum reverà ab æterno extitiſſe profitetur, non præſcientiâ aut prædeſtinatione, ut habent Sociniani, ſed ſubſtantiâ Deum, & Dei Filium: *Hunc verè Filium genitum, unigenitum Filium, imaginem inviſibilis Dei, primogenitum omnis creaturæ, ſapientiam & Verbum, & virtutem Dei, qui eſt ante ſecula; non præſcientiâ, ſed ſubſtantiâ & hypoſtaſi Deum; Dei Filium in veteri & novo Teſtamento agnoſcentes confitemur.*

Arnobius.

Arnobius Lactantii magiſter, Ethnicorum objectionem adverſus Chriſti divinitatem convellere conatus, de illius divinitate fidem univerſalem non modò refert, ſed & omnes Deo magis eſſentiales perfectiones ipſi convenire demonſtrat. Chriſtianis quippè ſe ſuccenſere gentiles teſtabantur, ut habet; non quòd unus ab illis Deus adoraretur; ſed quòd in hominis crucifixi adorationem procumberent: *Et Deum fuiſſe*, inquiunt, *contenditis, & ſupereſſe adhuc creditis, & quotidianis ſupplicationibus adoratis.* Porrò autem in promptu erat Arnobio, cæteriſque Chriſtianæ Religionis defenſoribus hanc objectionem confutare; ſi nihil in Chriſto, quod humanæ naturæ vires excederet, agnoviſſent; reponendo ſcilicet Chriſtum, non ut Deum coli, aut adorari; ſed homini potiùs propter eximias dotes, conceſſaque divinitùs gratiæ dona, cœleſtes & debitos honores exhiberi. Sed longè aliam init reſpondendi viam: Sibi enim 1. probandum ſumit, æquiori jure ſe ad Chriſti cultum accedere, quàm ad Æſculapii, & Dæmonum aliorum adorationem; cum Chriſtus vera bona hominibus contulerit; hi autem adumbrata tantùm, & ſæpiùs certis naturam malis, quæ poſtmodùm ſanarent, infeſtaverint: nec à cultu Chriſti dimovendos eſſe Chriſtianos, quod à Judæis excep-

tus pessimè Christus videretur: Baccho enim, & Æsculapio, licet dilaniatis &c. suos ipsi non recusabant honores; eos tamen non fuisse Deos: Christum autem verè Deum esse; & proindè illi divinum deberi cultum. *Cum vero*, inquit, *Deus sit re certâ, & sine ullius rei dubitationis ambiguo, inficiaturos arbitramini nos esse quàm maximè illum à nobis coli, & præsidem nostri corporis nuncupari. Ergo-ne, inquit, aliquis furens, iratus & percitus Deus ille est Christus? Deus, respondebimus, & interiorum potentiarum Deus, & quod magis infideles acerbissimis doloribus torqueat, rei maximè causa à summo Rege ad nos missus, veritatis istius, qui probationem exigeret furiosus, nulla major est comprobatio, quàm gestarum ab eo fides rerum.* Item edendorum, quæ nec possent exequi gentium Dii, miraculorum facultatem Apostolis collatam urget Arnobius.

Ex ipso igitur Arnobio, Christus est unus cum Patre Deus, utpotè qui tùm fuerit adoratus, dona contulerit, se Deum miraculis, & cordium penetratione probaverit, *Deus ille sublimis fuit, Deus radice ab intimâ, Deus ab incognitis regnis, & ab omnium principe Deus sospitator est missus.*

Addit Christum ipso die mortis suæ divinitatem suam argumentis confirmasse certissimis. Sic ergò Christus adorabatur ut Deus, multa dona ut Deus contulerat, & miraculis suis se probaverat Deum.

Ad hanc objectionem, *Si Deus fuit Christus, cur in formâ est hominis visus? & cur more est interemptus humano?* sic respondet: *An aliter potuit invisibilis illa vis, & habens nullam substantiam corporalem, inferre se & commodare mundo, consiliis interesse mortalium, quàm ut aliquod tegmen materiæ solidioris assumeret, quod oculorum susciperet injectum . . . mors illa, quam dicitis, assumpti hominis fuit; ipsius gestaminis, non gestantis.* Et infrà: *Cadere in res divinas non potest mortis occasus.* Ergò Christus quà Deus, & invisibilis, & immortalis agnoscebatur.

Lib. 2. ait rerum ipsarum naturalium in ipsis Philosophis inscitiam deprehendi gravissimam; & se naturæ arcanorum inscios lubenter profiteri Christianos, ut quos à curiosiori illarum rerum indagatione avocarit Christus Deus: *Et ideò*, inquit, *Christus licet vobis invitis Deus: Deus, inquam, Christus; (hoc enim sæpè dicendum est, ut infidelium dissiliat & dirumpatur auditus) Dei principis jussione loquens sub hominis formâ, cum mortalium sciret cæcam esse naturam* &c. Lib. 7. asserit Christum esse Deum verum, & non tantùm nomine, omnipotentem, & æternum. *Quinimò qualis Dominus rerum est, atque omnipotens ipse, quem dicere nos omnes Deum scimus, atque intelligimus verum, cum ad ejus nominis accessimus mentionem. Deus enim ab æterno, in eo quod Deus est.* Deus ergò Christus, ut ab æterno Deus, omnipotens, invisibilis; ratione humanæ naturæ factus aspectabilis, & mortalis tunc credebatur.

Lactantius.

Lactantius vir pietate, verborum elegantiâ, & eruditione commendabilis;

& ideò Criſpi Cæſaris præceptor ſelectus, tradit Chriſtum eſſe verum & unum Deum cum Patre, nomine, naturâ, adoratione, & profeſſione. Nam lib. 4. cap. 12. ejus divinitatem ex authoritate Scripturarum probat, tùm ſcilicet ex Iſai. 7. ubi dicitur Emmanuel, hoc eſt, nobiſcum Deus; tùm ex Pſalm. 84. *Veritas*, inquit, *de terrâ orta eſt; quia Deus, in quo veritas eſt, terrenum corpus accepit, ut terrenis viam ſalutis aperiret.* Cap. etiam 13. docet Deum omnium parentem, cum religionem ſuam transferre voluiſſet, non ſicut anteà per hominem (Moſem ſcilicet) novam legem dediſſe; ſed per Filium, quem ideò naſci voluit tanquam hominem, ut per omnia ſummo Patri ſimilis exiſteret. Addit ibidem Lactantius, cum Pater parentibus careat; idcircò etiam filium bis naſci oportuiſſe, ut duplicem haberet nativitatem, alteram ſine patre temporariam, alteram ſine matre æternam; *Ut mediam inter Deum, & hominem ſubſtantiam gerens, noſtram hanc fragilem, imbecillemque naturam, quaſi manu ad immortalitatem poſſet educere, factus eſt Dei Filius per Spiritum, & hominis per carnem; id eſt & Deus, & homo. Dei virtus in eo ex operibus quæ fecit, apparuit; fragilitas hominis ex paſſione quam pertulit.* Quod pluribus confirmat: redarguitque eos, qui Deo incarnationem vitio vertebant. Et cap. 25. ſcribit habere Chriſtum ſpiritalem Patrem Deum; eſſe Deum, & hominem; Filium eſſe matris Virginis; & tandem Deum inter, & hominem medium eſſe conſtitutum: *Fuit igitur Deus, & homo, inter Deum, atque hominem medius conſtitutus.*

Idem Lactantius lib. 4. Inſtitut. cap. 6. docet æternum eſſe Filium, &, Patri coæternum, & habere alias Patris perfectiones; hæc ſunt ipſius verba: *Deus, antequam præclarum hoc opus mundi adoriretur*, ſeu ab æterno, ſic enim æternitatem exprimit Scriptura, *ſanctum incorruptibilem Spiritum genuit, quem Filium nuncuparet. Et quamvis alios poſteà innumerabiles per ipſum creaviſſet, quos Angelos dicimus; hunc tamen ſolum primogenitum divini nominis appellatione dignatus eſt, patriâ ſcilicet virtute, ac majeſtate pollentem. Eſſe autem ſummi Dei filium, qui ſit poteſtate maximâ præditus, non tantùm congruentes in unum Prophetarum voces, ſed etiam Triſmegiſti prædicatio, & Sybillarum vaticinia demonſtrant.* Ergò & ab æterno genitus, & ſolus Filius; omnipotens, utpotè creator; in omnibus etiam in potentiâ & majeſtate Patri æqualis; ac proindè in ſubſtantiâ. Item cap. 7. tradit Angelis ipſis ejus nomen eſſe ignotum. Cap. 8. deſcribit æternam ipſius à Patre generationem; & ait eam à nemine cognoſci, nec enarrari poſſe. Addit etiam ibi eum Dei ſermonem nuncupari, necnon magno diſcrimine ab Angelis diſcrepare; quia iſti creantur ad miniſterium; ipſe verò Deus eſt & Dominus, & magiſter. Cap. quoque 9. ait illum eſſe Verbum, & Dei ſapientiam; & ideò λόγον rectè dici à Græcis. Cap. 11. ſcribit eſſe Filium Dei primogenitum, opificem rerum, & Patris conciliatorem, quem Pater noluit mittere in poteſtate & claritate cœleſti; *Ut pœnas pro facinoribus ſuis lueret, qui Dominum ac Deum ſuum non recepiſſet; quod olim Prophetæ cecinerant ſic eſſe facturum.* Cap. 17. dicit Filium ideò hominem factum eſſe, *Ut*

per eum qui esset æternus, legem sanciret æternam. Quin & attributa divina & in abstracto sumpta Christo adscribit: nam cap. 9. & 11. docet Verbum esse veritatem; & cap. 16. esse virtutem, & justitiam, & sapientiam. Item Christo veram tribuit adorationem, quæ soli Deo competit. Etenim lib. 6. cap. 25. sic habet: *Verbo sacrificari oportet Deo; siquidem Deus Verbum est, ut ipse confessus est.*

Sed nihil ità confert ad illustrandam Lactantii doctrinam, quam objectio adversariorum, quam sibi proponit lib. 4. cap. 29. & responsum quod adhibet: ex Scripturis enim, & ex doctrinâ Ecclesiæ probat unum esse Deum Patrem, & Filium, eosque habere unam & eandem mentem, & substantiam: *Fortaßè quærat aliquis*, inquit, *quomodò, cum Deum nos unum colere dicamus, duos tamen esse aßeveramus, Deum Patrem, & Deum Filium; quæ asseveratio plerosque in maximum impingit errorem.* Sic autem ad id respondet: *Cum dicimus Deum Patrem, & Deum Filium; non diversum dicimus, nec utrumque secernimus; quia nec Pater sine Filio potest, nec Filius à Patre secerni; siquidem nec Pater sine Filio nuncupari, nec Filius potest sine Patre generari. Cum igitur & Pater Filium sociat, & Filius Patrem; una utrique mens, unus spiritus, una substantia est: sed ille quasi exuberans fons est; hic tanquam defluens ex eo rivus.* Igitur una est utriusque substantia. Variis comparationibus illam identitatem, & utriusque substantiam esse indivisam exponit, quòd nec rivus à fonte, nec manus à corpore separetur. Subjungit Isaiæ loca, in quibus probet Patrem, & Filium duas esse personas, & unum eumdemque esse Deum; habere unam & eamdem voluntatem, & mentem, & proindè substantiam. *Denique*, inquit, *unum Deum esse tàm Patrem, quàm Filium Isaias ostendit, cum diceret: adorabunt te, & in te precabuntur, quoniam in te Deus est; & non est alius Deus præter te. Sed & alio loco similiter ait: Sic dicit Deus Rex Israël; & qui eruit eum Deus æternus: Ego primus, & ego novissimus, & præter me nemo Deus. Cum duas personas proposuisset; Dei Regis, id est Christi; & Dei Patris, qui eum post Passionem ab inferis excitavit .... tamen ad utramque personam referens, intulit: & præter me non est Deus; cum posset dicere, præter nos: sed fas non erat plurali numero separationem tantæ necessitudinis fieri. Unus est enim solus liber, Deus summus, carens origine; quia ipse est origo rerum, & in eo simul & Filius, & omnia continentur. Quapropter cum mens, & voluntas alterius, in alterâ sit, vel potius una; in utroque meritò unus Deus uterque appellatur; quia quidquid est in Patre, ad Filium transfluit, & quidquid in Filio, à Patre descendit. Non potest igitur ille summus ac singularis Deus, nisi per Filium coli: qui solum Patrem se colere putat, sicut Filium non colit, ità ne Patrem quidem colit.* Cap. etiam 30. asserit Religionem Christianam in hoc esse sitam, ut unus Deus colatur. Unus igitur à Christianis colitur Deus, quia Patris, & Filii una est mens, una voluntas, una substantia; quia quidquid est in Patre, ad Filium transfluit.

Ex temporum consensione argumentum ultimum jam actum agimus,

cùm doctrinam à temporibus Apostolicis unanimi seculorum trium consensione catholicâ firmandam suscepimus, tùm adversus hæreses, tùm adversus Judæos, & Ethnicos. Paucis ob oculos ponimus, qui fuerint ubique terrarum adversus hæreses contra Trinitatem Sanctissimam, Patris, Filii, & Spiritûs Sancti divinitatem, motus animorum catholicè sentientium; quæ sollicitudo, quæ scripta, quæ decreta fuerint lata. Hinc enim ex eâ continuatâ conjunctione, & studio palàm fiet, quàm horrenda sit Ariana, & Sociniana innovatio, & blasphemia. Satis sit observasse illos, qui trinitatem & personarum trium unitatem, seu eandem substantiam negarent, statim atque prodierunt, ab Ecclesiæ unitate fuisse repulsos, eorumque fuisse proscriptam blasphemiam, ex Tertull. contra Praxeam, ex S. Epiph. contra Noëtum, ex Novatiano contra Sabellium; Similiter hæreticos, qui Christo divinitatem competere negabant, exceptos fuisse, ut Ebionitas, Valentinianos, Theodotum Coriarium, Paulum Samos. & tandem Arium. Id sic referunt S. Ignat. & S. Iren. qui in prologo lib. 4. ut etiam quædam superioribus adjungamus, damnat quòd Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum non sensu catholico, sed blasphemo prorsùs, nonnulli agnoscerent fabricatorem, scilicet Patrem, & ex defectione Filium emissum. Ebionitas verò cap. 59. damnat quòd purum hominem Christum facerent, sicque salutem omnem auferrent, Tertull. lib. de præscr. cap. 53. Theodotum hæreticum Bisantinum, qui Christum in persecutione negaverat, ut blasphemum præsertim arguit, quòd hominem tantummodò ex Virgine natum, & nullâ aliâ præ cæteris, nisi justitiæ authoritate præcellentem se negasse contenderet. Cap. 33. Antichristos ait à S. Joanne vocari, qui Jesum non putarent esse Filium Dei. Et lib. contra Praxeam, ut jam notatum est, avitam Ecclesiæ fidem tuetur, & ostendit in quæ absurda impelleretur, qui Patrem passum diceret. Hoc erat tùm Ethnicorum, tùm etiam Judæorum, tùm hæreticorum argumentum, videlicet non colere Ecclesiam unum Deum, cum divinitatem tribus deferret; hincque inferebant Gentiles: ergò non est cur multorum Deorum cultum vitio nobis vertatis. Colligebant Judæi: ergò impii estis Christiani, qui contra aperta Scripturæ loca plures Deos agnoscitis. Concludebant verò cum Judæis hæretici; sicque cum divinitatem Filio negare non possent, eum unam & eamdem cum eo, qui diceretur Pater, personam esse contendebant; vel declinandæ blasphemiæ causâ, ut solebant dicere, ne plures Dii inducerentur, Christum nudum hominem statuebant. Porrò autem si Ariana, aut Sociniana doctrina invaluisset, nonne tunc Ethnicorum objectionem sic antiqui repulissent? respondendo scilicet alienos penitùs esse ab eorum doctrinâ Christianos, ut qui veram divinitatem, aut divinitatis partes Christo non tribuerent; sed Dei nomen ob quandam virtutum excellentiam illi deferri assererent: Judæorum pariter & hæreticorum objectiones confutassent facilè. Cum verò aliam rationem penitùs inierint, & constanter asseruerint ideò Christianos non colere plures Deos; quia Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sint unus Deus; & Christum, & Spiritum Sanctum esse reverà unum cum

Patre Deum nomine, naturâ, adoratione, simulque inter se distingui ratione personalitatum: sanè qui pudorem omnem non exuerit, non potest quin tam apertam antiquorum doctrinam recognoscat; etiamsi aliundè argumenta quamplurima non suppeterent: cum nihil frequentius sit, & apertius hisce objectionibus: & ideò quod à primis temporibus invaluerat dogma, in propatulo est. Imò videant qui aliud censent, cujus sceleris insimulent Sanctos Patres, & universam illorum seculorum Ecclesiam: necesse enim est, ut asserant aliud eos sensisse, & aliud esse locutos; in errorem impulisse tùm Ethnicos, tùm Judæos, & hæreticos dogmate proposito, quod non modò rationi, sed & Scripturæ adversari illis videbatur; aut saltem ab errore non revocasse tot Fidei Christianæ adversarios, propositâ scilicet perspicuâ Fidei explicatione.

Novum etiam robur isti historicæ expositioni accedet, si attenderimus quæ fuerit ineunte quarto seculo, & cum Arius prodiit, Ecclesiæ sententia. Omnium Ecclesiarum fermè Episcopos, si paucos excipias, Arius expertus est sibi adversantes Nicææ, qui sic ab hac novitate abhorrebant, ut ejus blasphemiæ in Concilio Nicæno non priùs auditæ fuerint, quin statim aures suas obturaverint, ne tam execrando contaminarentur sermone: nam ex S. Athan. epist. de Synodo Nicænâ: *Episcopi contrà qui convenerant, erant autem illi plus minus trecenti, placide & humaniter postulabant, ut suorum dictorum rationes redderent, seque non impios esse demonstrarent: illi autem vix incœperant hiscere, cum jam & improbarentur, & ipsi quoque inter sese depugnarent, agnitâque suæ hæreseos perplexitate, muti prorsùs reddebantur.* Et orat. 1. contra Arianos: *Nam & in Nicano conventu omnes quotquot convenerant illic Episcopi, aures suas ad ista verba obturaverunt, omnesque communi suffragio istam hæresim damnaverunt, & anathemate detestati sunt, dicentes esse alienam diversamque ab Ecclesiasticâ Fide.* Item & orat. 2. contra Arianos: *Quod si fateantur talia nunc se primùm audivisse: non inficias eant alienam, & non ex Patribus oriundam esse hanc hæresim; quod autem non à Patribus profectum est, sed nuper inventum: quid de eo aliud existimari debeat, quàm illud ipsum cujus Paulus mentionem facit: in novissimis temporibus deficient quidam à rectâ fide.* Undè autem universus ille tot Patrum consensus, qui ex tam variis regionibus convenerant; quorum plerique martyrio, alii miraculorum donis, singuli fermè virtutibus eximiis commendabantur? Undè, inquam, adversùs Arii sententiam ità commoventur, vel novitatem illam tam blasphemam execrantur subitò? nisi quia à decessoribus aliter fuerant instituti. Hæc notasse satis sit, ulteriùs urgere opus non est.

Novum argumenti genus ex Arii morte ducebant antiqui, quòd animam efflasset eâ ratione, quâ suprà retulimus. Nec virtute suâ destituitur argumentum illud: si enim tam severè, tam apertè in hæresis principem Deus animadvertit, quo tempore delusus Imperator hæreticis favere videbatur, eique gratiam & pacem ab Ecclesiâ extorquere volebat; certè à veritate catholicâ, etiam attestante Deo, aliena erat Arii opinio.

Qui

Qui relatam à nobis Sanctorum Patrum doctrinæ seriem, non verba quædam hinc & indè decerpta perpenderit; non poterit, ut spes est, quin adversus antiquos Patres minùs religiosi animi incuset eos, qui ex illis Patribus aliquos, aut omnes ante Nicænam Synodum in Arianorum partes traducere non dubitant: nam si attentiori, aut majori labore veterum opera; si diligentiori examine hæreticorum argumenta; Fidei verò Catholicæ defensorum responsiones evolvissent; si tandem SS. Athan. Hilarii, & aliorum Patrum quarti seculi adversus Arianos cum illorum scriptis argumenta comparassent, easdemque rationes, quibus Sancti illi usi sunt, deprehendissent, ii certè à tam alieno de illorum Patrum doctrinâ sensu fuissent avocati; erga antiquos Patres pietate ducti, quæ ad mysterium pertinent, à mysterii expositione, seu mysterii substantiam à mysterii ratione secrevissent. Si quædam in antiquorum illorum operibus duriora & minùs consona viderentur occurrere; hæc benignâ interpretatione exponenda atque emollienda judicassent: mysterium enim, in se, revelatum est, non item, quale sit. In ipsis Conciliorum actis à definitionis ratione definitionem ipsam, qui adversùs Concilia majori reverentiâ ducuntur, distinguunt quotquot sunt Theologi: cum igitur quæ ad mysterii fidem pertinent in illis operibus ubique clarè ac distinctè animis lectorum obversentur, in hoc est insistendum. Aliud officii incumbit; expendendum, scilicet quibus verbis & expositionibus usi tunc temporis ipsimet fuissent, si cum Catholicis sensissent, & adversùs Ethnicos, Judæos, & hæreticos pugnassent, & priusquam ad tàm accuratam dicendi normam adversùs Arianam & Macedonianam hæreses Concilia nos adduxissent. His legibus adhibitis Patrum nomini nullam prorsùs pravæ suspicionis notam inussissent. Mihi tam aperta antiquorum videtur sententia superiùs exposita, ut mirari subeat, quomodò in aliam sententiam vel descendere quis posset, modò sit æquus rerum æstimator. Ita etiam 4. seculo constans erat à Patribus illis accepta doctrina, ut S. Athan. lib. de Decr. Nic. Syn. scripserit Arianos non potuisse ullum antiquorum pro suo errore adducere. Hâc præscriptione adversus eos utitur Orat. 2. contra ipsos mox laudatâ.

De Socinianorum mente irreligiosâ, non est quod moveamur: alio enim animo non ducuntur, ut observatum est, dum scripturas, aut antiquorum doctrinam laudant, quàm ut Christianorum personam ementiti, faciliùs fidelibus illudant: nihil quod Christi discipulos sapiat, sentiunt, aut præ se ferunt; pro meris Philosophis sunt habendi, & pro infestissimis nominis Christiani hostibus.

Objectionum ex Scripturis solutio.

Opponunt 1. adversus loca, quibus Christum nomine & naturâ Deum, seu Verbum, seu Filium esse unum Deum cum Patre probavimus; Dei nomen multis tribui, qui divinitatem non obtinent. Nam Exod. 7. v. 1. Moyses dicitur Deus Pharaonis. Item Angeli & Judices dicuntur Dii Ps. 81. v. 6. Angelus etiam Gen. 31. v. 13. se Deum Bethel vocat, & Exod.

5. ℣. 6. se dicit Deum Abrahami, Isaaci, Deum Jehova. Verbo dicam, pluribus aliis in locis Dei nomen variâ ratione usurpatur.

R. jam ex superioribus constare, quâ ratione communicatum quandoque fuerit Dei nomen; & nulli unquam tributum fuisse sicut Verbo, seu Christo. Moysi quidem datum fuit; sed non simpliciter, at respectu tantùm Pharaonis, ut significaretur authoritas à Deo Moysi tradita in Pharaonem. Fateor pariter plurali numero Deos dici Angelos & Judices, etiam ex ipso Christo, Joan. 10. v. 34. sed neminem est videre in Scripturis, cui nomen Dei simpliciter tribuatur: nec etiam ob munus propheticum, Christum dictum esse Deum nomine, Sociniani volunt. Superest ergò dictum fuisse Deum ob essentiam; cum simpliciter dicatur: *Verbum erat Deus.* Angelus de quo in Genesi, si Filius Dei fuit, ut ex antiquis plures convenerunt; sensu genuino se Deum Jehova dicit: si verò Angelus fuit, quod ad verum maximè accedit; figuratè hoc nomen sibi arrogat; ut qui Dei nomine agat. Ambiguitas autem omnis tollitur, Act. 7. v. 53. Gal. 3. v. 19. & Heb. 2. v. 2. 3. 4. 5. &c. ubi præsertim Dei Filium inter, & Angelos discrimen summum profertur. Non verò ea est de Messiâ, cui nomen Jehova tribuitur, prophetica disserendi ratio, ut cum Jerem. 23. v. 6. in casu recto vocatur Jehova, seu Dominus; Christus scilicet, verus & æternus Deus. Sicut & Isa. 42. v. 8. ubi de se ait: *Ego Dominus, hoc est nomen meum.* Illud autem nomen refertur ad subjectum, de quo Propheta loquitur, nempè germen Davidis justum futurum esse Regem, à quo in terris exercenda sit justitia, imò & qui sit justitia nostra; seu Messias, qui Davidis germen est, & dicitur Zach. 9. v. 9: Rex justus: & 1. Cor. 1. v. 30. justitia, sanctificatio, redemptio. Nullibi porrò magistratus in novo Testamento dicuntur Dii. Undè Apostolus 1. Corinth. 8. v. 5. multos quidem vocari Deos ac Dominos dicit; sed illis divinitatem detrahit, & à Christianis unum tantummodò credi Dominum, unumque coli Deum profitetur.

Opp. 2. Non ideò Christum probari Deum esse ab æterno, quia est Dei Filius: Sancti enim & Fideles non sunt ab æterno; & tamen dicuntur Filii Dei, Joan. 1. v. 12. & 13. necnon 1. Joan. 3. v. 9. & 10. Ad hæc addunt Christum dici unigenitum, quòd inter omnes Dei filios sit clarissimus & præcipuus: quâ ratione Isaacus, & Salomon vocati sunt unigeniti, licet alios fratres habuerint.

R. si filiatio Christi alterius naturæ non esset à justorum filiatione, quæ adoptiva est; singulari revelatione ad illam exprimendam opus non fuisset S. Petro, qui Math. 16. v. 16. hanc emittit confessionem: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Nec ideò beatus dicendus fuisset, quòd à Patre hanc fidem accepisset; nec tanta merces ei concedenda fuisset, ut caput Apostolorum fieret, simulque ligandi & solvendi potestatem obtineret. *Respondens autem Jesus dixit ei: Beatus es Simon Barjona; quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.* Nec silentium fuisset Apostolis de tanto mysterio præcipiendum. Deindè si

ſola filiatio illa eſſet adoptiva, an Chriſtus ipſe Lucæ 10. ℣. 21. dixiſſet: *Nemo ſcit quis ſit Filius, niſi Pater*? An & ipſe Pater dixiſſet, Math. 3. ℣. 17 & c. 17. ℣. 5. *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui?* An etiam Apoſtolus Rom. 8. ℣. 32. ipſum Chriſtum dixiſſet proprium Filium Dei, ſeu à Patre æterno, & ex ejus ſubſtantiâ generatum? Alii enim non ſunt proprii filii; & qui ex Patris ſubſtantiâ prodeunt, licet adoptentur, non proprii ſunt filii. Sic ergò Chriſtus dicitur Filius Dei proprius, prout opponitur adoptivo. Quam adoptivam filiationis rationem à ſe Chriſtus ut amoveret, Joan. 5. v. 17. Deum Patrem, proprium ſuum Patrem vocat. Hinc graviter offenſi Judæi lapides in eum conjecerunt; quia, ut habetur ℣. 18. *Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo*: quod certè non moleſtè tuliſſent, ſi adoptivam tantùm Filii rationem ſibi vindicaſſet.

Ad id quod adjectum eſt, dico Chriſtum non dici unigenitum, quòd cæteris filiis dignitate præcellat; ſed quòd ex Patris ſubſtantiâ ſit ſolus. Iſaacus autem dictus eſt unigenitus, ex Sarâ ſcilicet; & ideò ſolus hæres. Prov. 4. ℣. 3. Salomon non dicitur unigenitus juxta textum hebraïcum; ſed unicus. At etſi vulgatam editionem retineamus; nihil tamen indè poteſt colligi, quod tantillùm faveat adverſariis: nam Salomon ibi dicitur unigenitus: vel quia erat inſtar unigeniti unicè dilecti à matre; vel quia Davidis filius erat ex Berſabee unicus.

INST. 1. Ex Filii nomine nihil in gratiam Verbi divinitatis inferri poteſt; cum filiationis ratio nonniſi verbo homini, ſeu ratione humanitatis competat. Et ſanè in veteri Teſtamento Filii nomen Verbo non aſcribitur: namque creatum fuit duntaxat, ut ejus miniſterio in rebus cæteris creandis Deus uteretur, qui in eas immediatè agere non poterat.

Reſpondet S. Athan. orat. 5. contra Arianos, in antiquo Teſtamento æternæ Verbi generationis mentionem fieri Pſalm. 2. v. 7. Pſalm. 109. ℣. 3. Prov. 8. ℣. 25. & in aliis locis laudatis. Et licet Filii nomen reticeret vetus Teſtamentum, numquid ſatis non eſt, ſi ejus mentio fiat in novo? At Manichæorum inſtar vetus Teſtamentum à novo divellere placet Socinianis.

Idem S. Athan. in lib. de decretis Nic. Synodi ſic arguit: ſi à Deo, non genitum, ſed creatum fuiſſet Verbum, ut eo mediatore creaturas conderet Deus, ne immediatè in res creandas ageret; alio adhuc mediatore opus fuiſſet, quo Verbum crearet; cum ex ipſis Arianis Verbum creatura eſſet. Prætereà creatio immediata Verbum in præſtantioris naturæ ordine non conſtituiſſet; cum à nobis Adamus naturâ non diſcrepet, licet à Deo immediatè fuerit conditus. Addit denique impietatem hanc in Paulo Samoſatenſi damnatam fuiſſe; nempè Verbum rationem filii ex humanitate mutuari; contendique Filii nomen proprio ſenſu eſſe uſurpandum; & proindè ex ſubſtantiâ Patris eſſe, unumque cum Patre Deum.

Inſt. 2. Genitus eſt: ergo cœpit eſſe Filius.

R. S. Baſil. lib. 2. contra Eunomium, hoc ſophiſma olim ab Arianis

inventum, impudenterque vulgatum, indè ortum esse, quòd ineffabilem Verbi generationem ad hominum, aut animalium generationes traducerent; duobus autem verbis totum hoc mysterium à S. Spiritu fuisse traditum: cum enim Evangelista in principio Verbum esse dixerit, rei, quæ anterior esse possit, excogitationem tollit: non enim principium esset, si ab aliquo priori superaretur. Cum etiam dixerit, *erat*, ab omni existimatione, quòd non fuerit, animum avocat. Solvit eâdem ratione idem sophisma S. Greg. Naz. orat. 23. ubi ait principio non carere Filium, cum Filius procedat; non tamen principio posteriorem esse; sed Deo Patri coæternum, illi, ut Soli lumen, coexistere; & absque principio esse quantùm ad tempus, ut tempori non subjaceat.

INST. 3. Vel Pater Filium existentem genuit, vel non existentem: si existentem, quâ ratione generaret? si non existentem; igitur Filius est Patre posterior.

Respondet S. Greg. Nazianz. orat. 35. Scripturam temporum ordinem immutare, ut nos à quæstionibus de temporibus avertat: sic quod futurum est, ut præteritum; & quod præteritum est, ut futurum explicat. Hanc verò Eunomianorum objectionem, *Existentem, vel non existentem genuit Pater*, dicit non posse pertinere, nisi ad res, quæ ex esse, & non esse constant; seu ad nos homines, qui in patribus nostris partim existimus: de increatis porrò, aut æternis, idem dici non posse.

INST. 4. Aut Verbum voluntariè genitum est, aut non: si primum; ergò Pater priùs voluit gignere, quàm genuerit: si posterius; ergò vis illata est Patri.

R. S. Athan. orat. 4. contra Arianos, ex fidelibus plerosque hoc sophismate delusos fuisse, & hanc propositionem, *Ex voluntate & arbitrio genitum esse Filium à Patre*, catholicè posse usurpari à Catholicis: hæreticam verò in hæreticis esse, si per eam intelligant fuisse tempus, cum non esset Filius; & eum à liberâ voluntate Patris pendere, ut cæteras res creatas. Addit S. Athan. Filium non rerum creatarum instar creatum fuisse; nec ullum de illius creatione consilium iniisse Patrem: alioquin in quo Pater consilium de isto creando suscepisset? Ergò eâ voluntate, quâ bonus est Pater, eâdem genuit Filium: cum igitur nec ex consilio bonus sit, nec invitus; itâ nec consilio Filium genuit, nec invitus. Sicut ergò Pater totum quod est, cum voluntate est; itâ Filius: summum enim est discrimen inter hæc, *Ex voluntate*, aut *cum voluntate factum*: nec Filii ex voluntate oriuntur, sed ex naturâ.

S. Hilarius lib. de Synodis damnat hanc propositionem, nempè citra Patris voluntatem natum esse Filium: non enim nolens Pater, seu coactus, vel naturali necessitate ductus, & cum nollet, genuit Filium; sed volens, sine tempore, & impassibiliter, & ex se.

S. Gregor. Naz. orat. 35. quærit ab hæreticis: aut Deus est Deus, quia vult; aut quia non vult: aut Filius creatus est, quia Deus voluit; aut quia Deus noluit: quidquid autem responderint, sibi etiam responsum habeant. Si dicant, quomodò ergò genitus? *Haud magna*, inquit, *esset*

hæc generatio, si à te percipi posset: nobis etiam ignotum est, quo pacto in lucem prodeamus; quomodò ergò ad Dei conceptum assurgemus. Silentio ergò generatio Verbi colenda est. *Abunde magnum tibi est scire eum genitum esse. Quo autem modo genitus sit, ne ipsis quidem Angelis, nedum tibi intelligere concesserim.* Addit S. Ambrosius lib. 4. de Fide cap. 4. nihil in sempiternâ generatione, nec velle, nec nolle, præcedere: nec generationem esse in voluntatis possibilitate. Sic quoque S. Epiphan. hæref 69. & S. Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 20.

INST. Actio quâ Filius gignitur, v. c. intellectio, aut Filii est, aut non: si primum, seipsum genuit Filius: si posterius; ergò quædam operatio in Patre est, quæ non occurrit in Filio.

R. generationem Verbi nobis incognitam esse; & proindè nullius adversus dogma catholicum momenti esse objectionem hanc. Nihilominùs Theologi respondere solent, unicam quidem esse mentem trium personarum; quia unica substantia est, proindèque una mentis perceptio: sed quæ in Patre Filium parit, Pater est; & in Filio, Filius est: non enim Filius merus actionis terminus; sed substantia est per se subsistens: Verbum tamen cognitione suâ aliud Verbum non producit; quia nempè jam productum est quod produci potest: & idem est dicendum de actu amoris. Sed ut benè observat S. Hilarius lib. 7. de Trinit. non ex humano, aut seculi sensu de Dei rebus loquendum. *Hoc ipsum quod legimus,* inquit, *piè, accuratéque teneamus; in simplicitate quippè fidei est; nec per difficiles nos Deus ad beatam vitam quæstiones vocat; nec multiplici eloquendi facundiæ genere sollicitat. In absoluto nobis ac facili est æternitas.*

INST. Aut Filius semper generatur, aut ab eo generando destitit Pater: si primum; igitur terminum nunquam aut perfectionem integram consequetur: si posterius; gignere cœpit Pater: quidquid enim finem habet, habet quoque initium.

R[t]. S. Aug. epist. 174. Patrem continuò generare, & Filium continuò generari; nec indè minùs perfectam esse generationem; sicut nec splendorem ex Sole prodeuntem continuò esse minoris perfectionis; in Deo autem idem esse generari, & esse genitum.

OBJ. 3. Christum creaturis esse annumerandum, quia dicitur Colos. 1. ℣. 15. *Primogenitus omnis creaturæ:* primogenitus enim, & qui subsequuntur filii, ejusdem sunt naturæ: & proindè ideò primogenitus omnis creaturæ dicitur; quia cæteris novæ creationis rebus præstat.

R. Christum primogenitum esse omnis creaturæ; quia quâ Verbum est, res omnes creatas præcedit, & eas creavit: non autem rerum creatarum primogenitus dicitur, quòd ejusdem sit cum illis naturæ. Ità primogeniti sensum exponit Apost. ℣. 18. *Ut sit,* inquit, *in omnibus ipse primatum tenens.* Et v. 16. *Primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis & in terrâ &c.* Et v. 17. *Et ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant;* quoniam omnia condidit, quia ante omnia fuit, quia omnia condidit. Et certè de novâ creatione hîc agi ab-

surdè diceretur: ut enim Christus nunquam fuit vetus homo; ità nunquam fieri novus per regenerationem potuit: nam antequam Christus nasceretur, novæ creaturæ jam fuerant, nempè justi. Primogenitus etiam dicitur; quia omnia creavit, tùm visibilia, tùm invisibilia: at omnium visibilium, scilicet rerum corporearum; & invisibilium, nempè Dæmonum, mediator non est Christus; nec illa per Christum ad novæ creaturæ rationem accedunt. Præterea si de novâ hominis reparatione ageret Apostolus, cur non dixisset novam creationem? cur ità primam creationem significasset, *quoniam per eum facta sunt universa, quæ in cælis visibilia & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes &c.* ? An potuit Apostolus quæ ad creationem pertinent, omnia manifestiùs exprimere? Creaturæ creatio absolutè posita, Marci 10. v. 6. Rom. 1. v. 20. Heb. 4. v. 13. 2. Petri, 3. v. 4. & alibi, primam creationem designat. Ubi verò de reparatione agitur, ut 2. Cor. 5. v. 17. Galat. 6. v. 15. creationi aut creaturæ vox, *nova*, additur. Præterea vox, *omnis*, complectitur quidquid creatum est: quamobrem impietatis est Scripturæ verba, vel sensum ità immutare; debemus enim religiosè servare & verba, & Scripturæ sensum. Deniquè Filius *primogenitus omnis creaturæ*, quâ homo est, dici etiam potest; quia in primogenito spectari possunt natura, origo, antiquitas, & dignitas: naturâ & origine fratribus similis est primogenitus; sed antiquitate & dignitate præcellit. Porrò autem hîc ad naturam & originem Christi non attendit Apostolus; sed ad antiquitatem & dignitatem, dicendo scilicet Christum hominem longè præstare cæteris hominibus, ut qui omnia creaverit. Addit Apostolus Coloss. 1. v. 15. eum esse *imaginem Dei invisibilis*, quâ scilicet Filius Dei est; quia tam perfectâ similitudine Patris naturam assequitur, quâ Deus est, ut qui videat Filium, videat & Patrem: idem est enim cum Patre Deus.

INST. 1. Christum esse tantùm Angelum; quia Heb. 1. v. 4. *Tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hereditavit.* Nec enim fit comparatio, nisi inter ea, quæ sunt ejusdem generis.

R. nihil aliud velle Apostolum, nisi Christum ratione humanitatis minoratum esse ab Angelis, ratione verò divinitatis, quâ creator fuit, longè præstantiorem esse. Et verò Apostolus præstantiam Christi expositurus, quæ Christo & Angelis tribuuntur, inter se confert: orditur inprimis à nomine Filii, & ait v. 5. nulli Angelorum hoc tributum fuisse; solum Christum ab æterno genitum fuisse; & ità propriè Filium esse & Deum. Deindè v. 6. vult ut ab omnibus Angelis adoretur: *Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Describit insuper & Christi, & Angelorum opera: Angelis quippè Deus utitur, inquit v. 7. tùm ad ventos, tùm ad flammas, & alia excitanda: Filius verò non ut servus est, sed ut Dominus & Deus. Nam v. 8. *Thronus tuus, Deus, in seculum seculi.* Item Deus creator est v. 10. & v. 13. ad dexteram Patris dicitur. Deniquè v. 14. Angelis etiam ad custodiam hominum & ad alia opera utitur. Sic ergò probat Apostolus tantò meliorem Angelis effectum esse Christum, qui humanâ indutus carne, illis inferior videbatur: in toto autem contextu de Filio

agit; & semper Filium compellat; & proindè ut verum, & unum cum Patre Deum adorandum proposuit: nec enim quidquam concluderet Apostolus, nisi sic Christum Angelis præcellere demonstraret. Idem Apost. cap. 2. divinæ naturæ præstantiam maximè tradit, cum tantas imminere pœnas ejus leges violantibus asserit, & longè graviores iis, quæ aliorum Dei legatorum leges violantibus fuerant inflictæ. Undè si Christus naturâ non esset alius à Moyse; non esset, cur graviùs animadverteretur in eos, qui Christi mandata infringerent, quàm in eos qui Moysis violarent præcepta.

Frustrà cavillantur adversarii circa hunc locum in objectione citatum, quasi verò nonnisi inter ea, quæ sunt ejusdem generis, fieri possit comparatio; ac proindè Christus sit ejusdem naturæ cum Angelis, quòd cum ipsis comparetur. Inter res enim etiam diversæ naturæ, in Scripturis comparationes frequentes occurrunt, ut Psalm. 88. v. 11. *Melior est dies una in atriis tuis super millia.* Item Prov. 8. v. 11. *Melior est sapientia cunctis pretiosissimis.* Non igitur mirum est, quòd Apostolus Angelis Verbum comparet, naturæ discrimen simul indicans, cum Verbum dicat Filium, & Dominum, & Deum ab Angelis ipsis adorandum: Angelos verò creaturas, & servos, & adoratores.

INST. 2. Christus non est verus Deus, seu Deus summus; primò enim in eum credendum non est, ut ait ipse Joan. 12. v. 44. *Qui credit in me, non credit in me; sed in eum qui misit me.* Ergò Christus non sibi, sed Deo fidem haberi postulat. Deindè omnem potestatem sibi à Patre datam confitetur, Math. 28. v. 18. & ab eo se fuisse exaltatum, Philipp. 2. v. 9. Omnia deniquè non sibi, sed Patri suo vindicat, cum testetur Joan. 5. v. 19. se nihil à se facere posse. *Filius*, inquit, *non potest à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Ergò non habet cum Patre eandem potentiam, essentiam, & voluntatem: præsertim cum asserat non venisse se, ut faceret voluntatem suam, sed ejus qui misit illum. Math. etiam 24. v. 36. diem judicii nescire se fatetur. Item ab Apostolo 1. Cor. 15 ℣. 28. dicitur subjiciendus Patri cum cæteris rebus creatis: *Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc & ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.* Igitur non est æqualis Patri, nec ejusdem cum eo potestatis, & naturæ. Hæc autem non solùm arguunt Christum esse Patre multò inferiorem, sed etiam nihil aliud esse præter hominem purum; & si quid præ aliis hominibus habeat, hoc totum habere, quòd ex B. Virgine, mirabiliter operante Spiritu Sancto, prodierit, quòd nempè Dei Filius sit, & quâdam ratione Deus, sed inferiori longè à Patre.

R. Joan 12. sensum verborum Christi clarum esse: hic enim est, videlicet eum, qui credit in Christum, non credere in Christum solummodò, vel in solum hominem; sed etiam in eum à quo missus est, nimirùm in Patrem. Sic Gen. 32. v. 28. & cap. 35. v. 10. ubi sic habetur: *Non vocaberis ultrà Jacob; sed Israël erit nomen tuum*: & tamen ℣. 20. 23. & 29. retinetur Jacobi nomen. Item Exodi 16. ℣. 8. *Non*

contra nos est murmur vestrum, sed contra Deum; id est non tantùm contra nos, sed & contra Deum. Innumera sunt ejusmodi loca, cùm in veteri, tùm & in novo Testamento. Non igitur exclusivè loquitur Christus, quasi fidem in se habendam esse neget; sed asserit non in se solum credendum, sed & in Patrem, à quo missus erat: quod & exponit ipse Christus ℣. 45. his verbis: *Et qui videt me, videt eum qui misit me. Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.* Christus igitur ℣. 44. fidem à se non removet; verùm indicat non in se solum fidem esse habendam, sed & in Patrem. Cæterùm fidem in Christum haberi oportere ostendimus, tùm ex his Joan. cap. 3. ℣. 18. *Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus est*; tùm ex istis cap. 14. ℣. 1. *Creditis in Deum, & in me credite.*

Quod attinet ad hæc Christi verba Math. 28. ℣. 18. relata: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ*: ea ad Mediatoris officium pertinent; ut is, sicut habet Apostolus Coloss. 2. ℣. 20. quæ in cœlo & in terrâ sunt, conciliet: multa quippè ut homo accipit à Deo; omnia autem, ut Deus, habet, quæ Pater.

Ad hæc Philip. 2. ℣. 9. *Propter quod & Deus exaltavit illum*: Respondeo hunc locum esse intelligendum de carnis dispensatione; non verò de naturâ divinâ: nec de nomine Jesu; quia datum aliis fuit; sed de potestate illi, quâ homo est, concessâ.

Ad locum Joan. 5. ℣. 19. respondeo habere Christum omnia à Patre, non ex dono gratiæ; sed ex naturæ communione: nam Joan. 5. ℣. 26. *Sicut Pater habet vitam in semetipso; sic dedit & Filio habere vitam in seipso.* Et certè quemadmodùm Pater, qui homo est, per generationem humanam Filio naturam communicat; ità & Deus divinam: videt, inquit S. August. ab eo se habere potentiam, à quo se *videt habere existendi naturam*: Et quòd ait *se non posse, non deficientis est*; *sed in eo quod de Patre natus est, permanentis.* Et ut habet tract. 20. in Joan. *Ne fieret indè intellectui occasio errandi, subjunxit*: *Quæcumque enim Pater facit, hæc eadem & Filius facit similiter*; *non alia & similia, sed eadem.* Pariter respondent Sanctus Basil. & S. Ambr.

Humanæ quoque naturæ tribuendum est, quòd Math. 24. dicat nescire se diem Judicii; sicut & quod sitim, & famem patiatur; non verò divinæ: quæ respondendi ratio ante Conc. Nicæn. fuit SS. Just. Iren. Orig. Novat. & post Conc. Nic. S. Athan. orat. 4. contra Arianos, S. Basil. epist. 391. ad Amphiloc. S. Greg. Naz. orat. 36. Hinc S. Ambros. docet juxta hanc responsionem, illam futuri Judicii cognitionem non esse optandam, nec excellentiorem eâ, quam ipse, ut homo, non habebat: quid autem contrà reponant Ariani, non habent. Docent insuper illi Patres, Christum, quà Verbum, omnia novisse: Ità S. Athan. lib. de Decret. Nicæn. Synod. S. Hilar. lib. de Synod. S. Bas. lib. de Spir. Sanct. S. Cyril. assertione 29. Thesauri; asseruntque Filium, quà Verbum, & Patris virtutem, potentiam, & sapientiam, quæ Pater vellet, præscivisse;

&

& quæ resciret, intellexisse. Undè infert Conc. Sirmiense ex S. Hilar. lib. de Synod. in Patre & Filio naturæ unitatem: alterius enim naturæ esse Filius non potest; cum sit Patris virtus, potentia, & sapientia. Ex hoc etiam infert Judicii diem non potuisse ignorare Christum quà Deus est, utpotè qui sit omnium rerum creator; & *in quo* Col. 2. ℣. 3. *sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.*

Aliam amplectuntur alii responsionem, cum aliis Scripturæ locis institutâ comparatione: Gen. enim 18. ℣. 21. inquiunt, de Sodomitis dicitur: *Descendam, & videbo:* at Deum proculdubiò crimina Sodomitarum non latebant: ultionis igitur tempus verbo, *videbo*, designatur. Item Gen. 22. ℣. 12. de Abrahamo habetur: *Nunc cognovi quòd times Deum.* Porrò autem ignota Deo non erat Abrahæ fides toties laudata. Quid ergò vult intelligi? apertam & conspicuam se fidem Abrahæ facturum. Matth. etiam 7. ℣. 23. sic alloquitur peccatores: *Non novi vos*: an tamen Judex supremus peccatores eâ ratione repulsos punit, quos non novit? De justitiâ quippè Dei nemo ità sentit, nisi fuerit impius. Quid igitur verbis illis notatur? Scelerum reos scilicet esse indignos, qui veniant in Dei notitiam. Sic forsan, inquiunt, Christus se diem Judicii fatetur nescire, ne suam illius diei cognitionem patefaceret, ut indè vigilantiori animo saluti quisque incumberet. Undè sic se nescire profitebatur, ne alteri rescirent; se verò non ignorare, cum illum sciret Pater æternus. Quamobrem hanc diei Judicii cognitionem Christo competere Apostolis constabat: ideòque Act. 1. ℣. 6. diem illum se ab illo edoceri postulant, eisque respondet v. 7. *Non est vestrum scire tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in suâ potestate.* Noverant ergò Apostoli œconomiâ quâdam noluisse Christum ipsis Judicii diem apertum facere.

S. Amb. lib. 5. de Fide cap. 7. ex veteribus S. Matth. codicibus, in quibus hæc verba, *neque Filius*, non occurrunt, colligit ab Arianis illa fuisse inserta: sed cum in omnibus, tùm Latinis, tùm Græcis S. Marci exemplaribus extent, non est quòd in eis hæreamus; sicut nec in solvendis quæ petuntur ex interrogationibus, Marc. 6. v. 38. & Joan. 6. v. 5. *Quot panes habetis?* nam Christus hoc dicebat, ut tentaret Philippum; ipse enim sciebat quid facturus esset.

Ad verba ex 1. Cor. 15. v. 28. desumpta, dico ea de humanâ Christi naturâ esse intelligenda: nam, ut observat Novatianus, si duplicem in Christo naturam hæretici distinxissent, in tot errores non impegissent. Ità etiam lib. de nat. hum. de fidelibus omnibus Christi membris eundem locum exponit S. Athan. adeò ut, cum membrorum instar Christi capitis fuerimus imperio subditi, tunc & ipse Christus in ratione capitis pro membris subjicietur: quæ subjectio naturæ divinæ Verbi nullatenus officit.

S. Hilar. lib. 11. de Trinit. sic ratiocinatur, & ait, aut verbis illis Christum destruendum fore significari; aut regno destituendum, cum illud Patri tradet; aut divinâ exuendum esse naturâ, ut possit Deo subjici: sed, inquit, non ea est Apostoli mens, nec doctrinæ ordo. 1. enim

statuit deferendum Christo regnum v. 26. & 27. *Omnia enim subjecit sub pedibus ejus: cum autem dicat, omnia subjecta sunt ei; sine dubio prater eum, qui subjecit ei omnia.* 2. istud eo consilio factum esse dicit, *ut Deus sit omnia in omnibus.* Si ergò cum regnum Filio Pater tradidit, illud obtinere non destitit; nec eo etiam exuetur Filius, cum illud cesserit Patri. 3. indicat servitutis nomine non hîc infirmam & inhonestam subjectionem intelligi, quasi rebellis aliàs Filius eâ ratione sit puniendus: quis enim tàm blasphemè loqueretur de Filio Dei homine, qui non venerat, ut voluntatem suam faceret, nec fecit: *Veruntamen*, inquit, *non quod ego volo, sed quod vis tu.* Et licet calicis fæx amara videretur penitùs; illam tamen Patri morem gerens, lubenti animo sorbuit. Tam insignia igitur obedientiæ argumenta adeò horrendam ab eo suspicionem amovent. Quid ergò designare voluit Apostolus? Incarnationis scilicet mysterio rem omnem Deo subjici jam cœpisse: absolutam autem futuram esse subjectionem, cum, inimicis virtutibus Christi ministerio destructis, omnia Patri subjicientur; ubi nimirùm ad perfectam ejus similitudinem fideles accesserint, & unum quid cum Christo absolutissimum constituerint: *Nam Deus erit omnia in omnibus:* nec ulla tunc in Christi corpore infirmitatis humanæ supererunt vestigia; nosque ut sui partes corporis suâ cumulabit gloriâ.

INST. 2. Christus Patrem se majorem fatetur esse. Joan. 14. vers. 28. *Pater major me est.*

R. Patrem esse majorem Christo, quà homo est; & etiam aliquo sensu, quà Deus est; non quòd non sit idem cum Patre Deus; sed quòd à Patre communicatam habeat divinitatem. Priorem responsionem adhibent SS. Athan. Hilar. lib. 9. Conc. Paris. & Aquileense, & alii Catholicæ Fidei defensores adversus Arianos. Posteriori utitur responsione Tertull. lib. contra Prax. cap. 3. *Pater*, inquit, *Filio major dici potest, quia Trinitatis origo est; proindè illius esse principaliter à quo communicatur in Filium: & dum illius est, proindè monarchiam esse qua à duobus tam unicis continetur.* Et cap. 9. *Pater enim tota substantia est; Filius verò derivatio totius est portio, sicut ipse profitetur; quia Pater major me est, à quo & minoratus canitur in Psalmo, modicum quid citra Angelos. Sic & Pater alius à Filio, dum Filio major: dum alius qui generat; alius qui generatur: dum alius qui mittit; alius qui mittitur: dum alius qui facit; alius per quem fit.* Itá etiam Novat. lib. de Trin. cap. 31. his verbis: *Quia Pater Filio aliquo modo prior, quia & Pater; illum etiam quâdam ratione pracedit, quòd necesse est quodammodò prior sit, quà Pater sit: quoniam aliquo pacto antecedat necesse est eum qui habet originem, ille qui originem nescit: simul ut hic minor sit, dum in illo esse se scit habens originem* &c. Sic quoque Alexander Alex. in epist. contra Arium ad Alexandrum Constantinop. apud Theodor. lib. 1. Hist. cap. 3. Sic pariter Sardic. Conc. in Epist. Synodicâ apud eundem Theod. lib. 2. cap. 6. Itá tandem S. Athan. orat. 1. contra Arianos, S. Basil. lib. 1. 3. & 4. contra Eunomium, S. Gregor. Naz. orat.

35. & orat. 36. & Sanct. Augustinus lib. de Fide, & Symb. cap. 9.

INST. 3. Sequitur indeclinabiliter Filium, quà Filium, minorem esse Patre; eâ enim ratione Filius non habet id quod Pater habet.

Rt. S. Ambr. lib. 4. de fide ad Gratian. cap. 4. habere Filium naturam Patris, seu divinitatem; sed non Patris proprietatem, seu paternitatem; & Filium non esse minorem Patre, cum ejusdem naturæ sit, & habere se profiteatur quæ Patris sunt. Addit ejusdem esse naturæ fontem, & fluvium; lucem, & splendorem; ex fluvio licet non scaturiat fons, nec ex splendore lux oriatur. Ex S. Hilar. lib. 9. de Trinit. Pater, quà Pater, Filio major est; sed Filius, quà Filius, Patre non minor est; cum Filii natura cum Patre minorem esse non patiatur: quia eadem est divinitas. S. Greg. Naz. addit orat. 34. quæ est 2. de Theologiâ, hæreticorum ratiocinationem ex eo deficere, quòd absolutum inferant ex dicto secundum quid: quod enim Pater, quà principium est, major dicitur, colligunt; ergò major est secundum naturam: at hæc consequentia falsa est; nam si Pater, quà Pater, perfectioris esset naturæ, quia scilicet Patris rationem Filius non assequeretur; eodem jure Filius esset Patre major, cum Pater Filii rationem nec ineat, nec inire possit.

At, inquiebant, saltem prior censebitur Filio Pater.

R. Prior erit origine; sed non prior dignitate, aut tempore; quia relata sunt simul: paternitas autem est nomen relationis; sed hæc responsio infrà fusiùs exponetur.

OPP. 4. Profitetur Christus se non esse verum & summum Deum: nam Marc. 10. v. 18. *Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus.* Et Math. 19. v. 17. *Quid me interrogas de bono? Unus est bonus, Deus.* Patrem insuper suum Deum esse profitetur: Joan. enim 20. v. 17. *Ascendo*, inquit, *ad Patrem meum, & Patrem vestrum; Deum meum, & Deum vestrum.*

R. hæc dixisse Christum Marc. 10. & Math. 19. non eo consilio, ut malus existimaretur; sed ut hominis illius fidei defectum argueret; qui licet Christum pro homine mero haberet, bonum tamen vocare non desinebat. Ut autem Christus divinitatis suæ argumenta præberet, jussit statim illum adolescentem venditis bonis sibi adhærere.

Aliam responsionem afferunt S. Greg. Naz. orat. 36. S. Ambr. lib. 2. de fide cap. 1. & S. Aug. lib. 3. contra Maximin. cap. 23. videlicet non excludi Filium, nec Spiritum Sanctum. Sicut nec 1. Cor. 2. ubi dicitur: *Quæ Dei sunt nemo scit, nisi Spiritus Dei*: nec etiam Math. 11. ubi habetur: *Nemo novit Patrem, nisi Filius.*

Ad Joan. 20. Resp. Christum, ut hominem, homines allocutum ibi fuisse: *Vade*, inquit, *ad fratres meos, & dic illis, ascendo* &c. Pater autem est Deus & Dominus Filii ratione naturæ assumptæ. Addit S. Aug. tract. 121. in Joan. non dixisse Christum, Patrem nostrum, nec Deum nostrum; sed Patrem meum, & Patrem vestrum: Patrem meum naturâ, & Patrem vestrum gratiâ. Cætera hujusmodi loca ad humanam Christi naturam pertinent.

S. Gregor. Naz. aliter respondet orat. 36. & ait ideò Christum vocasse Patrem solum Deum verum, ut verum Deum idolis opponeret Nam & Baruch 3. Filius solus Deus vocatur: *Hic est Deus noster, & non existimabitur alius adversus eum.* Et paucis interjectis: *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Undè patet particulam, *solum*, non esse exclusivam Filii. Ità cæteri Patres.

Inst. 1. Christus merus homo est tantùm, ex 1. Timoth. 2. v. 5. *Unus & mediator Dei, & hominum, homo Christus Jesus.* Et 1. Cor. 15. v. 21. *Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum:* quod & constat ex Symbolo Apostolico.

R. hîc non tradi Christum esse merum hominem, sed esse verum hominem: nec potuisset esse, ut suprà fuit probatum, mediator, nisi Deus & homo esset, & quidem meriti infiniti. Vox autem, *homo*, denotat concretum, utramque videlicet naturam, & personam; nam juxta utramque mediator erat. In altero verò loco 1. Cor. 15. v. 21. pariter vox, *homo*, concretum designat, per quod facta est resurrectio; nam, ut Deus, nec mori potuit, nec resurgere. Symbolum verò Apostolicum Christum ut verum Deum & unum cum Patre proponit, ut scilicet objectum fidei & adorationis: *Credo in Deum Patrem: credo in Jesum Christum.*

Inst. 2. Christum esse purum hominem, quia conceptus est de Spiritu Sancto, & ab ipsâ conceptione Filius Dei est dictus.

R. nullibi propter mirabilem conceptionem Christum Dei Filium dici: sanè quidem Rom. 1. v. 3. & 4. sic loquitur Paulus: *De Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri*: sed quid autem indè colligitur? Christum videlicet esse Filium Dei, non ratione carnis assumptæ; hoc enim sensu est Filius Davidis: sed ratione spiritûs sanctificationis, virtutibus etiam, & miraculis, & præsertim resurrectione mirabili Christum fuisse Dei Filium demonstratum. Sic patet sub unâ ratione Christum esse Filium Dei, quatenùs ex Deo est, nempè & secundum spiritum: sub alterâ autem Filium David, videlicet secundum carnem. Porrò cum Christus Joan. 10. v. 25. se Deum esse doceat, eo ipso Filium Dei se probat; adeò ut vel Deum esse, vel Filium Dei, sensu eodem usurpari sit manifestum.

Inst. 3. Luc. 1. v. 35. *Ideòque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ibi particula, *ideò*, denotat, rationem ob quam Christus vocabitur Filius Dei, hanc esse, nimirùm quòd conceptus sit de Spiritu Sancto. Ergò Christus dicitur Filius Dei ab ipsâ ejus conceptione, tanquam à causâ.

R. particulam, *ideò*, ibi non esse causalem, quasi Christi conceptio sit causa propter quam Christus vocandus sit Filius Dei; sed illativam tantùm, ut significetur ideò miraculosam futuram esse conceptionem; quia qui concipiendus est, Deus est. Nec certè unquam Christus seipsum,

nec alii eum Dei Filium vocarunt, ob hanc rationem ſcilicet, quòd ità conceptus fuerit. Senſus ergò iſtius loci talis eſt: hic Filius Dei vocandus eſt, quia ſanctus eſt qui naſciturus eſt, divinâ videlicet, æternâ, & eſſentiali ſanctitate. Hanc quidem ſanctitatem Angelus non exprimit, ſed Elizabetha ſatis indicat, dum eum vocat, Luc. 10. v. 43. *Dominum ſuum*: imò Angeli eum ut *Dominum*, Luc. 20. v. 11. & Magi adorant ut *Deum*: & Iſaias cap. 9. v. 6. Deum eum nuncupat. Particula, *&*, additur, & quidem non otiosè; ad orationem enim ſimpliciter conjungendam ſufficiebat particula, *ideò*: adjicitur ergo particula, *&*, ut ſenſus ſit non ſolùm Verbum æternum Filium Dei eſſe, ſed *& quod ex te naſcetur ſanctum*, vocatum iri Filium Dei; quia idem ille Filius Dei æternus ex Mariâ naſciturus erat. Iſta verò temporalis Chriſti conceptio non eſt cauſa, cur Chriſtus vocetur Filius Dei Patris; nam & dici potiùs debuiſſet Filius Spiritûs Sancti, quàm Filius Dei Patris: hæc enim conceptio in eo poſita erat, ut humanæ naturæ jungeretur divina perſona: id autem competebat Spiritui Sancto ex Scripturâ & Symbolo; & ſic ratione conceptionis Chriſtus qui naſcebatur, dicendus fuiſſet Spiritûs Sancti Filius, non Dei Patris.

Objectionum ex Sanctis Patribus ſolutio.

Præmonemus, ad quamlibet ex antiquis oppoſitam difficultatem, quæ pro Catholicâ Fide ex illis attulimus argumenta præ oculis eſſe habenda, ut ex eorum comparatione, quid de quæſtione propoſitâ ſenſerint, æquum feratur judicium. Quo tempore floruerint illi antiqui jam ſcripſimus, & adverſus quos diſſeruerint. Quoſlibet, etiam ex infenſiſſimis Eccleſiæ hoſtibus, rogavimus ut attendant an Patres eâ de Fidei capitibus diſſerendi ratione uſi fuiſſent, ſi Catholicæ Fidei adverſam ſententiam, aut Socinianam fuiſſent ſecuti? An circa myſterium de uno in tribus perſonis Deo dubitare videantur? An eam fidem conſtanter adverſus Ethnicos, Judæos, & Hæreticos profiteantur? & an quæ loca difficultatem in eorum operibus pariunt, ad myſterii ſubſtantiam, aut explanationem pertineant? Hæc ſuperiùs expoſita iterùm ſi repeteremus, Lectoribus eſſemus oneri & tædio.

OPP. 1. S. Clementem Rom. lib. 2. Conſt. cap. 34. lib. 3. cap. 17. lib. 6. cap. 11. & 27. docuiſſe Patrem eſſe inſtar Epiſcopi, Filium inſtar Diaconi, Spiritum Sanctum inſtar Diaconiſſæ; & hunc Filio ſubjici à quo creatus ſit.

R. nihil ejuſmodi extare in operibus S. Clementis indubitatis, nempè in epiſt. ad Corinth. quæ ſola ex operibus Sancti iſtius ſupereſt, in quâ myſterium Trinitatis tradit: cætera enim quæ nomine Clementis citari poſſunt opera, ſuppoſita ſunt; quanquam in illis etiam occurrant, quæ Fidei Catholicæ admodùm ſunt conſona. Lib. quippè 3. Conſt. cap. 17 ubi locutus author de Patre, ut causâ, ſeu principio Filii, & emiſſione Spiritûs Sancti, ſubjungit: *Pater qui eſt ſuper omnia Deus; Chriſtus unigenitus Deus, dilectus Filius, gloria Dominus; Spiritus Sanctus, Para-*

cletus, qui à Christo mittitur. Ex quo constat confictorem aut interpolatorem sibi non consentire.

Et certè quomodò tunc temporis Simon Magus se Deum esse dixisset, qui, ut Pater, Samariam descenderat; Judæis apparuerat, tanquam Filius, & ad reliquas gentes, quasi Spiritus Sanctus venerat; nisi tunc persuasum fuisset Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse Deum unum? Nec post Simonem Menander, & qui hæretici Christum hominem fecerunt, ut Cerinthus, Ebion, Carpocrates, & alii, statim ab Ecclesiâ fuissent expulsi. Igitur Christum esse unum cum Patre, & Spiritu Sancto Deum, Catholicæ Ecclesiæ, & S. Clementis fides erat.

Opp. 2. S. Ignatium personas tres agnovisse, sed diversæ substantiæ; cum Christum Patri subjiciat, & Episcopo Patrem, Presbyteris Filium, & Spiritum S. Diaconis, & conservis comparet; itemque solum Patrem doceat esse verum Deum, Filium Patre minorem, & illius adoratorem.

R. in epistolis non interpolatis, sed genuinis, de quibus docti conveniunt; seu in exemplari Medicæo, seu in epistolis ad Ephesios, Magnesianos, Trallianos, Romanos, Philadelphios, Smyrnæos, nihil extare, quod fidem Trinitatis vel minimùm lædat. Ait quidem S. Ignatius in ep. ad Magnes. Christum fuisse quidem Patri subjectum, sed secundum carnem: *Subjecti* inquit, *estote Episcopo vestro, & vobis mutuò, ut Jesus Christus Patri secundum carnem.* Quo sensu Christum Patre minorem, & Patris adoratorem agnovit ipse S. Ignatius, qui ibidem docet, & Dei Filium esse, ex Patris essentiâ, & habere attributa, quæ soli unico Deo possunt competere. Idem in epist. ad Ephes. scribit Christum esse factum quà hominem; non factum quà Deum; esse vitam veram; nihil ipsum latere; & in nobis esse ut in templo. In ep. ad Magnes. ait eum ante secula apud Patrem extitisse; esse Verbum Patris æternum; non à silentio procedere; & Prophetas unicum Deum prędicasse Jesum Christum, *qui ante secula.* In epist. ad Trall. & Rom. Deum Christum vocat: & in actis ipsius martyrii, quęrenti Trajano quis esset Theophoros? respondit eum esse qui Christum haberet in pectore.

Cęterùm nullibi S. Ignatius Patrem Episcopo, Filium Presbytero; Spiritum S. Diaconis comparat; sed monet ut Presbyteri obsequantur Episcopo, sicut Christus Patri secundum carnem: ità in epist. ad Smyr. & ad Magnesianos. Hoc & addit in epist. ad Philadelph. *Unus est Episcopus simul cum omni Presbyterio, & Diaconis conservis meis:* quibus subjungit: *quia & unus est ingenitus Deus Pater; & unus unigenitus Filius, Deus, Verbum, & Homo; & unus Paracletus Spiritus veritatis.* Sic Ecclesiasticam Hierarchiam allusione ad S. Trinitatem factâ illustrat, in quà personarum ordinem describit. Si quid aliud occurrat apud eundem S. Ignatium, non in genuinis ejus epistolis, sed in suppotitiis aut interpolatis deprehenditur; & proindè nullius sanè momenti, nec in illis est immorandum. Consulantur probationes ex S. Ignatio, art. 1. & 2.

Opp. 3. S. Justinus qui obiit circa an. 154. docet Verbum alterius esse substantiæ à Patre : vult enim in dial. cum Triph. ad eum non pertinere attributa essentialia, invisibilitatem scilicet, & immensitatem : ait quippè Patrem ideò non apparuisse ; quia invisibilis, & immensus est : Filium verò se aspectabilem præbuisse ; quia visibilis est, & quia non est immensus.

R. S. Justinum ibi non agere de ratione, quâ Pater à Filio distinguitur ; seu non ideò Patrem à Filio distinguere, quia Pater invisibilis est, vel immensus ; nec rationem illam physicam adhibere ; sed cum Triphone supponere in Scripturis designari Deum alium invisibilem, alium visibilem, ut indè inferret Verbum divinum, seu Filium esse reverà Deum ; & in Scripturis Deum appellari : quod negabat Tripho, ne duos Deos agnosceret. Deum ergò probat in Scripturis dici, tùm qui dicitur in iisdem Scripturis invisibilis, tùm & qui vocatur aspectabilis, ratione scilicet speciei assumptæ, non ratione naturæ : nam Exod. 33. idem qui se conspicabilem facit, ratione propriæ substantiæ conspici se non posse asserit. Justinus ergò argumentabatur ex principio, de quo inter eos constabat ; non verò ex ratione physicâ ; quasi non posset Pater eâ ratione, quâ Filius, videri, specie nempè assumptâ, aut modis illis, qui in Scripturis continebantur : & hoc satis erat ad propositum. Probat autem præter illum invisibilem & immensum, qui in Scripturis Deus dicebatur ; alium quoque dici Deum, qui videndum se præbuerat, & Messias erat. Cum enim S. Justinus Christum verum esse Messiam, & Deum, sibi probandum sumpsisset, & in eo impletas fuisse Prophetias ; inprimis sibi ostendendum esse asserit, Messiam esse verum Deum, non tantùm nomine, ut Solis radius Sol dicitur ; sed etiam naturâ, ut ex ipsius probationibus 1. & 2. art. allatis plùs quàm satis est apertum

Inst. 1. S. Justinus docuit in dial. Filium, quà Deum, Patris voluntati administrasse, presertim in creatione mundi : *ut indè cognoscatis*, inquit, *eum rerum universarum Patri administrum esse, prout jam aßensi estis.*

R. catholicè illa de Verbo æterno à Catholicis dici posse, ut dicta fuere à S. Athan. lib. de Decret. Nic. Synod. S. Basil. l. de Spir. S. cap. 16. videlicet eo sensu quòd non instar Angelorum ministraverit, sed ut potestatis socius, Verbum, Sapientia, & ejusdem cum Patre substantiæ & potentiæ Et indè Novatianus cap. 31. lib. sui, Filium esse ejusdem substantiæ cum Patre probat : indéque S. ipse Justinus pariter colligit non modò Patrem, vel universorum conditorem, esse Deum ; sed & Filium, qui ratione personæ est ab eo distinctus ; quique in Scripturis Deus virtutum, & Dominus gloriæ appellatur.

Inst. 2. S. Justinus asserit Filium de voluntate Patris esse.

R. etiam catholicè hæc dici à Catholico, scilicet eo sensu, ut habet S. Athan. quòd Pater Filium invitus, aut ab extrinseco impulsus non genuerit ; sed eâ voluntate, quâ vult esse bonus, & Deus vult

esse Pater. S. Hilar. lib. de Synodis ait hæc dici posse, ut corporalis passionis excogitatio à Verbi generatione amandetur, & intelligatur ipsum ex essentiâ Dei esse. Ergò ex S. Justino Filius verè est Deus, & ex substantiâ Patris genitus; non verò factus, vel creatus.

INST. 3. S. Justinus credidit Verbum ità esse ex voluntate Patris, ut de eo faciendo deliberaverit; sicut & de cęteris rebus creatis: vult enim Verbum à Patre alium numero esse Deum.

R. S. Justinum per numerum intelligere personam, non aliam divinam naturam: addit enim Filium esse ex Patris substantiâ, & Patrem nihil substantiæ deperdidisse, cum illum genuit: sicut de substantiâ ignis nihil decidit, cum alium ignem producit. Et si Judæi, inquit, intellexissent Scripturas, non inficiati essent Deum esse Dei Filium: *Et ego rursùm*, inquit, *ad Scripturas rediens, persuadere vobis conabor, istum qui Abrahæ, & Jacobo, & Mosi apparuit, Deusque esse dictus, & scriptus est, alium ab eo esse, qui cuncta creavit Deo; numero dico, non animi conceptione.* Similiter alibi: *Alius est, & legitur Deus, & Dominus super & præter opificem universorum.*

INST. 4. In eodem dial. S. Justinus ait quosdam atheos, & impios blasphemare parentem universorum, docentes Christum esse Deum Abrahami, Isaaci, & Jacobi; cum quibus nihil esse fidelibus communionis asserit.

R. S. Justinum in toto opere adversus Triphonem ostendere aliam esse à Patre personam, quæ Deus verus sit, ut suprà probatum est: undè meritò in eos invehitur, qui Christum esse Patrem impiè docebant; cum alius sit Pater, alius Filius; & Deus unus sit cum Patre Filius ille, qui & Abrahæ Deum se in veteri Testamento dicit: *Alii namque alio modo blasphemare, & maledictis incessere parentem universitatis, & qui ab eo venturus vaticiniis promulgatus est, Christum & Deum Abrahæ, & Isaaci docent &c.* Eos igitur perstringit, qui tùm Deum Patrem, tùm Christum Deum Abrahami blasphemarent: & sic non modò ea verba fideliter versa non nocent; quin etiam prosunt admodùm, & catholicum sensum referunt.

Alia levioris momenti opponuntur, ut quòd in dial. dicat Christum factum esse Angelum, & ideò vocari Deum. Equidem factus est Angelus, seu Nuntius Patris, cum caro factus est; sed non eâ unicâ ratione dicitur Deus, at quòd sit Patris Filius æternus: *His nominibus*, inquit, *appellari habet; cùm ex paterni consilii & voluntatis administratione, tum ex voluntariâ Patris generatione:* attamen, ut jam inseruimus, sine diminutione substantiæ, quæ eadem est in utroque divina.

Aliud est quod opponunt Sociniani, scilicet S. Justinum non modò Filium à Patre alium fecisse, quod personæ discrimen innuit; sed à Patre aliud, quod naturæ diversitatem apertè significat, ex ipso Theologorum consensu, qui eâ ratione personarum & naturarum diversitatem tradunt esse exponendam. Addunt etiam, licet S. Justinus in Apol. 2. dicat Filium germen esse à Patre editum, non verò aliud esse à generante; nihil

indè

indè posse inferri, quòd S. Justinus alio genere uti non potuerit, quàm neutro, cum nomina γέννημα germen, & γεγεννημένον genitum, quæ neutrius sunt generis, usurparet. Verùm quàm inanis sit hæc objectio, nemo non videt. Num enim S. Justino alia erat sollicitudo, quàm ut unicum esse Deum evinceret; & Patrem, & Filium esse Deum; Filiumque non esse opus Patris, sed germen ab æterno genitum? Et certè Pater, & Filius ab eo nullibi dicti sunt divisæ naturæ; nullibi saltem in operibus genuinis hoc scripsit, nempè, erat, cum non esset Filius. Alia expendere in animo non est, cum non in verbis, sed in sensu posita sit res catholica. An ità cavillari deceat de tempore, quo fidem tuto, & simplici animo antiqui exponebant? An accuratam loquendi rationem, quam Theologorum industria ob emergentes hæreses excogitare fuit coacta, in antiquis illis oportet inquirere? Et illas nisi deprehenderint, an licet statim inclamare Arianum dogma esse? Profectò Socinianis indulgeremus libenter, si Arianas propositiones apertas invenirent; sed cum ubiquè sparsum apud Patres illos dogma catholicum occurrat, cum illis res esset adversus Ethnicos, Judæos, & Hæreticos, contra quos nihilominus constanter asserunt unum esse Deum; atque Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse ejusdem naturæ: undè petitur quæ sit illis Patribus injuria? Sed ut modò in S. Justino hæreamus, si quæ 1. & 2. art. exscripsimus de tribus personis uno Deo, & de Christo Dei Filio evolvantur, & quodnam fuerit S. Justini propositum attendatur, , nemo est, qui non confiteatur eum cum Catholicis sensisse, aut cum S. Justino sentire modò Catholicos, & sensisse SS. Patres Nicænos. Illius doctrinæ & operum series facilè, & uno intuitu ibi potest conspici.

Inst. adhuc. S. Justin. in dial. scripsit Christum testificatum fuisse sine Deo Patre se salvari non posse; nempè per hæc Psalm. 21. verba: *Deus Deus meus* &c. Si autem Filius Dei, neque quia Filius Dei, neque quia mundus à peccato, prout Isai. dicit, absque Deo se salvari posse affirmat; quonam modo vos, aut alii salutem citra spem ejusmodi expectatis?

R. ad humanam Christi naturam esse hæc referenda, ut vel ex ipsis S. Justini verbis elucescit.

Opp. 4. Athenag. in Apol. Filium esse æternum non profitetur, nisi quatenùs est in efficientiâ, & ideâ Dei instar cæterarum creaturarum: *Verbum Patris*, inquit, *in ideâ & efficientiâ Dei existit.*

R. Verbum, seu Filium in ideâ Patris activè fuisse; quia Filius creator futurus erat: non verò passivè, seu ut creandus, & instar creaturarum, & quasi constituto tempore conditus fuerit. Subjungit enim Athenegoras: *Ab ipso, & per ipsum facta sunt omnia*: Et addit Filium, seu Verbum esse ab æterno; quia Pater ab æterno rationem habet; eum primogeniam esse Patris progeniem; hancque rationem Deum esse; & unum esse Deum cum Patre substantiâ & potentiâ *cum Pater, & Filius unum sint.*

Inst. Frustrà respondetur Athenagoram agnovisse Verbum distinctum, quod rationem in Deo esse ab æterno agnoverit: nam rationem illam, internam scilicet, à Deo non distinxit; sed externam tantùm, seu Ver-

bum externum, quod prodiit, & prolatum fuit, cum Deus orbem condidit, seu cum perpolienda fuit materia.

R. Athenagoram rationem illam internam, seu Verbum internum, prout Filius Dei est, à Patre divino distinxisse ratione personæ; non verò ratione divinitatis. Idem Verbum internum, cum mundum creavit, prodiit quidem exteriùs, *sed ut rerum cunctarum idea, & perfectio foret.* Sic Verbum, quà internum, ab æterno à Patre genitum fuit, & prodiit creator orbis. Docet igitur Athenagoras Verbum esse Patris progeniem, non quasi factum sit; cum Verbo illi interno divinitatem, adorationem, eandemque cum eâ, quæ Patri adscribitur, æternitatem, & alias divinitatis perfectiones tribuat; & subjungat unum Deum à Christianis credi, & Filium Dei ab omnibus Deum haberi; & ideò eundem honorem Patri, & Filio deferri; unumque esse Christianorum votum, ut Trinitatis mysterium intelligant: *Quem*, inquit, *utpotè Deum cum Verbo suo cognoscere optamus, ut quænam Filii ad Patrem sit unio, intelligamus: quid Pater cum Filio communicet; quid sit Spiritus; quæ unitas trium; quæ discretio unitorum, Spiritûs scilicet, Filii, & Patris.* Ibi manifestè Filium à Patre ratione personæ distinxit Athenagoras; non enim in votis esset intelligere Deum esse rationalem &c. cum illud satis omnibus obvium sit. Optat igitur ut omnes intelligant quomodò ratio Dei, seu Filius, sit à Patre distinctus, & unus cum eo Deus æternus, omnipotens, adorandus &c. Ergò Dei Verbum agnovit nomine, naturâ, origine, & professione Deum; cum ità ab omnibus Christianis agnosceretur, & adoraretur. Art. 1. & 2. sunt loca.

O P P. 5. Tatianum in orat. cont. Græcos docuisse in patre fuisse ab æterno Verbum, sicut cæteras creaturas; & per rationalem vim tempore constituto erupisse.

Resp. 1. Tatianum (quod & aliis antiquis contigit) scripsisse quo tempore fides vigebat integra, simplexque exponendi ratio; nec enim tunc cautionibus erat locus, cum hæretici mysterium istud non eâ subtilitate, quâ Sociniani, impugnassent. Ideòque nihil mirum, si quædam minùs accuratè de Trinitatis mysterio protulerit Tatianus.

R. 2. ipsum Tatianum sub duplici consideratione Verbum spectasse, nempè quatenùs ab æterno genitum est, & est in sinu Patris; & quatenùs prodiit exteriùs, creando universum orbem, aut colloquendo cum hominibus. Cæterùm Verbi generationem æternam esse Tatianus novit, & ex substantiâ Patris non divisâ, aut imminutâ, sicut fax communicatâ luce nihil sui deperdit: *Natum est autem*, inquit, *per divisionem, non avulsionem: quod enim avellitur, à primo separatur; quod verò dividitur, id functione donatum propriâ, nihil imminuit illum, à quo vim suam sumpsit.* Verbo quoque adscribit abstracta Dei attributa, nempè esse Spiritum, & rationem, cum dicit Spiritum à Patre genitum, & rationem, ut art. 2. retulimus. Ideò autem ipsum voluntate erupisse asserit, ut generationem ejus æternam, & spiritualem esse significet; nam cum ipso per rationalem vim λόγος ab æterno fuit.

INST. Deum ab æterno fuisse solum docet, & Verbum è Patris potentiâ progressum.

R. ideò eum docuisse Deum ab æterno fuisse solum, quòd nulla extaret creatura: Verbum enim creatura non est. Sic ergò Verbum Deum censuit nomine, naturâ, origine &c. Verbum autem è Patris potentiâ progressum esse dicit, quatenùs externum est, & creans: & ideò subjungit genitorem non remansisse Verbi expertem. Ergò aliâ ratione spectavit Verbum, ut prodit exteriùs; aliâ, ut ab æterno in Patre manet: extant loca suprà.

OPP. 6. S. Theophilum Antiochenum ad an. 182. lib. 2. ad Autolicum, ubi ait Verbum non esse æternum; sed generatum, cum Deus mundum condidit. Addit & illud in rebus creandis, & constituendis, esse Dei administrum: item Patrem nec visum, nec videri posse; quia nec loco includi, nec in loco inveniri potest: Verbum verò apparuisse; quia nec est invisibile, nec immensum; sed & in loco inveniri & includi potest.

R. hæc tradere Sanctum Theophilum de Verbo, ut prodiit exteriùs, seu ut prolatitium est; non ut Verbum est interius, & ab æterno. Verbo illi intimo, quod est in visceribus, ut ait, Patris, tribuit æternitatem, nomen Dei, & attributa divina. Ait illud extitisse, ut Dei consiliarium, mentem, & sapientiam, antequam ulla res crearetur: hunc λόγον posteà genuisse prolatitium; non ità tamen ut interiori illo se privaret: & sic Verbum fecit nomine, naturâ, & origine Deum, illique contulit attributa Dei abstracta, & unum Deum cum Patre agnovit: sunt loca art. 1. & 2.

OPP. 7. ex S. Iren. lib. 3. cap. 6. solum Patrem verum esse Deum, Deum Abraham, *& supra quem alius Deus non est.*

R. S. Iren. hæc tradere de Deo Patre, ut opponebatur Deo Valentinianorum, qui alium Deum, Deo Patre superiorem constituebant; non verò excludendo Filium, quem lib. 4. cap. 26. docuit esse unum cum Patre Deum, imò & esse illum Deum Abrahami, Isaaci &c.

INST. Ex lib. 4. cap. 37. Filius non fuit unus cum Patre Deus, qui Patri ministravit, nec eadem ejus est cum Patre natura; ut qui visibilis fuerit, Pater autem invisibilis.

R. ex S. Iren. lib. 2. c. 2. Filium, & Spiritum Sanctum ministrasse Patri, at non ut ministros; sed ut ejusdem omnipotentiæ socios. Undè Patrem allocutum esse Filium, & Spiritum Sanctum observat, & dixisse: *Faciamus hominem ad imaginem nostram.* Et addit: *& fecit Deus*, scilicet Filius ad imaginem suam, Patre quidem benè sentiente; Filio verò ministrante & formante; Spiritu verò nutriente & augente. Porrò nullibi tradit Verbum esse visibile ratione naturæ suæ divinæ; licet visum fuisse scribat. Undè fit in aperto eandem esse trium personarum substantiam.

INST. Christum diem Judicii nescivisse, & Patre minorem esse scripsit ipse S. Irenæus lib. 2. cap. 48. & 50.

R. eum de humanâ Christi naturâ præcisè sumptâ disserere; non verò de divinâ. Et verò quomodò Christum diem Judicii ignorare supponeret, quem rerum omnium creatorem agnovit? Ex eâ porrò Christi hominis ignorantiâ colligit Irenæus argumentum adversus Gnosticos, qui

perfectam mysteriorum doctrinam sibi tribuebant. S. Irenæi doctrinam suprà exposuimus art. 2. & 3.

Opp. 8. ex Clemente Alex. lib. 1. pædag. cap. 8. solum Deum Patrem Christi bonum esse, & Deum.

R. id Clementem asserere, non excluso Filio: imò Patri Filium conjungere ibidem in bonitate, & divinitate, simulque in adoratione debitâ: *Ut sit veritate apertum, quòd, qui est universorum Deus, unus solus sit bonus, justus, opifex, Filius in Patre, cui gloria in secula seculorum, amen.* Ibi quippè probandum sibi sumebat eundem, & justum, & bonum, Christi Patrem esse; quod hæretici negabant.

Inst. 1. Clementem Alex. lib. 6. Strom. asserere Filium diversæ naturæ esse à Patre; ut qui dicatur à Patre factus: *Unus enim*, inquit, *est reverà Deus, qui fecit principium universorum, significans primogenitum Filium, ut scribit Petrus, præclarè intelligens illud: In principio fecit Deus cœlum, & terram.* Item lib. 4. docet, *Deum non cadere sub demonstrationem; Filium verò habere demonstrationem.* Lib. quoque 7. scribit Filii naturam omnipotenti Deo proximè accedere; necnon Patrem esse primam causam, & Deum dici cum articulo; Filium verò secundam, & Deum dici absque articulo.

R. Clementem Alex. uti verbo, *facere*, pro verbo, *generare*: cumque profiteri Verbum, & æternum, & omnipotens, & unum cum Patre Deum; ut ex ipso superiùs exscripsimus: imò in hoc 6. lib. probare contendit Filium esse verum Deum æternum, Patris sapientiam, & consiliarium; quæ omnia rei creatæ non competunt: Filii autem naturam omnipotenti Deo proximè accedere docuit lib. 7. quia eadem est in Patre, & Filio divinitas. Similiter ait visibilem fuisse Filium; sed ratione speciei assumptæ, non ratione divinitatis: nam eum, ut Deum, invisibilem esse docuit, ut patet ex probationibus superiùs allatis. Quòd autem Filium dixerit sine articulo Deum, & secundam causam; non significat propterea divinitatem in Filio minorem: Deus enim Pater, ut etiam suprà probatum est, absque articulo Deus sæpiùs dicitur. Aliundè verò eandem divinitatem in Patre, & Filio tradidit. Equidem Filium dixit secundam causam; sed ut eum secundam personam esse ostenderet. Constantem ejus doctrinam art. 2. & 3. expositam non repetimus.

Inst. 2. In lib. hypotiposeon Clementis, extabat hæresis Ariana, ut testatur Photius in Bibliothecâ.

R. ex eodem Photio illud opus fuisse corruptum, & proindè ex eo nihil posse deduci.

Opp. 9. Tert. adv. Prax. cap. 3. & 4. inæqualem potestatem Patri, & Filio, & Spiritui Sancto tribuere; quia eandem vult esse in illis, & Angelis administrandi orbis potestatem, quæ est in Rege, filio Regis, & administris; monarchiam esse unius, & principaliter Patris; eam à Filio participari, & ab Angelis administrari.

R. Tert. in omnibus comparationem non instituere; sed in eo tantùm, ut quâdam ratione unitatem monarchiæ in Patre, & Filio exprimat;

non verò, ut unitatem substantiæ excludat; sic enim habet: *Nullam dico dominationem ità unius sui esse, ità singularem, ità monarchiam, ut non etiam per alias proximas personas administretur.* In eo ergò comparatio est, quòd sicut conveniunt admodùm princeps, & filius, & administri, in Reipublicæ procurandâ tranquillitate; ità patris, & filii monarchia in bonum universi tota conspiret, nec dividatur illa, licet, ut habet, duobus unicis contineatur, & in tertium gradum dividatur. Hæc enim non affert, ut excludat unitatem substantiæ; imò & indè illam asserit: ex unitate quippè substantiæ patris, & filii, unitatem monarchiæ docet. Idem Tertullianus cap. 2. arguit Praxeam, quòd se unicum Deum colere velle significaret; quasi non unicum Deum nos colamus, inquit; non sic quoque unus sit omnia, dum ex uno omnia, per substantiæ scilicet unitatem; quamquidem pluribus ità exponit: *Tres autem non statu, sed gradu: nec substantiâ, sed formâ: nec potestate, sed specie: unius autem substantiæ, & unius status, & unius potestatis; quia unus Deus, ex quo & gradus isti, & formæ, & species, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti deputantur.* Ergò tantùm abest, ut Tertullianus excludat substantiæ, & potestatis unitatem; quin potiùs substantiæ, & potestatis unitatem hinc repetat, quòd sint unus Deus: undè ait illam monarchiam quidem communicari Filio, dum scilicet à Patre generatur: *Sed proindè*, inquit, cap. 3. *illius esse principaliter, à quo communicatur in Filium*: at eam non vult esse communicatam filio, ut communicatur Angelis: *quale est*, inquit, *ut Deus divisionem & dispersionem pati videatur in Filio, & in Spiritu Sancto secundum & tertium sortitis locum; tàm consortibus substantiæ Patris, quas non patitur in toto Angelorum numero, & quidem tàm alienorum à substantiâ Patris?* Ergò ex ipso non divisionem patitur monarchia, licet communicetur Angelis: ergò à fortiori nec in tribus personis: quia non sunt Angeli ejusdem cum Patre substantiæ; &, ut benè monet, destruunt monarchiam, qui duos Deos inducunt, ut Valentiniani, & Prodici: *Cum alius Deus infertur adversus creatorem. Tunc malè, cum plures, secundum Valentinianos, & Prodicos: tùm in Monarchiæ eversionem, cum in creatoris destructionem.*

INST. 1. Filius habuit monarchiam, seu potestatem participatam; ut qui eam ad tempus acceperit, Patri restituendam: *Ità*, inquit ibidem cap. 4. *eam nemo hoc nomine destruet, si Filium admittat, cui & traditam eam à Patre, & à quo quandóque restituendam Patri constat.*

R. ibi Tert. agere de specie quâdam potestatis communicatæ Filio Dei, prout mediatoris officium habuit; non verò de potestate divinâ. Ut enim manifestiùs Patrem à Filio distingui probet, hoc argumento utitur: Filius, quà incarnatus, accepit potestatem à Patre restaurandi generis humani, &, ut habet, illud Deo subjiciendi: ubi verò post resurrectionem nihil sordium superfuerit, tunc cessante usu illius potestatis subjicietur ipse; non enim agit de potestate divinâ: & ut duas esse personas evincat, ità disserit in fine: *Hoc uno capitulo Epistolæ Apostolicæ*

potuimus jam & Patrem, & Filium ostendisse duos esse, præterquàm ex nominibus Patris, & Filii. Hinc sequitur Patrem, & Filium distinctas esse personas; quia alius est, qui subjicit; alius est, qui subjicitur Dei Filius homo factus.

Inst. 3. Docet Tertullianus cap. 7. Verbum non habere eandem perfectionem cum Patre; ut quod ipsum Verbum perfectionem suam sit consecutum, cum Deus per illud orbem creavit: *Tunc igitur*, inquit, *ipse sermo speciem & ornatum suum sumit.*

R. locutum fuisse Tertull. de perfectione extrinsecâ, de quâ jam sæpiùs disseruimus; non verò de intrinsecâ: *Primùm*, inquit, *ad cogitatum .... dehinc generatus ad effectum*: seu primùm ab æterno generatus, deindè externus prodiit, cum è nihilo orbem eduxit. Et sanè omnem scrupulum eximit Tertullianus, si quis superesset, quòd tàm sæpè docet Verbum reverà Deum esse, & ab æterno, & unius cum Patre substantiæ: & proindè non censuit Verbum perfectionem intrinsecam accepisse, cum orbem creavit. Ibi quippè Tertullianus Praxeæ objectionem (scilicet Verbum esse quid inane) confutans, Verbum esse quid reale, & ex Patris substantiâ, & Patrem Filium sibi parem genuisse probat; hunceque esse primogenitum, & unigenitum: *Exindè eum parem sibi faciens*, inquit, *de quo procedendo Filius factus est primogenitus, ut ante omnia genitus, & unigenitus, & ex Deo genitus propriè de vulvâ cordis ipsius.* Addit cap. 12. cum Judæis Praxeam, & illos sentire, qui unum Deum ità crederent, ut illi neque Filium, neque Spiritum Sanctum annumerarent.

Inst. 3. Non totam substantiam Patris, sed tantùm portionem Filio tribuit Tertullianus cap. 9. *Pater enim tota substantia est; Filius verò derivatio totius, & portio, sicut ipse profitetur; quia Pater major me est.*

R. ità locutum esse Tertullianum, ut ostenderet Patrem esse aliam á Filio personam, utpotè qui ejus principium: ità enim seipsum exponit: *Sic & Pater alius à Filio, dum Filio major: dum alius qui generat, alius qui generatur.* Variis ipse comparationibus, tùm ex ramo, tùm ex fonte deductis, substantiæ in Patre, & Filio unitatem illustrat cap. 13. has in probationibus retulimus.

Inst. 4. Tertullianus docet Filium esse visibilem; Patrem verò invisibilem: ità cap. 14. lib. ejusdem contra Prax. lib. contra Judæos c. 9. lib. 2. contra Marcion. cap. 27. & lib. 4. cap. 22.

R. eum non docere Filium esse visibilem, quà Deum; imò istud negare eodem in cap. 14. lib. contra Praxeam: *Dicimus enim*, inquit, *& Filium suo nomine eatenùs invisibilem, quà sermo & spiritus Dei ex substantiæ conditione jam nunc, & quia Deus, & sermo, & spiritus.* Et addit: *visibilem autem fuisse ante carnem ...... in visione, & in somnio, vel in formâ qualicumque* &c. Ut autem probet Filium esse aliam à Patre personam, hoc argumento utitur; alium nempè dici Deum in Scripturis, qui visus fuit; alium qui diceretur invisibilis; quia nunquam visus esset. Sic Filium conspicabilem fecit ratione speciei assumptæ.

OPP. iterùm Tertullianum Filio Dei denegasse attributa essentialia, æternitatem scilicet lib. advers. Hermog. cap. 3. cujus hoc erat argumentum, ut materiam esse æternam probaret: Deus semper est Deus, etiam ab æterno Dominus est: nullâ porrò ratione potuit semper Dominus haberi, si non fuisset aliquid retrò semper, cujus semper Dominus haberetur: ergò existit ab æterno materia. Tertull. autem de principio illo convenit cum Hermogene; sed negat Deum fuisse ab æterno Dominum; & proindè non extitisse ab æterno materiam; sicut nec fuisse Judicem, aut Patrem ab æterno; quia peccatum ab æterno non erat, nec Filius: & proindè æternitatem denegavit Filio, sicut & materiæ, & peccato: *Nam, inquit, ex quo esse cœperunt, in quæ potestas Domini ageret, ex illo per accessionem potestatis, & factus, & dictus est Dominus; quia & Pater Deus est, & Judex Deus est; non tamen ideò Pater, & Judex semper; quia Deus semper: nam nec Pater potuit esse ante Filium, nec Judex ante delictum. Fuit autem tempus, cum & delictum, & Filius non fuit, quod Judicem, & qui Patrem Dominum faceret.*

R. ad subjectam materiam si attendatur, statim nullius momenti visum iri difficultatem: in hoc enim contra Hermog. opere, non de Trinitate sermo est, sed de creatione mundi. Ab æterno quippè materiam fuisse Hermogenes opinabatur: quòd ab æterno Deus diceretur Dominus: ostendit verò Tert. nihil ab æterno fuisse creatum, non Angelos, non homines, seu Dei filios, quorum respectu Deus diceretur Pater; aut si nomine Filii Filium Divinum intelligat, eum considerat extrinsecè, prout sermo prolatus fuit sono circumvestitus; non verò quatenùs est sermo interior, Deus, & apud Deum: hâc enim ratione argumentum Hermogenis diluit. Ibi de habitudine creatoris ad materiam extrinsecâ, movebatur quæstio: nam indè contendebat Hermog. esse ab æterno materiam, quòd ab æterno Deus, quà Dominus, habitudinem extrinsecam ad materiam haberet; aliam enim habere non poterat: hanc autem Deum ab æterno habitudinem ad materiam habuisse negat Tert. sicut nec habebat ad Verbum, quà externum, aut prolatum, aut creator est. Ex quo enim ad filium, ut creatorem, pater habitudinem non dicit; quia per Verbum, *omnia facta sunt Joan.* 1. rectè sequitur materiam non extitisse, quia non fuerat à Verbo creata. Et verò duplicem Verbi respectum accuratè distinguere solet Tertullianus, nimirùm quatenus internum est, seu nondum creator; vel quatenùs externum est, seu sono, aut alterâ specie circumvestitum: sub priori respectu æternum & Patri coæternum esse profitetur lib. contra Prax. cap. 5. quia ratio Patris est &c. ut in probationibus ostendimus. Item lib. isto contra Hermog. cap. 45. Verbum, quà sermo interior est, seu sophiam distinguit à sermone, quatenùs prolatus est, seu quo usus est Deus in orbe condendo, sono & aëre illum circumvestiens: *Sed primò*, inquit, *sophiam conditam initium viarum in opera ipsius: dehinc & sermonem prolatum, per quem omnia facta sunt.* Et cap. 19. scribit Verbum, seu sophiam esse æternum, & apud Deum: *hæc denique sola cognovit sensum Domini. quis enim scit quæ sunt Dei, & quæ in ipso, nisi spiritus qui in ipso? Sophia autem Spi-*

ritus, hæc illi consiliarius fuit, via intelligentiæ & scientiæ ipsa est.... quis non hanc potiùs omnium fontem & originem commendet? Cap. quoque 20. ait in principio, non in materiâ, aut ex materiâ, Deum omnia fecisse, ut Hermog. falsò contendebat: *Antè*, inquit, *sophia cogitando & disponendo jam fecerat.* Probat etiam ex S. Joan. sermonem Deum esse, & apud Deum, & omnia per ipsum facta esse: *Et sermo erat apud Deum, & Deus erat sermo.*

INST. Tertullianus sermoni etiam interiori, seu sapientiæ negat æternitatem: ita enim ratiocinatur cap. 18. contra Hermog. Si materia esset æterna, esset aliquid sapientiâ Dei antiquius, nempè materia Verbo esset antiquior. Sic ergo supponit Verbum non habere æternitatem, quam haberet materia, si esset æterna. Addit eo tempore creatam fuisse sapientiam, cum de creando orbe Deus cogitavit; itâ c. ult. ejusdem lib. ubi ait Prophetas & Apostolos nullam materiam designasse, ad quam Deus, cum creare vellet, accesserit; sed scripsisse 1. sophiam condidisse, & deindè sermonem protulisse, quo omnia condita sunt: & sic sermo interior æquè ac exterior ex Tert. creatus est.

R. Tertullianum ex absurdo, quod ex Hermogenis doctrinâ sequebatur, Hermogenem confutare, scilicet ex eâ, quam materiæ tribuebat, æternitate, sequi materiam Verbo Dei esse aliquo modo præferendam; quia materia esset ingenita, ut pater; filius verò, licet ab æterno, nihilominùs esset genitus, & haberet principium, etsi creator sit; sicque materia æquaretur patri ingenito, & præponeretur filio genito, qui filius prodiit, & natus est exteriùs, cum dictum est: *Fiat.* Noluit autem Tert. hîc asserere filium in tempore fuisse factum: nam docuit eum ex substantiâ Patris natum esse, & in ipso patre subsistere, *quòd ex ipso & in ipso fuit*; & Deum esse, *& unum cum Patre Deum*, verba illius sunt: si enim ex Patre, & in Patre; ergò immutabilis, ut Pater, ergo Deus ut Pater; quidquid enim in Deo est, Deus est: etsi, ut habet, Deus, & unus cum Patre Deus, æternus ut Pater: *Agnosco ergò*, inquit Hermogenes, *idcircò etiam sophiam Dei natam & conditam prædicari, ne quid innatum & inconditum præter solum Deum crederemus. Si enim intra Dominum quod ex ipso & in ipso fuit, sine initio non fuit: sophia scilicet ipsius exindè nata & condita, ex quo in sensu Dei ad opera mundi disponenda cœpit agitari: multò magis non capit sine initio quicquam fuisse quod extra Dominum fuerit. Si verò sophia eadem Dei sermo est sensu sophia, & sine quo factum est nihil, sicut & dispositum sine sophiâ, quale est ut filio Dei sermone unigenito & primogenito aliquid fuerit præter Patrem antiquius: & hoc modo utiquè generosius, nedum quod innatum nato fortius, & quod infectum facto validius? quia quod, ut esset, nullius eguit authoris, multò sublimius erit eo, quod ut esset, aliquem habuit authorem.* Et infrà: *ità & hoc nomine materiam Deo præponit Hermogenes, præponendo eam filio. Filius enim sermo, & Deus sermo: & ego & Pater unum sumus: nisi quod sustinebis æquo animo filius eam præponi sibi, quæ Patri adæquatur.* Cap. 20. ait sermonem à Joanne dici factorem omnium. Quomodò autem pugnet Tert.

Tert. pro Verbi cum Patre æterno coæternitate, ex probationibus suprà sit perspectum, præsertim ex l. cont. Prax. cap. 5. & c. 7.

Cæterùm elucescet admodùm quæ fuerit Tertulliani de Filiî divinitate fides, si, quod de superioribus authoribus jam fuit observatum, hîc vel solummodò moneamus; neminem scilicet pro Dei unitate contra idololatras, pro Christi Divinitate, & pro pluribus in Deo personis contra Judæos, & Praxeam, seu pro fide postmodùm Niceæ sancitâ, feliciùs Tertulliano pugnasse: sed nec ipse, cum infeliciter Montanistis adhæsit, hanc fidem ubique terrarum, & præser.im Romæ conspicuam, Zephyrino, nec aliis Catholicis exprobrat; nec ipsi Tertulliano hanc doctrinam vitio vertunt Catholici, ut qui cum eo de præcipuò Christianæ religionis dogmate convenirent. Etenim adeò palàm erat Christianorum fides illa, ut Luciano gentili, ad an. 174. in Philopatro, nihil ad religionis Christianæ ludibrium magis facere visum fuerit, quàm faceta & ridicula istius mysterii expositio. Introducit tùm ethnicum sic interrogantem Christianum, quemnam igitur tibi jurabo: tùm & Christianum ità respondentem; Deum altè regnantem, magnum & aëreum, atque æternum filium Patris, unum ex tribus, & ex uno tria. Quo tempore florebat Tert. non defuerunt alii præter Praxeam hæretici Trinitatis hostes infensi, scilicet Theodotus Coriarius Bisantinus, & Artemon, qui à Victore Papâ ideò communione Catholicâ fuit privatus. Ex quibus tam Tertulliani, quàm Ecclesiæ universæ 2. & 3. seculis fides posteà 4. seculo Niceæ definita in aperto ponitur.

Opp. 10. Origenes docuit Verbum creatum esse, & solâ participatione Deum: nam lib. 6. contra Celsum observat, cum nomini Θεὸς præfigitur articulus, verum in Scripturis Deum designari; cum verò non præfigitur, Dei filium, aut eos qui participatione quâdam Dii nominantur, significari: ita quoque tom. 2. in Joan. Prætereà malè de Trinitate censuisse Origenem tradunt S. Epiph. in ep. ad Joan. Hieros. & hæres. 64. S. Hieron. epist. ad Avitam, Theophilus Alex. epist. 1. & 2. necnon S. Aug. lib. de hæres. num. 43. ubi refert eum docuisse Filium Patri collatum, mendacium esse, non veritatem; & tantùm distare à Patre, quantùm Apostoli à Christo; nec orandum esse Filium cum Patre. Unde Synod. 5. ad an. 553. act. 8. & Can. 11. Origenem damnavit; sicut & Conc. Lateranense sub Martino I. c. 18. Item author Anonymus lib. 5. Apolog. pro Origene apud Photium Codice 117. fatetur Origenem docuisse Filium non esse adorandum, nec simpliciter bonum nec cognoscere Patrem. Ideò sæpiùs author Arianæ hæreseos à pluribus nuncupatur Origenes.

R. loca quæ cont. fidem pugnant, ab inimicis Origenis, aut ab hæreticis fuisse ejus operibus inserta, ut ipsemet conqueritur in epist. ad amicos suos Alexandriæ commorantes, quam Ruffinus in Apologiâ refert: ità etiam Author ejus Apologiæ apud Photium codice 117. præcipuè quoad doctrinam Trinitatis: item Pamphilus Mart. in Apol. quam Ruffinus refert: item & ipse Ruffinus eorum librorum adulterationem pluribus confirmat, simulquè ab hæresi Origenem vindicat. Et certè S. Athan. Ecclesiæ Alex. Episcopus, & Catholici dogmatis defensor eximius, Origenis ejusdem Ecclesiæ

alumni authoritate adversus Arianos in illius doctrinâ versatos usus non fuisset, si vel minimâ suspicione laborasset Origenis doctrina: immò verò à tanti nominis authore laudando non tantùm abstinuisset S. Athan, sed & ab ejus sententiâ alienum se fuisset testificatus. At ipse S. Athan. sanctorum & eruditissimorum Episcoporum vestigia sectatus, Origenis doctrinæ Catholicæ continuò adhæsit; nec ullum unquam Origeni circa Sanctissimæ Trinitatis fidem Catholicam errorem vitio versum habuit confutandum. Hoc in capite non paucos habuit, nec indignos, quos imitaretur; nec paucos, nec indignos sortitus est imitatores. Origenis igitur doctrinæ discipulus S. Athan. Heralam Episcopum Alex.unum ex decessoribus suis, Gregorium Thaumat. S. Firmilian.& alios secutus est. S. etiam Athanasium, damnatâ hæresi Arianâ. imitati sunt SS. Basil. & Greg.Naz. qui in eâ confutandâ summam operam collocarunt: nec mirum sanè; cum aperta sit Origenis doctrina in operibus ejus genuinis, ubi Verbum, & Christum, nomine, naturâ & professione Deum facit, ut ex libris cont.Celsum in probationibus ostendimus. Ergò sive consulantur ejus opera genuina; sive ejus discipuli, fidei Catholicæ professionis gloria tanto viro non potest eripi

Nec indè Conciliis & SS. Patribus, qui Origenis opera damnarunt, vel levis fit injuria: propterea enim ejus opera proscripserunt, vel quòd alios errores continerent v. c. animas omnes simul fuisse creatas, & in corpora postmodùm detrusas, quòd in quædam peccata fuissent lapsæ, pœnas damnatorum finitum iri &c.aut quòd Origenis operum depravatorum authoritate uterentur hæretici, fidelesque tanti nominis gloriâ deciperent facilè: non verò quòd in fide Trinitatis aberraverit. Etenim tam eximiæ eruditionis virum in gravissimo religionis Christianæ dogmate sibi ipsi fuisse contrarium præter fidem est. Cum ergò tùm in locis à nobis in probationibus adductis; tùm in indubitatis cont.Celsum operibus, fidem Catholicam non modò tradat, sed exponat, & propugnet; in aliis operibus eamdem haud dubiè docuerat: sed hæc fuerunt interpolata studiosè; nec visum fuit hæreticis, aliundè posse comparari tanti nominis authoritatem: Undè Concilii 5. Sanctionibus fidei, & fidelibus prudenter fuit consultum, ne tam illustris viri nomine in erroribus propugnandis hæretici abuterentur. Addimus loca, quæ fidei Catholicæ favent, Origenis operibus à Ruffino non fuisse inserta; cum ante Ruffinum ea ex ejus operibus pro fide Nicænâ S. Athan. & alii adduxerint; & de ejus librorum adversus Celsum integritate apud omnes constet.

INST. Sed in libris contra Celsum, eosdem errores videtur tradere; lib. enim 2. docet Patrem Filio præcepisse orbis creationem, & Filium creaturam esse: lib. etiam 6. ait Verbum totius creaturæ esse primogenitum. Et lib. 8. scribit Filium esse Patre inferiorem; item Patrem, & Filium esse unum concordiâ, non verò naturæ unitate.

R. Patrem præcepisse Filio creationem juxta mentem Origenis, non ut inæquali, sed ut potestatis socio; & sic maximè illustrari filii omnipotentiam, qui creare potuit. Dico quoque ex ipsius Origenis mente filium esse creaturam, quatenùs Verbum prolatitium: item primogeni-

tum totius creaturæ esse, quia ab æterno genitus; aut ex Apost. Col. 1. & ex S. Athan. orat. 5. quia per ipsum filiorum adoptionem omnes consequimur. Dico adhuc Origenem probare Patrem Filio majorem esse, adversus hæreticos quosdam occultos, eo quòd à Patre procedat. Aio tandem unitatem concordiæ non excludere unitatem substantiæ; imò eam involvere, ut probatum est superiùs, & quidem ex Origenis proposito, & verbis. Nec intelliget quis facilè, quâ ratione possit vel in suspicionem adduci doctrina virorum illustrium, qui pro Dei unitate contra Ethnicos tam egregiè decertarunt; qui cum Judæis, & hæreticis de illâ unitate consenserunt; & qui plures in Deo personas constanter professi sunt. Origenis doctrinæ series refertur superiùs art. 2. & 3.

Opp. 11. S. Greg. Thaumat. ex S. Basil. epist. 64. Filium creaturam, & facturam esse docuit.

R. S. Greg. Thaum. ex eodem S. Basil. filium, quà hominem, creaturam fecisse; ut Æliano, quem ad fidem sensim adducere studebat, se attemperaret. Is Neocesareæ Sabellianismum oppressit, & ab eo ad Musonium usque in eâ Ecclesiâ fidei Trinitas viguit illibata. Tandem ex S. Greg. Niss. in ejus vitâ veram Trinitatis, & consubstantialitatis fidem, à S. Joanne per revelationem accepit, quæ in Neocæsariensi Ecclesiâ servabatur, eamque ab Arianâ hæresi tutam fecit. In orat. verò ad Origen. Verbum dicit esse veritatem, & sapientiam: undè igitur Socinianorum ducatur scrupulus, quis intelligat?

Opp. 12. S. Cyprian. ep. 73. docere Christum profiteri Patrem esse majorem se, & Patri se in omnibus obsequi.

R. S. Cyprian. de Christo homine disserere, ut vel legenti obvium est.

Opp. 13. Novatianum cap. 17. scribere filium esse minorem Patre; & Patri se nunquam adæquasse; & facturum fuisse rapinam, si Patri se adæquasset; eumque in omnibus Patri obsequi: his enim Philipp. 2. laudatis verbis: *Qui cum in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, hæc habet: *Quamvis enim se ex Deo Patre Deum esse meminisset, nunquam se Deo Patri aut comparavit, aut contulit, memor se esse ex suo Patre, & hoc ipsum quod est, habere se, quia Pater dedisset. Indè deniquè & ante carnis assumptionem, sed & post assumptionem corporis, post ipsam prætereà resurrectionem, omnem Patri in omnibus rebus obedentiam præstitit pariter ac præstat.*

R. Novatianum dixisse filium esse minorem Patre, nec ipsum filium se æquare Patri, imò & illi fuisse obsecutum, ut eum distinctam à Patre personam esse ostenderet, uti ex Novatiani proposito fit palàm: addit enim, *non ingenitus est*; ut Pater, sed *genitus*; & quidquid habet, communicatum habet: *Quamvis enim se ex Deo Patre Deum esse meminisset &c.* non tamen ideò inæqualem divinitatem habet: nam, ut docet cap. 31. *ad hoc genitus est, & æqualem divinitatem accepit &c.* Suprà impugnabat Sabellianos asserentes unicam esse in Deo personam, ac proindè Verbum non esse personam à Patre distinctam. Porrò si exista-

maſſet filium non eſſe Deum, facilè Sabellianos confutaſſet, hanc rationem adducendo, nempè tantùm abeſſe, ut filius eſſet eadem perſona cum Patre, quin imò nec Deum eſſe, nec eundem cum Patre Deum.

INST. 1. Novatianus ità docuit filium eſſe alterius naturæ à Patre, ut voluerit Filium Patri fuiſſe obſecutum in creando mundo. Addit etiam Patrem eſſe immenſum & inviſibilem; non verò filium, qui æternus non eſt, ut Pater; cum ab pſo genitus fuerit, quandò Pater voluit: ſic enim habet cap. 25. *Deo præcipiente ut homo fiat, Deus refertur eſſe qui hominem facit.... Deum Patrem immenſum atque ſine ſine, non qui loco claudatur, ſed qui omnem locum claudat: nec eum qui in loco ſit, ſed potiùs in quo omnis locus ſit: omnia continentem, & cuncta complexum, ut meritò nec deſcendat, nec aſcendat; quoniam ipſe omnia & continet, & implet.* Et cap. 31. *Ex quo* (ſcilicet ex Patre) *quandò ipſe voluit, ſermo filius natus.*

R. has propoſitiones in Catholicis eſſe catholicas jam ſuperiùs abundè demonſtravimus. Obedivit quippè filius, ut ſocius poteſtatis; non ut miniſter: immenſus eſt, & inviſibilis Pater; quia nullam ſpeciem, quâ ſe conſpicabilem faceret, accepit: proceſſit filius ex patre, quandò voluit; quia Pater eum non invitus generavit; ſed, ut docet, ab æterno proceſſit, & ante omne tempus; quia pater ab æterno pater: origine quidem pater filium præcedit; ſed quatenùs eſt principium, non quà Deus: verba ſunt in probationibus cap. 21. 24. 31. Æternitatem quoque, immenſitatem, omnipotentiam, & quæ Deo competunt attributa, filio convenire confirmat; & adverſus Sabellianos concludit, in Scripturis alterum dici Deum, qui nunquam viſus eſt, nec unqnam loco fuit contentus; alterum verò qui quandòque ſe videndum præbuit; qui tamen ambo ſint unus Deus.

INST. 2. Alienus fuit Novatianus à tribuendâ patri, & filio ſubſtantiæ unitate: cap. enim 22. docet hæc verba Joan. 10. *Ego & Pater unum ſumus*, intelligenda eſſe de unitate concordiæ: *unum autem quod ait, ad concordiam, & eandem ſententiam, & ad ipſam charitatis ſocietatem pertinet, ut meritò unum ſit Pater, & Filius per concordiam, & per amorem, & per dilectionem.*

R. per unitatem concordiæ non excludere Novatianum in Patre, & Filio ſubſtantiæ ûnitatem, quam ſupponit, & propugnat. Nam c. 21. probandum ſibi ſumpſerat adverſus Sabellii hæreſim, Filium divinum, ſeu Chriſtum, non eſſe Deum patrem; licet Deus eſſet, & unus ex Scripturis eſſet cum patre Deus: quia verò Sabelliani frequenter objiciebant, ut habet cap. 22. illa verba: *Ego & Pater unum ſumus*: & indè inferebant eundem eſſe, qui Pater, & Filius diceretur; hanc cavillationem confutat, & probat, *unum neutraliter poſitum, ſocietatis concordiam, non unitatem perſonæ ſonare*, ut loquitur: *Ego & Pater*, deſignare proprietatem perſonæ; *ſumus*, deſignare duas perſonas. Ergò cum duas eſſe in Deo perſonas colligeret; non quidem omnem unitatis divinæ rationem explicuit; ſed eam, quæ ſufficeret propoſito; nempè duas eſſe perſonas,

patrem, & filium; licet unitate concordiæ, & dilectionis unum essent; quæ differendi ratio par est: amici nimirùm, licet concordiæ, vel amicitiæ vinculis, aut charitatis infusæ beneficio sint unum cor, & anima una; plures esse numero personæ non desinunt. Novatianus autem non ait hoc in cap. patrem & filium esse unum substantiæ unitate; quia adversus Sabellianos opportuna non erat expositio illa. Insuper satis erat aliquo modo exponere duas esse personas, quæ unum quid esse non desinerent. Eodem tamen in opere eam substantiæ unitatem in patre, & filio tam apertè profitetur in probationibus quas suprà scripsimus, ut dubitationem omnem procul removeat: probat enim unum esse Deum, Patrem & Filium, qui ex substantiâ patris est genitus. Oportet consulere loca quæ retulimus art. 2. & 3.

Opp. 14. S. Dionys. Alex. in epist. ad Euphranorem, & Ammonium, docere filium Dei esse creaturam; opus Dei à substantiâ patris alienum, sicut vitis alterius naturæ est ab agricolâ, & navis ab opifice; nec fuisse antequàm fieret. Undè S. Basil. epist. 141. ad Maximum Philosophum, Anomæorum authorem S. Dionysium facit; eumque, dum vehementiùs adversus Sabellium pugnaret, in oppositam hæresim incidisse scribit; & inter personas tres, essentiæ, & potentiæ, & gloriæ diversitatem induxisse; aliquandòque consubstantiale verbum rejecisse, aliquandò approbasse. S. Basilio assentiuntur Ruffinus, & S. Hieron. nec diffitendum S. Dionysii authoritatem ab Arianis fuisse laudatam plurimùm.

R. de Christo, ut homine, locutum S. Dionys. tunc fuisse, divinitate non exclusâ: ità S. Athan. in epist. de ejus sententiâ. Cum enim viros rudiores, licet Episcopos sibi subjectos, à Sabellianis in errorem inductos ad fidem revocare conaretur, argumento eorum animis accommodato Christum aliam à Patre personam esse ostendit, industriam medici hâc in parte imitatus, imò & œconomiam Apostolorum, qui quandòque solius Christi humanitatis meminerunt; ut SS. Petr. Act. 2. Stephan. Act. 7. Paulus Act. 13. cum adhuc Judæi non pares essent, quibus Christi divinitas aperiretur. A Verbo autem divinitatem non exclusit S. Dionys. quinimò, cum quidam Alexandriâ Romam transvecti, apud S. Dionysium Rom. hæreseos eum minùs prudenter incusassent, utpotè nequidem monitum; ab ejus communione non recessit S. Dionys. Rom. sed eum monuit tantùm, ut suam aperiret sententiam; quod fortiter executus est in pulcherrimâ apologiâ quam scripsit, ubi fidem suam apud S. Dionysium Rom. purgavit; & in quâ professus est Patri consubstantialem Filium, & coæternum; quia Filius æternæ lucis est splendor; Deus autem Pater æterna lux; & proindè æternus illi cohærens splendor Filius. In alio quidem loco Filium esse creatum dixit, sed quatenùs corpus creatum induit.

Universæ palàm erat Ecclesiæ S. Dionysium Alex. pro Verbi divinitate stare constanter; ideò an. 266. ab Episcopis Orientalibus fuit vocatus ad Synod. Antioch. contra Paulum Samosat. qui pro mero homine Christum esse habendum, & unicam esse in Deo personam, secundâ

Synodo Antioch. an. 272. referente, contendebat. Cum autem ad Synodum Antioch. an. 266. gravibus infirmitatibus, & senio confectus S. Dionys. Alex. non posset accedere; fidem suam, & Ecclesiæ suæ, ad Synodum transmisit: in eâ docet tùm Verbum, quà Verbum, non esse creatum; tùm duplicem nativitatem habere, æternam scilicet à Patre, & temporalem ex Mariâ: ità S. Athan. in eâ epist. ubi ex utriusque Dionysii, & Ecclesiæ Rom. & Alex. consensione, necnon authoritate, adversus Arianos fidei antiquitatem probat, simul & consubstantialis vocis usum.

Jam si vel minimâ suspicione S. Dionysius Alex. laborasset, an ipsum S. Dionys. Rom. novitatibus adeò infensus pro Catholico Episcopo expositâ sententiâ habuisset? An Orientales fidei suspectæ Episcopum, Pauli Samosateni patronum futurum, ad fidei defensionem Alexandriâ Antiochiam evocassent? An non potiùs de S. Dionysio dejiciendo, ut de Paulo Samosat. cogitassent? Conspicua igitur erat omnibus S. Dionysii fides pro Verbi, seu Christi, divinitate verâ, & cum Patre æterno eâdem. Undè autem S. Bas. & alii aliter de S. Dionysio Alex. censuerint? Undè S. ipsum Dionysium cum S. Dionysio Rom. non audierint? nescire me fateor. In eam de S. Dionysio Alex. sententiam forsitan descendit S. Basilius, quòd, ut exponit, quædam tantùm ejus opera perlegisset, non omnia; ex aliis autem intellexisset proculdubiò, quæ fides S. Dionysii fuerit.

O P P. 15. an. 272. à 2. Synodo Antiochenâ, ex 80. Episcopis constante, Paulum Samosatenum vocem *Consubstantialis* profitentem ab Ecclesiâ pulsum fuisse, quemadmodùm patet ex Epistolâ Patrum ad Dyonis. Rom. & Maximum Alex. necnon ad Ecclesiam Catholicam, in quâ *Consubstantialis* vocabulum damnatum est. Adde insuper ex illo Concilio Episcopos sex, qui priori Synodo interfuerant an. 266. ad Paulum Samosatenum ex communi Patrum sententiâ scribere hanc esse fidem ab antiquo acceptam, Patrem videlicet Filio præcepisse ut mundum conderet, ut se manifestum Patriarchis faceret, & legem ferret; ideòque Angelum in Scripturis dici: Deum autem universi Angelum existimare impium esse.

R. Hæc Catholicè scribi potuisse, ut sæpiùs observavimus, & à Catholis post Nicænam Synodum fuisse scripta. Porrò autem ad intelligentiam hujus rei favet admodum disserendi necessitas, & occasio. Eandem enim esse personam Patrem, Filium, & Spiritum S. Paulus Samos. contendebat &c. Appositis verò argumentis utuntur illi Patres, quibus ostendunt Christum esse sapientiam, Verbum, virtutem Dei, substantiam, Deum, & Dei Filium: & adductis variis Scripturæ locis: *omnes*, inquiunt, *Scripturæ divinæ Deum Filium Dei declarant*. Ut autem Filium aliam esse à Patre personam probarent, implevisse scribunt voluntatem Patris in creatione universi. Addunt Filium, Deum esse generatum à Patre, tanquam actum viventem, Deum, Dominum, & Angelum Dei; & à Patre missum: Patrem verò seu Deum universi, Angelum dici, impium esse aiunt; quia scilicet Pater à nullo procedit. Cæterùm vocem consubstantialis, eo sensu

quo usurpabatur à Paulo samosateno damnarunt; non verò recto sensu, ut q. 5. exponetur.

Opp. 16. Pierius Mart. Presbyter Alex. ex Photio Codice 119. ait Filium & Patrem, duas esse essentias, & naturas: item Spiritum Sanctum Filio, & Patri inferiorem esse.

R. Non extare omnia Pierii opera; quæ si extarent, palàm fieret illum nomine essentiæ intellexisse personam; & Spiritum Sanctum dixisse inferiorem Patri & Filio, quòd ab utroque procedat.

Opp. 17. Ex Arnobio lib. 1. verum Deum non habere patrem & matrem.

R. Ita locutum Arnobium, sensu Ethnicorum scilicet, qui Deos ex maris & fœminæ commixtione genitos esse profitebantur; quia, ut habet, Deus omnipotens non cœpit ex aliquo tempore. *Vos habetis*, inquit, *Deos sexibus discretos, ex commixtione natos*; nos, ingenitos: de Patris autem æterni Filio nullatenùs cogitabat tunc temporis. Cæterùm pro Filii divinitate pugnavit, ut in probationibus exposuimus.

Opp. ult. ex Lactant. lib. 2. cap. 8. & 9. *De matre natus est qui ante eam fuit; de Patre, qui aliquandò non fuit: hoc fides credat, intelligentia non requirat; ne aut non inventum putet incredibile, aut repertum non credat singulare:* & sic ab æterno non fuisse genitum Verbum censuit. Porrò tempus notat quandò Verbum creatum fuerit, nempè quandò de creando orbe Pater cogitavit. Lib. quoque 4. c. 6. Filium ait esse Angelum, & similem Angelis, quoad creationem; licet Dei appellatio soli Filio tributa sit. *Deus igitur antequàm præclarum, &c.* quem locum in probationibus retulimus.

R. Hæc lib. 2. cap. 9. verba à plurimis, & 8. vaticanis codicibus, & antiquioribus, & melioris notæ abesse; nec nos priorem loci partem ideò in probationibus laudasse, quòd à quodam Ariano inserta sint, ut propositio ista, *erat quandò non erat*, utcumque probaretur; aut authoritatem aliqualem sortiretur. Similiter & à Manichæo quodam quæ sequuntur paulò post sunt inserta, videlicet de principio boni & mali: sed nec ad propositum faciunt hæc verba; nec profectò sibi attendebat interpolator: Priora enim Verba destruunt quod ille sibi ex sequentibus colligendum sumit: profitetur quippe Filium esse coæternum Patri, & æqualem: *sicut mater*, inquit, *sine exemplo genuit authorem suum, sic ineffabiliter Pater genuisse credendus est coæternum Deum.*

Addit Patrem esse omnis boni fontem, & ab eo Filium, tanquam rivum, profluxisse similem ipsi, & virtutibus Patris præditum; & proindè existimavit Filium Patri consubstantialem: ejusdem enim planè naturæ & substantiæ sunt fons, & rivus. Cap. verò 6. lib. 4. non vult docere Filium Dei genitum fuisse, paulò antequam hoc mundi opus adoriretur; nec comparationem instituit Verbum inter & Angelos. Etenim æquivocè nomen Angeli, seu missi, Verbo tribuit; aut ad hunc locum Coloss. 2. ℣. 10. *Ipse est caput omnis principatûs*, alludit, dum Verbum vocat supremum Angelum: mox quippè subjungit: *Hunc tamen solum primogenitum divini*

nominis appellatione dignatus est, patriâ scilicet virtute, ac majestate pollentem: esse autem summi Dei Filium, qui sit potestate maximâ praeditus. Addit posteà de eo Salomonem locutum, cum dixit: *Deus condidit me in initio viarum suarum* &c. Ergò censuit Lactantius Filium esse ab aeterno genitum, eumque verè Deum esse.

INST. Lactantius lib. 4. cap. 8. ità Filium ab Angelis distinguit; *magna*, inquit, *inter hunc Dei Filium, & caeteros Angelos differentia est. Illi enim ex Deo taciti Spiritus exierunt; quia non ad doctrinam Dei tradendam, sed ad ministerium creabantur; ille verò cum sit & ipse Spiritus, tamen cum voce ac sono ex Dei ore processit, sicut Verbum.* Et sic instar Angelorum, levi discrimine addito, generatus est Filius.

R. Lactantium non in eo tantùm Angelos inter & Filium Dei discrimen ponere, quòd Filius sit sermone prolatus; Angeli verò non ità: nam in primis duplicem Christi nativitatem distinguit; aeternam alteram, quâ Filius Dei est, quam vocat in Spiritu; alteram verò in carne. Addit multiplicem natum errorem ex indistinctâ illâ duplici Nativitate: deindè inquirit quomodò ab aeterno genitus sit: & respondet à nemine posse sciri. In his ut stetisset, exoptarem: erat enim vir Christiana dogmata non ità edoctus, ut in iis exponendis operam collocare deberet. Mysterium apertè tradidit, ut in Scripturis continebatur; ex quo nobis abundè fit satis. Si enim ulteriùs progressus aliquid è suo in expositione tradendâ addidisset, nihil indè adversus fidem Catholicam posset erui: nam arbitrio suo videretur uti, potiùs quàm legitimis probationibus: nihilominus in eâdem expositione deprehendimus, quae ad fidem spectant; ibi siquidem Dei filium, Dei sermonem facit; Angelos verò spiritus. Addit quae merè sunt physica, & parùm ad rem pertinent. Praetereà magnum, ut habent verba quae objiciuntur, inter Dei Filium, & Angelos reponit discrimen; & ait Filium cum voce ac sono ex Dei ore processisse; cum scilicet ille magister futurus esset doctrinae Dei, & coelestis arcani ad hominem proferendi. Posteà subdit eum ab aeterno in Patre, & ex Patris substantiâ esse: *Quia Dominus de ore suo vocalem spiritum, quem non utero, sed mente conceperat, inexcogitabili quâdam majestatis suae virtute ac potentiâ, in effigiem, quae proprio sensu, ac sapientiâ vigeat, comprehendit.* Addit eum alios spiritus in Angelos figurasse; nostros verò spiritus dissolubiles esse, quia mortales sumus. Aliis similibus additis redit ad fidem, & Filium sermonem facit ex substantiâ Patris procedentem: *Quantò magis Dei vocem credendum est, & manere in aeternum; & sensu, ac virtute comitari, quam de Deo Patre tanquam rivus de fonte traduxit. Quod si quis miratur ex Deo Deum prolatione vocis, ac spiritûs potuisse generari; si sacras voces Prophetarum cognoverit, desinet profectò mirari*

Sic Lactantius Verbum divinum non solùm spectat ut internum, ut sapientiam, & rationem patris, ac Deum ab aeterno; quia Deus ratione, ac sapientiâ nunquam caruit; & quia ex patris est substantiâ: sed etiam Dei verbum considerat ut externum, prolatitium, sono circumvestitum, & sic in tempore positum; *quia Deus procedentem de ore suo vocalem Spiritum*

spiritum cum Angelis qui creati sunt, confert. Variis deindè sacris contextibus æternitatem Verbi, & divinitatem probat, præsertim ex illo Joan. 1. *In principio* &c. Et cap. 9. in sermone, seu in verbo, duo distinguit, sermonem scilicet, & rationem: *Sed meliùs Græci λόγον dicunt, quàm nos verbum, sive sermonem; λόγος enim & sermonem significat, & rationem; quia illa est vox, & sapientia Dei.* Et proindè Verbum æternum fecit, quà ratio & sapientia Patris est.

INST. Lact. c. 14. probat ex ipso Christo unum Deum esse colendum: *nec unquam, se Deum esse dixit: quia non servasset fidem, si missus, ut Deos tolleret, & unum assereret, induceret alium præter unum.*

R. Christum quidem non se dixisse Deum à patre diversum; hoc enim si præstitisset, Deos gentium non sustulisset pro munere; nam alium Deum præter unum induceret, & se ab eo separaret: sed ubi Christus se Deum dixit, se unum cum Patre Deum, & ab æterno, nuncupavit; & eâ ratione non nisi Deos gentium exclusit. Ea est Lactantii sententia, ut ex locis laudatis, & doctrinæ serie palàm est; & ideo in capitibus sequentibus pro divinitate Christi pugnat, & eas, quæ ex passione peterentur objectiones, solvit: imò c. 16. asserit eum qui ipse est *Virtus, & ipse justitia, descendisse ut eam doceret, hominemque formaret.* Et cap. 17. ait illum esse æternum, & adeò missum fuisse *ut denuò per eum qui esset æternus, legem sanciret æternam.* Cap. 18. sic scribit, *quid de hujus crucis indignitate dicemus, in quâ Deus à Dei cultoribus suspensus atque suffixus est?* sed & ex objectionibus Ethnicorum facilè constabit de Lactantii fide ubique receptâ: opponebant enim cap. 22. Gentiles dedecere naturam immortalem fieri hominem; nec Deum viam, quâ hominibus prodesset, idoneam selecturum fuisse, si humanam naturam induisset: nam si ut Deus conspectus fuisset, omnes in Dei venerationem adduxisset. Porrò nisi Filium verum & unum cum Patre Deum esse censuissent Christiani, an hæ objectiones in Ethnicorum animos venissent? an in sequentibus capitibus probasset ipse Lactantius, verum Deum debuisse hominem fieri? Deniquè c. 23. tradit Deum solum esse posse hominis doctorem. Cap. 24. ait Christum, si Dei majestatem ostentasset, ejus majestatem homines non sustinuisse; & idcirco necessum fuisse, ut esset Deus homo. Cap. 25. docet ipsum Christum fuisse Deum & hominem, inter Deum atque hominem medium constitutum.

INST. Lactan. cap. 29. ejusdem lib. 4. non vult Patrem & Filium esse unicum Deum, seu habere eandem unitatem essentialem, sed moralem tantùm: ita enim exponit Patrem, & Filium, unum esse Deum, sicut Pater & Filius jure civili faciunt unam domum; quia sunt duo tanquam unus; & unus tanquam duo: *Cum quis*, inquit, *habet Filium, quem unicè diligit, qui tamen sit in domo, & manu Patris; licet ei nomen Domini, potestatemque concedat; civili tamen jure & domus una, & unus Dominus nominatur. Sic hic mundus, una Dei domus est; & Filius, ac Pater, qui unanimes incolunt mundum, Deus unus; quia & unus & tanquam duo, & duo tanquam unus. Neque id mirum; cum & Filius sit in Patre, quia Pater diligit Filium; & Pater in Filio, quia voluntati Patris fideliter paret.*

R. Lactantium hanc comparationem instituere, non ut Mysterii expositionem aptam, & idoneam proponat; sed ut accommodato exemplo, & ut ait, *propiore* utatur. Suam mentem Lactantius in eodem cap. apertè explicat: sibi enim proponebat explicandam Dei cum Patre unitatem in substantiâ, ut objectionem illam dilueret, scilicet quomodò Christiani unum Deum colerent, qui duos assseverarent, nempè Deum Patrem, & Deum Filium: quæ professio plerosque in errorem ageret præcipites; quòd etiam Deum æternum, & mortalem faterentur Christiani: Docet ergo Christianos Deum Patrem & Deum Filium nosse, & unum Deum profiteri; quia Pater non secernitur à Filio; cum utriquè sit una mens & una substantia: *Cum*, inquit, *dicimus Deum Patrem, & Deum Filium; non diversum dicimus, nec utrumque secernimus; quia nec Pater sine Filio esse potest, nec Filius à Patre secerni.* Ad exponendam porrò illam Patris, & Filii unitatem exemplo illo domûs, & Patris familias utitur, ut quod accommodatum aliquo modo, seu nobis familiarius existimet, & ut loquitur, propius. Deindè authoritatem Isaïæ suprà relatam adhibet, ut probet tàm Filium, quàm Patrem, esse unum Deum æternum; tàm Filium esse Deum, quàm Patrem; unamque esse substantiam, & unam voluntatem in Patre & Filio. Adde Lactantium tribuere Filio omnia Dei attributa: nam. cap. 12. ejusdem libri docet Filium Dei esse veritatem: cap. 16. dicit Christum professione esse Deum. lib. 6. cap. 25. ait ipsi verbo Sacrificari, quia Deus est: *Verbo verò Sacrificari oportet Deo; siquidem Deus Verbum est, ut ipse confessus est.* lib. 4. cap. 13. tradit Filium, ut in omnibus foret Patri similis, qui Pater est sine Patre & Matre, idcircò bis esse natum, ut ipse fieret ἀπάτωρ, atque ἀμήτωρ, hoc est sine Patre & Matre, nempè Deus sine Matre, & homo sine Patre. Cap. ult. ejusdem libri Arianos hæreticis annumerat: *Cum enim Phryges, aut Novatiani, aut Valentiniani, aut Marcionitæ, aut Anthropiani, aut Ariani, seu quilibet alii nominantur; Christiani esse desierunt ij, qui Christi nomine amisso, humana & externa vocabula induerunt. Sola igitur Catholica Ecclesia est quæ verum Dei cultum retinet; hic est fons veritatis; hoc est domicilium fidei: hoc Templum Dei, quò si quis non intraverit, vel à quo si quis exiverit, à spe vitæ ac salutis æternæ alienus est.* Vox, Ariani, in textum non irrepsit, ex Baronio ad an. 315. cum in novem pervetustis exemplaribus manuscriptis quibus Aldus ad editionem suam usus est, & in aliis duobus Bibliothecæ Vaticanæ legatur, ut & in omnibus editionibus, si excipiantur Thomasius, & Gazæus in notis ad Lactantium. Exortis Arianis Scripsit Lactantius; nam in præfatione institutionum, ob pacem Ecclesiæ redditam Constantino magno gratulatur fuso Licinio, scilicet an. 317. Arius autem an. 315. prodierat. Accedunt ex ipso quæ suprà ad probandam veritatem Catholicam congessimus.

Addemus 3. seculo pro hæretico habitum esse Beryllum Bostrensis Ecclesiæ in Arabiâ Episcopum, quòd prædicasset Verbum non habuisse divinitatem, antequàm inter homines versaretur. A Conciliis, & Origene ab errore revocatus fuit ex Euseb. lib. 6. cap. 33. Hæreticis pariter annumerati

sunt Noëtus, Hermogenes, Sabellius, Paulus Samosatenus, & alii de quibus art. 1.° qui omnes contra divinitatem Christi, & tres personas unum Deum pugnabant; quibuscum nec sensit Lactantius, nec laudati Patres; imò verò Nicænis Patribus certâ fidei professione præiverunt.

ARTICULUS QUARTUS.

Probatur Spiritûs Sancti Divinitas.

QUAM viam inivimus in probandâ Christi divinitate, eandem hîc sequemur. Argumenta varia tùm art. 2. tùm 3. pro Spiritûs Sancti divinitate attulimus: ubi enim probatum fuit art. 2. tres personas esse in Deo, quæ sint unus Deus; & Spiritum Sanctum esse tertiam ex illis personam; eo ipso Spiritum Sanctum Deum esse naturâ, nomine, adoratione, & professione jam evicimus. Novis tamen argumentis rem jam penè confectam absolvemus.

1. Deum esse nomine, & naturâ, tùm ex Scripturis apertis, tùm ex attributis divinis, quæ Spiritui Sancto competunt, probamus ex Act. 5. ubi Ananiam, qui non integrum venditi sui agri pretium, sed partem tantùm detulerat, sic alloquitur S. Petrus v. 3. *Anania cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri.* ℣. 4. *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Ibi Spiritum Sanctum vocat Sanct. Petrus Deum, & Dei naturam humanæ naturæ oppositam ei tribuit: igitur Spiritus Sanctus ex Apostolorum sententiâ post Pentecostem pro Deo habebatur, & est habendus.

Reponunt Sociniani Græcè non haberi: *mentiri Spiritui Sancto*; sed *fallere Spiritum Sanctum*; & Spiritûs Sancti nomine intelligendos esse Apostolos, quos fallere tentaret; aut certè intelligendum esse accidens, seu divinam gratiam.

Verùm tricantur adversarii; eadem enim est vis verborum, seu sit fallere, seu mentiri: quem enim fallere volunt homines, huic mentiuntur. Et verò peccaverat Ananias mentitus Spiritui Sancto, cum se posse fallere ratus; & ideò periculum fecerat, nùm posset fallere.

Neque nomine Spiritûs Sancti possunt intelligi Apostoli; quia immediata Dei est & hominum oppositio: *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Negat ergò Apostolus solis Apostolis mentitum fuisse, sed Deo, Spiritui scilicet Sancto: nam nullibi homines etiam Sancti, aut Apostoli Spiritu Sancto pleni, dicti sunt Spiritus Sanctus; & si per Spiritum Sanct. intelligerentur Petrus, & Apostoli, non dicendus fuisset Ananias mentitus Spiritui Sancto, sed Spiritibus Sanctis, nempè Apostolis. At repugnat oppositio Dei, & hominum, ut jam monuimus; & Petrus sibi, & Apostolis non tantùm mentitum fuisse Ananiam dicit, sed Deo, & Spiritui Sancto.

Nec etiam dici potest Ananiam, & Saphiram homines tentasse; ten-

tarant enim Spiritum Sanctum, seu *Spiritum Domini*, art. 5. v. 9. Cui autem unquam in mentem venit blasphemiam, quæ est in Spiritum sanctum Math. 12. v. 31. non aliam esse à blasphemiâ in homines; cum Math. 28. v. 19. jubeantur Apostoli in nomine Spiritûs sancti, sicut & Patris, & Filii conferre baptismum? An juberentur in nomine suo baptisma conferre? sed & cum relatum legimus Spiritum S. descendisse in formâ columbæ, & linguarum ignearum, & Apostolos locutos fuisse, prout Spiritus Sanctus dabat illis eloqui; an in seipsos ipsi descenderunt?

Sed neque etiam possunt adversarii, per Spiritum sanctum intelligere accidens, seu gratiam divinam; cum accidens non fallatur, & quæ hîc de Spiritu Sancto dicuntur, nequaquam convenire possint accidenti. 1. Cor. 3. v. 16. *Nescitis quia Templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis: si quis autem Templum Dei violaverit, disperdet illum Deus: Templum enim Dei Sanctum est, quod estis vos.* Illius porrò sumus Templum, qui habitat in nobis; & Deus est, cujus templa sumus; sed Spiritus Sanctus in nobis, ut in Templis commoratur: Ergo Spiritus Sanctus est Deus.

Hebr. 1, qui per Prophetas fuit locutus, Deus est: is est autem Spiritus Sanctus, Act. 27. v. 25. *Quia bene Spiritus Sanctus locutus est per Isaïam Prophetam ad patres nostros dicens, vade ad populum istum.* Item Luc. 1. v. 67. Spiritu Sancto repletus prophetat Zacharias. & 2. Petri 1. v. 21. *Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.*

Ps. 77. v. 46. *Tentaverunt Deum; & sanctum Israël exacerbaverunt.* Et Ps. 94. v. 8. *hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto; ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt, & viderunt opera mea.* Qui tentatus dicitur in deserto, verè Deus est Israëlis: sed ex Apost. Heb. 3. v. 7. Spiritus S. tentatus est, *quapropter sicut dicit Spiritus Sanctus, si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt & viderunt opera mea.* Igitur Spiritus Sanctus ex Scripturis Deus est.

2. Spiritus Sanctus Deus unus est naturâ cum Patre & Filio: Illi enim, ut Patri & Filio, tribuuntur perfectiones, quæ soli Deo conveniunt: ut quod in nobis habitet ut in Templo: nam qui se apud homines justos inhabitaturum per Prophetas pollicetur, Jer. 31. Deus verus est, & Israëlis Deus: is autem est Spiritus Sanctus, ut liquet ex his verbis 2. Cor. 6. v. 16. *Vos enim estis Templum Dei vivi, sicut dicit Deus: quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus.*

Spiritui Sancto tribuitur scientia Deo propria: Nam Rom. 8. v. 27. dicitur scrutari corda. Joan. 16. v. 13. asseritur illum omnia scire, & esse Spiritum veritatis: *cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* 1. Joan. 5. v. 6. dicitur veritas ipsa, *quoniam Spiritus veritas:* ea novit, quæ sunt Dei: æquè ac Spiritus hominis novit quæ sunt hominis, 1. Cor. 2. v. 11. *Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi*

Spiritus hominis, qui in ipso est? Ita & quæ sunt Dei, nemo cognovit nisi Spiritus Dei.

Reponunt sociniani Spiritum Sanctum se habere ad Deum Patrem, ut Spiritum hominis ad hominem; & proindè eum non distingui à Deo Patre, sicut nec Spiritum hominis ab homine; alioquin Apostoli comparatio nulla esset. Addunt Patrem à Christo Spiritum dici, Joan. 4.

Verùm constat nomine Spiritûs Sancti, Patrem nullibi conjunctim denominari. Allatæ art. 2. & hîc astruendæ probationes satis superquè Spiritum Sanctum à Patre secernunt: quod & apertè colligitur ex Joan. 15. v. 26. ubi Spiritus Sanctus à Patre dicitur procedere: At Pater à seipso non procedit. Ideò autem Patrem Spiritum Christus vocat, ut spiritualem cultum significet, & ostendat eum non circumscribi Templo Hierosolimitano. Neque 1. Cor. 2. Spiritum Dei Spiritui hominis æquat Apostolus: ibi enim vult tantùm docere Spiritum Sanctum à Patre personam esse distinctam, & esse ex Patris substantiâ, utpotè qui sit in Patre, & quæ Dei sunt perscrutetur. Et certè si comparatio in omnibus postularetur, esset Dei pars Spiritus Sanctus, non secùs ac hominis Spiritus pars est hominis. Ergò accommodatè ad inexistentiam essentialem exprimendam adhibetur.

Spiritui Sancto tribuitur divina immensitas: Psalm. enim 138. v. 7. in loco definito non habitat; sed est ubique terrarum. Sap. 1. v. 7. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Joelis 2. v. 28. *Effundam spiritum meum super omnem carnem*: quem locum S. Petrus Act. 2. v. 17. de Spiritûs Sancti descensu interpretatur: & ibi additur v. 4. *Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto.* Ità etiam Titi cap. 3. v. 6.

Tribuitur etiam Spiritui Sancto omnipotentia: nam creator est, Job. 26. v. 13. & cap. 33. v. 4. Item Ps. 32. v. 6. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus.* Hinc quæcumque præstant Pater, & Filius, præstat & Spiritus Sanctus: Apostolos enim mittit; à quibusdam locis revocat; eos regit; & Ecclesiæ præest: Act. quippè 13. v. 2. *Ministrantibus autem illis Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Paulum, & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos; tunc jejunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos: & ipsi quidem missi à Spiritu Sancto, abierunt Seleuciam.* Et cap. 16. v. 6. de SS. Paulo & Timoth. *Transeuntes autem Phrygiam & Galatiæ regionem vetati sunt à Spiritu Sancto loqui Verbum Dei in Asiâ.* Cap. quoque 2. v. 28. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Pariter peccata dimittit Spiritus S. & sanctitatem confert æquè ac Pater, & Filius. Nam Joan. v. 22. *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata &c.* Rom. 1. v. 4. sanctificationis Spiritus dicitur; adoptionis verò, Rom. 5. v. 5. Charitas ipsa, Rom. 5. v. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Nos verò idcircò 1. Cor. 6. v. 11. dicimur *abluti, sanctificati, justificati in nomine Christi, & in spiritu Dei.* Et in ejus nomine ideò baptizamur, Joan. 3. v. 5. *Nisi quis re-*

natus fuerit ex aquâ, & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est; & quod natum est ex spiritu, spiritus est.

Sanctitatem autem, non secùs ac Pater, & Filius infundit; eam largiendo, non verò accipiendo. Undè Titi 3. u. 5. renovatio omnis Spiritui sancto tribuitur: *Secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritùs sancti, quem effudit in nos abundè per Jesum Christum Salvatorem nostrum; ut justificati gratiâ ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.* Quis autem filios Dei facere potest, & hæc quælibet præstare, nisi solus Deus?

Pariter interiùs nos edocet, ut Pater, & Filius: Joan. enim 16. v. 13. *Cum venerit spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Item Luc. 12. v. 12. *Spiritus sanctus docebit vos in ipsâ horâ quid oporteat vos dicere.* Solus autem Deus est, qui docet interiùs, ex Isa. 54. v. 13. Joan. 6. v. 45. & 1. Joan. 2. v. 27. ubi Joannes hortatur fideles, ut maneant in unctione quam acceperunt: *Et non necesse habetis*, inquit, *ut aliquis doceat vos; sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium: & sicut docuit vos, manete in eo.*

Ut paucis cætera complectamur, nos liberos facit, 2. Cor. 3. v. 17. Sapientiam & loquendi facultatem largitur, Matth. 10. v. 19. &c. Marci 13. v. 11. Luc. 12. v. 12. &c. Joan. 12. v. 26. Act. 2. v. 4. 1. Cor. 2. v. 13. & cap. 12. v. 8. Miracula operatur, Math. 12. v. 28. 1. Cor. 12. v. 4. Hinc observat S. Greg. Niss. orat. 3. de Oratione Dominicâ, Spiritum sanctum Deum esse, cum regnum Dei sit: nam ubi apud S. Math. habetur: *Adveniat regnum tuum:* legitur Luc. 11. *Adveniat Spiritus Sanctus.* Igitur habet Spiritus Sanctus quælibet essentialia Deo attributa.

Æqualitas quoque cum Patre, & Filio tribuitur Spiritui sancto; & ideò ejus nomine pariter sanctitatem consequimur. Addi potest eum creaturis annumerari non posse; cum Deus sit, & dicatur sanctitas, unctio, & sigillum; nosque simus ejus templa, & sit nobis solatium, ut Filius: hinc Joan. 14. v. 16. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere; quia non videt eum, nec scit eum: vos autem cognoscetis eum; quia apud vos manebit, & in vobis erit.*

Adoratio Deo propria, seu latria, Spiritui Sancto pariter ac Patri & Filio deferenda est: Nam Ps. 94. v. 6. *Venite adoremus, & procidamus, & ploremus ante Dominum, qui fecit nos: Quia ipse est Dominus Deus noster: Et nos populus pascuæ ejus, & oves manus ejus. Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Hortatur ibi David, interprete Apostolo Hebr. 3. v. 7. ad Spiritus sancti fidem, adorationem, & obsequium; in quibus præsertim positus est latriæ cultus. *Quapropter*, inquit Apostolus, *sicut dicit Spiritus sanctus: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Igitur Spiritui sancto debetur latriæ cultus; ideoque non modò jubemur illum ut magistrum, Deum,

& Dominum audire, juxta illud Apocal. 2. v. 7. *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis*; sed etiam eum ut omnium bonorum authorem invocare, 2. Co. 13. v. 13. & in eum credere, ut constat ex Apostolorum Symbolo, in quo in ipsum Spiritum sanctum, ut & in Patrem, & Filium, fides exprimitur. Hinc ex praxi Ecclesiæ in eum fidei professionem edere tenebatur adultus, priusquàm juxta Math. 18. v. 19. in trium personarum nomine consecraretur.

Ultimò, ad Spiritûs sancti divinitatis commendationem, ex sceleris in eum perpetrati gravitate, non levis momenti argumentum accedit. Nam nisi Spiritus sanctus esset cum Patre, & Filio Deus; undè in eum blasphemia, tam horrendum à Christo definiretur sacrilegium, ut nec in istâ, nec in alterâ vitâ condonetur? *Omnia*, inquit Christus Marc. 3. v. 28. & 29. *dimittentur filiis hominum peccata, & blasphemia, quibus blasphemarint: qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.* Et Math. v. 32. *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro.* An majorem divinitatis gradum, quàm Dei Filius, obtinet Spiritus sanctus? Absit: eadem enim est trium personarum divinitas, & unica. Ut quid igitur hæc, nisi ad Spiritûs sancti divinitatem commendandam? Ananiæ, & Saphiræ inflicta mors, itemq; Simoni Mago comminationes intentatæ, sint exemplo.

Hæc singula Sociniani, interpretatione detortâ, penitùs conantur eludere; & nomine Spiritûs sancti posse intelligi contendunt Evangelium, quod 1. Cor. 2. v. 10. Deus nobis revelasse dicitur per Spiritum suum; & 2. Tim. 1. v. 10. manifestasse per illuminationem Christi: vel quòd etiam quæ à Deo revelantur, nos spirituales efficiant; vel quòd designet donum Dei, 2. Cor. 1. v. 22. dictum, *pignus in cordibus nostris*.

Sed quæstio non movetur quid nomine Spiritûs sancti possit intelligi; sed quid designetur. Evangelium autem Spiritûs sancti nomine designari, quis vel minimo æquitatis & religionis sensu, ex locis quæ objiciuntur, colligeret? Evangelii quippè revelatio Spiritui sancto tribuitur, ut causæ efficienti: nam ipse interiùs nos edocet: undè Apostolus subjungit: *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* An autem Evangelium Dei profunda scrutatur? an novit? an revelat? an est in Deo? an Jesum ex mortuis, ut Spiritus sanctus Jesum suscitavit? an ab Evangelio revelatum est Paulo Evangelium, quod à Spiritu sancto prædicandum accepit? An Apostoli repleti sunt Evangelio, ut loquerentur Evangelium? an tunc tantùm discere cœperunt Evangelium? an Evangelii cognitio linguarum donum illis contulit? an dona, quæ à Deo conferuntur, Spiritûs sancti nomine possunt intelligi? Quis audivit hæc pro Spiritu sancto coli? Neque illa diffiteri possunt adversarii; cum in Deo esse Spiritum sanctum agnoscere teneantur.

Addunt Sociniani ex actionibus divinis, quæ Spiritui Sancto tribuuntur, non posse colligi eum esse personam divinam; quia aliis rebus pariter,

quæ personæ non sunt, actiones istæ tribuuntur: sic peccatum occidere dicitur Rom. 7. v. 11. Lex loqui Rom. 3. ỽ. 19. Charitas omnia sperare, credere, sustinere, 1. Cor. 13. v. 7. Ventus spirare ubi vult, Joan. 3. v. 8. Sic Spiritui Sancto, seu virtuti Dei, opera divina tribuuntur.

Verùm quæ opponuntur, ut accidentia referuntur, non ut substantiæ; nec voluntas, nec deliberatio illis adscribuntur: Etsi quandòque scriptura illis, quæ ad personas pertinent, videatur vindicare; de illis alibi propriè loquitur. De Spiritu autem Sancto semper, ut de personâ divinâ, sermonem habet, ut ex probationibus fit compertum: nec Spiritus Sanctus dici potest accidens; alioquin, cum sit in Deo, ex accidente Deus componeretur, & ex aliquo, quod Deus non esset. Ergò virtus Dei substantialis est, sed ita ut sit Dominus, & Deus 1. Cor. 12. v. 11. *Unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult: hæc autem omnia operatur unus Dominus.*

Deniquè actiones à suppositis proficiscuntur, non verò ab accidentibus: item sumus Templum Spiritus Sancti, non accidentis. Donum quidem Spiritus Sanctus est, sed notionale atque personale; quia scilicet procedit ut donabile; & quæ de eo dicuntur, non nisi personæ possunt convenire. Licet autem dari secundum mensuram & augeri dicatur; nihil indè colligi potest: quia hæc de donis ab eo collatis sunt intelligenda.

Probatur Spiritûs Sancti divinitas ex traditione.

Ex traditione Patrum eadem veritas pariter confirmatur; unum enim cum Patre, & Filio, Spiritum Sanctum esse Deum nomine, naturâ, adoratione, & professione, ante Nicænam Synodum professi sunt quotquot pro mysterio Trinitatis steterunt: doctrinam eorum art. 2. laudavimus. Addemus pauca.

S. Justinus in apol. ad Antoninum, cum Filio adoratum fuisse Spiritum Sanctum docet: *Filium*, inquit, *& Spiritum Propheticum colimus & adoramus, & Deum solum adoramus.* Et ibidem ait ipsum Spiritum sanctum, antequàm fierent quæ futura erant, per Prophetas pronuntiasse, & sicut personam distinctam adoratum fuisse in Ecclesiâ. Quod & repetit, ubi de Baptismi administratione: ait enim ablui baptisatum in nomine *Spiritûs sancti, qui per sacros vates prænuntiavit omnes res Christi.* Item in dialogo cum Triphon. scribit à Spiritu sancto in Prophetiis Christum vocari Dominum virtutum.

Athenagoras in Apolog. Spiritum sanctum Patri, & Filio consubstantialem esse docet, ut qui Deus sit, à Deo emanet, ad Deum reflectatur instar radiorum Solis, & sit unus Deus cum Filio, & Patre. *Dominus enim creavit initium progressionis ejus ad opera sua. Quamquam & ipsum Spiritum sanctum agentem in illis, qui propheticos sermones fundunt, ita à Deo emanare, ad ipsumque reflecti dicimus, ut emissi à Sole radii reciprocant. Quis igitur non miretur nos, qui Deum Patrem prædicamus, & Deum Filium, & Spiritum sanctum, ita ut unionis eorum vim, & ordinis distinctionem exponamus, impios & sine Deo homines vacari?*

vocari? Et addit: *Ut Deum aſſerimus, & Filium ipſius Verbum, & Spiritum ſanctum.*

S. Irenæus locis ſuprà laudatis art. 2. tradit ab æterno eſſe Spiritum ſanctum, ubique præſentem ſeu immenſum, & omnipotentem: ſic enim habet lib. 4. cap. 53. *Qui ab initio in univerſis diſpoſitionibus Dei affuit hominibus, & futura annuntiavit, & præſentia oſtendit, & præterita enarrat.* Eodem lib. cap. 17. ſcribit Filium, & Spiritum ſanctum, quæ ad Patrem pertinent exequi; iiſque Angelos ſubjici; nec eorum miniſterio egere: *Copioſum & inenarrabile miniſterium; miniſtrat enim ei ad omnia ſua progenies, & figuratio ſua, ideſt, Filius, & Spiritus ſanctus; Verbum, & ſapientia, quibus ſerviunt & ſubjecti ſunt omnes Angeli.* Et cap. 37. *Adeſt enim ei ſemper Verbum, & ſapientia; Filius, & Spiritus ſanctus, per quos, & in quibus omnia liberè & ſponte fecit; ad quos & loquitur, dicens: Faciamus hominem.* Vocat quoque Spiritum ſapientiam, cujus æternitatem probat, & oſtendit illum eſſe creatorem: *Quoniam autem,* inquit, *& ſapientia, quæ eſt Spiritus, erat apud Deum ante omnem conſtitutionem, per Salomonem ait: Deus ſapientia fundavit terram.* Cap. 66. ait homini ſpirituali ſemper eſſe eumdem Deum, eumque noſſe Verbum Dei ſemper extitiſſe, licet recèns ſui notitiam præbuerit: *Et ſemper eundem Spiritum Dei cognoſcere, etiamſi in noviſſimis temporibus novè effuſus eſt in nos, & à conditione mundi uſque ad finem ipſum humanum genus.* Item omnem veritatem noviſſe illum docet, & Scripturarum divinarum eſſe authorem. Cap. 75. dicit Apoſtolum lac præbuiſſe Corinthiis, cum in iis parvulis adhuc non eſſet Spiritus ſanctus, quem vocat vitæ eſcam: ſolus autem Deus eſſe poteſt eſca vitæ, ut & vita: *Quibuſcumque enim imponebant Apoſtoli manum, accipiebant Spiritum ſanctum, qui eſt eſca vitæ.* Lib. 5. cap. 7. ſcribit abſque Spiritu ſancto non perfici in nobis Dei imaginem, nec nos ſpiritales effici: quod fuſiùs exponit cap. 9. ubi ait abſque Spiritu ſancto eſſe nos carnem, & ſanguinem; nec abſque eo haberi juſtitiam; *Quoniam igitur ſine ſpiritu Dei ſalvari non poſſumus, adhortatur Apoſtolus nos per fidem, & caſtam converſationem conſervare ſpiritum Dei, ut non ſine participatione ſancti Spiritûs facti, amittamus regnum cælorum.* Addit ibidem juſtos eſſe templa Spiritûs ſancti, qui ut Rex, & Dominus in ipſis verſatur: *Illa enim,* inquit, *dominatur, & præeſt, & diſponit &c. quemadmodum ipſe velit.* Quæ omnia ad gratiam referri non poſſunt; ſed neceſſario ad perſonam, quæ ſit Deus. Hinc ità concludit: *Nolite errare, quoniam niſi verbum Dei inhabitaverit, & ſpiritus Patris fuerit in vobis; vanè autem, & prout evenit, converſati fueritis, quaſi (hoc) tantùm caro, & ſanguis exiſtentes, Regnum Dei poſſidere non poteritis.* Quæ ſingula nonniſi vero Deo, & proindè unico cum Patre, & Filio Deo, poſſunt competere.

S. Theophilus Antioch. lib. 2. ad Autol. ſuperioribus hæc adjungit: *Docemur etenim,* inquit, *& inſtruimur à ſancto Spiritu, qui locutus per Prophetas, jam olim omnia quæ mundo eventura eſſent, prædemonſtra-*

vit. Prætereà Spiritum S. ficut perfonam diftinctam, & Scripturarum, & Prophetiæ authorem, cum superioribus Patribus adorandum cenfet.

S. Clemens Alex. fuprà citatis illud quoque adjicit lib. 1. pædag. nempè Spiritum fanctum effe immenfum: *Et Spiritus fanctus unus, & ipfe eft ubique.*

Tertullianus locis fuprà laudatis addit. Lib. cont. Prax. cap. 12. Spiritum Sanctum effe tertiam perfonam, & in creatione adhæfiffe Patri: ibidem cap. 25. docet tres, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum unum effe. *Ità connexus Patris in Filio, & Filii in Paracleto, tres efficit cohærentes, alterum ex altero, qui tres unum fint, non unus, quomodò dictum eft: Ego & Pater unum fumus; ad fubftantiæ unitatem; non ad numeri fingularitatem,* Et cap. 26. Sic habet: *ficut ergò fermo Dei non eft ipfe, cujus eft; ità nec Spiritus; etfi Deus dictus eft, non tamen ipfe eft, cujus eft dictus: nulla res alicujus, ipfa eft, cujus eft.* Cap. 30. ait, *Chriftum effudiffe Spiritum Sanctum, tertium numen divinitatis, & tertium nomen majeftatis.* Et cap. 31. Judæis annumerat eos, qui uni Deo non adjungunt Filium & Spiritum Sanctum; & tradit unicum effe Deum cum Patre.

Origenes lib. 3. Periarchon. fuprà pofitis addit Spiritum Sanctum æternam effe fanctitatem, non verò fanctificari; & folam Trinitatis fubftantiam effe fanctam naturâ fuâ: in fine cap. 5. fic habet: *Et Spiritui Sancto per quem cuncta fanctificantur, qui ab ipfo Patre procedit, cui eft gloria æterna in fecula.* Lib. 7. in cap. 9. Ep. ad Rom. tradit eundem Spiritum Sanctum continere omnia, & replere omnem orbem terrarum; unamque effe Trinitatis naturam, & fubftantiam: Ità quoque Homil. 5. in Jofue.

S. Greg. Thaumaturgus fuperioribus adjicit in confeffione fidei jam adductâ, Spiritum Sanctum ex Deo fubftantiam habere; fuper omnia & in omnibus effe Deum; nihil factum effe in Trinitate; invertibilem & immutabilem effe Trinitatem.

S S. Cornelius, Cyprianus, & Firmil. pro Trinitate art. 2. adducti funt. Nihil præclarius paucis illis S. Cypr. Ep. ad Jubaïanum verbis, ubi ait neminem effe poffe Dei creatoris Templum, nec Spiritûs fancti; nifi Chriftum ut Deum colat: *Nam cum tres unum fint, quomodò Spiritus Sanctus placatus effe ei poteft, qui aut Patris, aut Filii inimicus eft?*

Ex Novatiano addimus tantùm illum docere, cap. 29. in Spiritum fidem exigi, & effe exigendam.

Adducti quoquè funt SS. Dyonifius Romanus & Alexandrinus; & ex pofteriori laudamus tùm locum ex refponf. ad propofitiones Pauli Samofat. refp. ad quæft. 6. defumptum. *Non enim,* inquit, *impunè feret is, qui adverfus benignum Spiritum Sanctum blafphemus eft; Spiritus autem eft Deus:* tùm & alium ex epiftolâ, quam ad eundem Samofat. fcripfit excerptum, ubi dicit tàm Chriftum, quàm Spiritum fanctum, Deum effe perindè ac Patrem; & quidem pari cum illo dignitate: *Qui,* inquit, *ex Deo natus eft ante fecula, idem noviffimis temporibus ex matre ortus eft;*

propterea Deicidæ sunt Judæi; quoniam Dominum gloriæ crucifixerunt: nisi enim esset Christus ipse existens Deus Verbum, non potuisset non esse peccato obnoxium: nullus enim non obnoxius est peccato, nisi solus Christus, & Pater Christi, & sanctus Spiritus.

Argumentum illud ex traditione scriptâ urget S. Athan. Ep. 2. ad Serapionem, ubi docet fidem istam à Christo fuisse traditam, ab Apostolis prædicatam, & à Patribus servatam.

Argumentum ex totius Ecclesiæ consensione, necnon professione, maximè illustratur ex eo quòd, cum prodierunt qui sancti Spiritûs divinitatem impugnarunt, statim pro hæreticis habiti, omnibus Catholicis exosi fuerint; nec aliâ ratione potuerint esse communionis Catholicæ participes, quàm ejusmodi ejuratâ hæresi. Sic an. 362. Concilium Alexandrinum ex Episcopis Italiæ, Arabiæ, Ægypti &c. congregatum, ubi constituit Ep. ad Antiochenos, omnia charitatis officia erga eos, qui ab Arianis ad Ecclesiam Catholicam transirent, esse præstanda; eâ lege admitti voluit, ut Nicænæ synodi, simul & Spiritûs sancti fidem profiterentur: *Nihilque*, inquit, *amplius ab illis exigatis, quàm ut execrentur Arianorum hæresim; confiteanturque sanctorum Patrum in Nicænâ synodo fidem; execrentur item eos, qui dicunt Spiritum sanctum esse creaturam, & divisum à substantiâ Christi.* Huic synodo præerat S. Athan. Macedoniani tunc Spiritûs sancti divinitatem apertè impugnabant. In eâdem firmandâ fide unanimiter steterunt subsequentes synodi; ut ea quæ habita est in Illyrico sub Imperat. Valentiniano, Valente, & Gratiano, cui interfuit S. Amb: Deindè Romana sub Damaso, quæ, sicut & Illyrica, eam fidem ad Orientales transmisit: Et tandem Concilium œcumenicum secundum, quod hanc hæresim an. 381. proscripsit. Priusquam autem habita fuisset illa synodus, exigebatur fides in divinitatem Spiritus sancti ab iis, qui omnem hæreseos suspicionem diluere volebant, ut jam vidimus. Hanc exactam ab Antiochenis statuente Concilio Alex. exegit quoquè ab Eustathio Sebasteno S. Bas. Ep. 78. Cæterùm, ut docet S. Greg. Naz. orat. 52. inter hæreticos recensebantur, qui Spiritûs sancti divinitati non assentiebantur: Sicut autem Eustathii Sebasteni communionem non complexus est S. Basil. nisi postquàm Catholicæ in Sancti Spiritûs divinitatem professioni subscripsit: ità etiam nec Paulinum Antiochenum excepit S. Epiphanius, ut videre est lib. 3. tom. 2. hæres. 77. Undè ante & post Conc. Oecumenicum eadem fidei professio, scilicet Spiritûs sancti divinitatis, in Ecclesiâ viguit.

Opp. 1. Spiritus sanctus creatus est, Amos 4. ℣. 13. ubi secundum 70. Interpret. legitur de Deo: *Qui firmat tonitru, & creat spiritum.* Item Joan. 1. dicitur factus à Filio, *per quem omnia facta sunt.* Nec est etiam æternus: nam Joan. 7. ℣. 39. *Nondùm enim erat spiritus datus, quia Jesus nondùm erat glorificatus.* Et Math. 3. ℣. 11. annumeratur creaturis, igni scilicet: *Ipse vos baptisabit in Spiritu sancto, & igni:* ideòque non est Deus.

R. ad primum locum, non de Spiritu sancto, sed de vento agi

Amos 4. ità versio Latina: *Formans montes, & creans ventum:* quemadmodùm legunt SS. Hieron. & Theod. Sed etiamsi ibi ageretur de Spiritu sancto, non sequeretur eum creaturam esse, ut, cum dicitur Judic. 11. ℣. 29. *Factus est super eum Spiritus Domini:* hæc Spiritûs sancti manifestationem significant, non creationem.

R. ad secundum, omnia quidem à Verbo creata esse; sed iis proptereà non esse annumerandum Spiritum sanctum; quia pari jure inter res creatas Pater referretur: sic respondent SS. Basil. lib. 3. cont. Eunom. Greg. Naz. orat. 37. Ambros. lib. 36. contra Maxim. cap. 17.

R. ad tertium, non agi quoque Joan. 7. de Spiritu sancto; sed de dono ipsius Spiritûs sancti, nondùm quidem impertito, sed die Pentecostes dando.

R. ad quartum Matth. 3. ideò ignem Spiritui sancto adjungi, ut designentur Spiritûs sancti operationes & dona, quæ nobis præstat & confert; non verò quasi sint generis ejusdem. Quis enim creatori creaturam adæquarit? Hinc licet Exod. 14. ℣. 31. Moyses Deo, & Act. 15. ℣. 28. Spiritui sancto adjungantur Apostoli; non proindè illi adæquantur.

INST. Vel genitus est Spiritus sanctus, vel ingenitus: si ingenitus; ergò est Pater; aut certè erunt duæ personæ absque principio: si genitus: ergò Filius: si aliquid aliud; ergò creatura. Deindè si Spiritus sanctus ab aliquo procedat; aut à Patre; aut à Filio: si à Patre; Filius, & Spiritus sanctus erunt fratres: si à Filio; Spiritus sanctus Patris erit nepos.

Rr. 1. S. Basil. Hom. 27. contra Sabellianos, fidei constanter esse adhærendum; & falsum esse omnia referenda, aut ad ingenitum, aut ad genitum, aut ad rem creatam; cum Spiritus sanctus non sit ex eo entium genere; ut qui à Patre per Filium procedat.

Rr. 2. S. Gregor. Naz. orat. 37. non aliam nobis traditam esse rationem, quâ Filium à Patre distinguamus, quàm quæ ex Filii ratione petitur; sed ideò non eâdem regulâ metiendam esse Spiritûs sancti processionem; nec ideas, aut conceptus ex carne petitos, ad divinitatis naturam explicandam esse transferendos: alioquin & varium sexum in Deo inducemus. *Verùm, inquit, manifestationis, ut ità dicam, mutuæque illorum differentiæ diversa quoque ipsi nomina procuravit:* Patris scilicet, qui generat; Filii, qui generatur; & Spiritûs sancti, qui procedit. Addit alium esse procedendi modum, qui triplici specie ab hæreticis propositâ non includitur; & de hoc sermonem habere Joan. cap. 15. dum de Spiritu sancto ait: *Qui à Patre procedit.*

R. 3. Spiritum sanctum, licet per generationem non procedat, ut Filius; eandem tamen habere cum Filio naturam: plurima enim ejusdem naturæ etiam in creatis occurrunt, quæ variam sortiantur originem, ut in Adamo, qui per creationem; in Evâ, quæ per eductionem ex Adami latere; & in Setho, qui per generationem, in lucem prodierunt omnes ejusdem naturæ participes. Nec Spiritui sancto deest aliquid, licet Filius non sit; quia Deus est; sicut nihil deest Filio, licèt Pater non sit: alio-

quin & Patri deest aliquid, nempè quòd Filii rationem non obtineat.

Sed, inquiunt, cujus generis est processio hæc? At quî scimus? Quæ temeritas, velle animo complecti quæ in Deo maximè sunt abstrusa? cum ne intelligere quidem possimus quæ nobis magis obvia sunt. Nihil enim in naturâ occurrere deprehendimus, quod ad personarum divinarum rationem accedat: & pudendum penitùs, indignumque est de divinis judicandi, & censendi rationem ex creatis rebus ducere.

Opp. 2. Spiritus sanctus non novit Patrem, ex Math. 11. ℣. 27. *Nemo novit Patrem, nisi Filius*: ergò Spiritus sanctus, sicut cæteræ res creatæ, excluditur.

R. Spiritum sanctum ibi non excludi; cum nihil non sit Spiritui S. apertum: nam *omnia scrutatur, etiam profunda Dei*, 1. Cor. 2. v. 10. Quis igitur, nisi impius, negare poterit à Spiritu sancto Patrem & Filium cognosci? Et verò quemadmodùm, ubi Apostolus asserit, *neminem ea quæ Dei sunt, nosse, nisi Spiritum sanctum*; propter particulam, *nisi*, Filium ipsum à cognitione Patris non excludit: sic etiam cum ait Christus neminem nosse Patrem, nisi Filium; nemo sanæ mentis Spiritum sanctum ab ejus scientiæ communione secernet.

Inst. Spiritus sanctus non est Deus; cum postulet, obsequatur, contristetur: Rom. 8. v. 26. *Similiter autem & Spiritus adjuvat infirmitatem nostram; nam quid oremus sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*: & Ephes. 4. ℣. 30. dicitur contristari.

R. ibi agi de gratiâ interpellandi & gemendi, quam confert Spiritus sanctus, infundendo ejusmodi affectus: Matth. enim 10. v. 20. *Non enim vos estis, qui loquimini; sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Contristari etiam dici potest figuratè; sicut & Deum irasci, & pœnitere dicimus.

Opp. 3. Spiritus sanctus non habet naturam fœcundam, ut Filius: ergò non est Deus, ut Filius.

R. Spiritum sanctum non habere naturam fœcundam notionaliter; sed habere fœcundam absolutè; quia eandem habet divinitatem, & perfectionem, spirationem videlicet passivam, quâ paternitati, & filiationi æquivaleat.

Opp. 4. Nullibi describitur debita Spiritui sancto adoratio; nec ullibi defertur; nec ad eum preces diriguntur.

R. 1. cum S. Greg. Naz. orat. 37. traditione non scriptâ nobis constare de adoratione Spiritui sancto debitâ.

R. 2. Spiritum sanctum eum esse, in quo Deum adoramus, & per quem accedimus ad eum rogaturi. Insuper, qui uni personæ adorationem exhibet, aliis quoque eam defert, cum sint unus Deus. Quod autem Ecclesiæ preces ad Spiritum sanctum non dirigantur, nihil indè sequitur: ex veteri enim Ecclesiæ disciplinâ ad Patrem, ut ad Trinitatis principium, preces referebantur: quod & statutum fuit in tertiâ Synodo Carthag. can. 23. Ità instituti videmur exemplo veterum, qui semper

ad Patrem omnia referebant. Plurimæ etiam preces ad Spiritum sanctum nunc temporis diriguntur, ut *Veni sancte Spiritus : Veni creator Spiritus* &c.

Opp. ult. ex S. Irenæo lib. 4. cap. 17. & 37. & ex Tatiano in orat. contra Græcos : Spiritus sanctus est Christi, & Dei minister ; & ex Novatiano cap. 24. de Trin. *Minor est Christo*.

R. Spiritum sanctum originis ratione posse Christi ministrum dici ; & illo minorem eo sensu, quo Dei Filium Patre minorem dixere plures Patres suprà laudati. Undè Novat. cap. 31. sic loquitur : *Aliquo pacto antecedat necesse est eum qui habet originem, ille qui originem nescit ; simul ut hic minor sit, dum in illo esse se scit habens originem, quia nescitur.*

Inst. Veteres de Spiritûs sancti divinitate silent ; quod & fatetur S. Hieron. epist. ad Pammach. nec nomine Dei donatur in Concilio primo Constantinop. quæ vulgaris erat Macedonianorum objectio, qui Spiritum sanctum peregrinum Deum appellare non dubitabant.

R. satis nobis esse, quòd apud antiquos occurrant attributa divina Spiritui sancto vindicata, & in eum æquè ac in Patrem & Filium fides exigatur. Quandò adversus Ethnicos pugnabatur, mysteriorum expositionem uberrimam non tradebant veteres ; sed quò disputatio trahebat, illuc se conferebant. Præterquam quod antiquorum omnia scripta non fuerunt ad posteros transmissa : probat tamen S. Basil. lib. de Spiritu sancto, plurima nos per traditionem habere de Spiritûs sancti divinitate, nihilque certius proponi. Conc. Constantinop. primum, ad Macedonianorum doctrinam dijudicandam convocatum, sancivit Spiritum sanctum tertiam Trinitatis personam, Deum esse, ut in quem sit credendum ; ut cui sit adoratio deferenda ; ut qui cum & Patre & Filio sit glorificandus : quæ singula soli Deo conveniunt.

QUÆSTIO TERTIA.

De variis vocabulis, quæ ab antiquis & recentioribus ad illustrandum Trinitatis Mysterium fuerint usurpata.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid de illis sentiendum sit ?

AD varia, quibus istius Mysterii difficultates exponerentur, excogitanda vocabula, Patres antiquos, tùm Orientales, tùm Latinos, variæ compulerunt hæreses : sed, ut observat S. Ambrosius lib. de dignitate hu-

manæ conditionis cap. 2. ad explicandam Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti naturam, quibuſcumque verbis utamur, nihil aliud per hæc, quàm noſtri ſermonis ſignificamus inopiam; *ut potè pauperes ſenſu, pauperiores verbis*. Hinc plura ex SS. Patribus monita art. ult. quæſt. 1. retulimus.

Eæ voces ſunt Trinitas, eſſentia, natura, ſubſtantia, exiſtentia, conſubſtantialis, ſimilis in ſubſtantiâ, perſona, ſubſiſtentia, proceſſio, relatio, circumince ſſio, quibus, quid tribus perſonis commune, quid verò ſingulare ſit, exprimitur. Patris verò, & Filii, & Spiritus ſancti nomina in Scripturis traduntur. Singulis perſonis ſingula etiam vocabula tribuuntur. De quibus omnibus omnibus erit agendum, & paucis.

Ità invaluit Trinitatis vocabuli uſus apud antiquos & recentiores, ut temerarium penitùs foret illius uſurpationem improbare: nam præter Tert. lib. cont. Prax. S. Cyp. Ep. 73. S. Athan. Ep. 1. ad Serapionem, SS. Epiph. Hieron. & Aug. eo pleraque Concilia, ut Chalced. &c. uſa ſunt. Idoneum eſt illud maximè ad perſonarum numerum ſimul, & unitatis eſſentiam exprimendam.

Quær. 1. utrum dici poſſit, Divinitas eſt Trinitas: quæ propoſitio damnatur can. 2. conc. 1. Braccarenſis.

R. hanc propoſitionem de reali eſſentiæ divinæ cum perſonis divinis identitate intellectam, à SS. Patribus uſurpari ſæpiùs, ut à S. Athan. epiſt. 1. ad Serap. ubi ſic habet: *tota Trinitas, unus Deus eſt*: à S. Epiph. hær. 74. ubi ità ſcribit: *ea ſancta Trinitas appellatur, in quâ tria ſunt; ſed una trium conſenſio; ſingularis divinitas*: Item à S. Aug. l. 5. de Trin. cap. 8. l. de fide & ſymb. cap. 9. & à Toletanâ ſynodo 11. in profeſſione fidei. Attamen à Braccarenſibus patribus meritò fuit hæc propoſitio improbata; ſenſu nempè Priſcilliani Sabellianam hæreſim in Hiſpaniâ renovantis.

Non æquè vocabulis, Ternario, Ternione, Triplicitate, Triformitate, & Ternitate uti deceret; quòd hæc nomina quid à Trinitate alienum inferant, nempè trium rerum ſubſtantialiter diſtinctarum numerum & compoſitionem: Ideòque nomen triplex à S. Aug. lib. 6. de Trin. cap. 7. & 8. rejicitur. Improbatur quoque Triformitatis nomen à S. Aug. epiſt. 177. *quòd una in Deo forma ſit*, nempè divinitas. Nec Deus etiam dicendus eſt ternus; diſtributionem enim importare videtur hoc nomen, ſexque Deos inducere: Non enim dicuntur bini, niſi ſint quatuor, nec terni niſi fuerint ſex. Aliud de Trino eſt ſentiendum; vocabulum enim illud eſſentiæ unitatem deſignat.

Q. 2. quid per eſſentiam, ſeu naturam, & hypoſtaſim ſignificetur?

R. vocabula illa οὐσία, ſeu eſſentia, quandóque pro ipsâ perſonâ fuiſſe uſurpata, ſeu pro hypoſtaſi, ut à S. Ignat. epiſt. ad Magneſianos; à Pierio Mart. & Preſb. &, ex Photio cod. 119. Pamphili Martyris præceptore; & demùm à S. Greg. Niſſ. lib. 12. adverſus Eunom. Utrumque vocabulum confuderunt S. Dionyſ. Rom. apud S. Athan. lib. de decretis Synodi Nicænæ; Nicæni Patres in expoſitione fidei, & Sardicenſes in epiſt. Synodicâ apud Theod. lib. 2. c. 8. Ità quoque plerique alii, ut ipſe S. Athan. lib. de Synodis, & alibi; Baſil. Ancyranus apud S.

Athan. in eodem libro; S. Epiph. hæref. 69. S. Cyrill. Hierofol. Catechefi 6. S. Greg. Naz. orat. 34. & S. Hieron. epift. ad Damafum, ubi de illius vocabuli fignificatione differens, idem effe effentiam & hypoftafim, feu οὐσίαν & ὑπόστασιν demonftrat: undè tres hypoftafes dicere timuit. *Sufficiat*, inquit, *nobis dicere unam fubftantiam, & tres perfonas; taceantur tres hypoftafes, fi placet, & una teneatur.*

Diftinxerunt verò utrumque nomen Conc. primum Conftant. in epiftolâ Synodicâ; Chalcedon. in fidei expofitione act. 5. Conftant. 3. act. 4. & 18. S. Bafil. epift. 43. S. Gregor. Naz. orat. 21. item & cæteri. Eo autem fenfu fumpferunt οὐσίαν feu effentiam, ut generale quid & commune defignaret; ὑπόστασιν verò, ut aliquid fingulare, quo res fit individua fubftantia: & hic eft ufus Ecclefiafticâ confuetudine receptus; *quia noftra loquendi confuetudo jam obtinuit*, inquit S. Auguftin. lib. 5. de Trin. cap. 9. *ut hoc intelligatur, cum dicimus eßentiam, quod intelligitur, cum dicimus fubftantiam; non audemus dicere unam effentiam, tres fubftantias; fed unam effentiam, vel fubftantiam; tres autem perfonas.*

Varia quoque fuit ufurpatio vocis φύσις, feu natura. Quidam autem non ità idoneam illam, ut vocem οὐσία, exiftimarunt, ut S. Greg. Naz. orat. 51. Eam pro hypftafi S. Cyrill. Alex. cont. Neftorium ufurpavit, ut & in epift. ad Succeffum; undè factum eft, ut fcripferit unam effe Dei Verbi incarnatam naturam.

Nomina perfonæ & fubftantiæ idem funt apud Latinos, quod ὑπόστασις, & πρόσωπον apud Græcos. Subftantiæ nomen nonnifi abufivè de Deo poffe dici cenfuit S. Auguft. lib. 7. de Trinit. cap. 5. quòd nomen iftud à fubftando accidentibus dictum videatur: nomen verò hypoftafis plerúmque fumitur pro bafi, feu rerum fundamento, ut 2. ad Cor. cap. 9. v. 4. Hebr. 1. v. 3. & 3. v. 14. item à 70. Interpretibus Pfalm. 38. & Sap. 16.

De voce ὁμούσιον feu Confubftantialis.

Qr. 1. num antiquum fit nomen, *Confubftantiale*, feu ὁμούσιον? & num à Nicænis Patribus fuerit adinventum?

Rr. S. Athan. lib. de decretis Nic. Synodi, & in lib. de fentent. S. Dionyf. Alex. nomen ὁμούσιον ab antiquis ufurpatum fuiffe longè ante Synodum Nicænam, ut à Theognofto erudito fcriptore, & ab utroque Dionyf. Romano & Alex. Cum enim S. Dionyfius Alex. incufaretur, quafi Filium velut Patris opus traduxiffet, fimulque fuiffet profeffus cum Patri non effe confubftantialem; ex Synodo Romanâ Latinorum fententiam tranfmifit S. Dionyf. Rom. ad S. Dionyf. Alex. qui à fufpicione pravâ fidem fuam liberavit, ut exfcripfimus. Et proindè S. Dionyf. Alex. cum Ægyptiis Libyæ, & Pentapolis Epifcopis, & S. Dionyf. Roman. cum fuâ Romanâ Synodo, *Confubftantialis* profeffionem exigendam effe conveniebant. Invaluerat igitur proculdubiò apud antiquos, & *Confubftantialis* fides, & vocabuli *Confubftantialis* ufus.

Eamdem

Eamdem antiquam illius vocabuli usurpationem lib. 1. Hist. cap. 8. probat Theodoretus tùm autoritate ejusdem S. Ath. & Ægypti Episcoporum, tùm & Eusebii Cæsariensis consensu: hæc sunt S. Ath. & 70 Ægypti & Lybiæ Episcoporum verba in epist. ad Africanos: *Siquidem prisci Episcopi abhinc annis propè centum & triginta, tùm qui Romæ, tùm qui in nostrâ civitate pontificatum gessere, accusaverunt eos, qui Filium creaturam dicerent, aut qui negarent eum consubstantialem Patri: neque ejus rei ignarus Eusebius Episcopus Cesareæ, qui quum prius suffragaretur Arianicæ sectæ, posteà tamen Concilio Niceno subscripsit.* Utuntur ergò S. Ath. & 70. Episcopi authoritate tùm veterum Episcoporum, ubi de S. Dionysii Alex. sententiâ fuit actum; tùm & Eusebii Cæsar. qui de illius vocabuli antiquitate in suâ ad Cæsareenses epistolâ ità differit apud eundem Theodor. lib. 1. cap. 12. *Quod quidem sic expositum rectum videbatur aßensione approbari: nam nonnullos veteres Episcopos scriptores, viros sanè disertos & illustres in Patris, & Filii divinitate explicandâ, hoc verbo consubstantiali usos fuiße cognovimus.* Addimus ex Synodo Parisiorum in litteris ad Episcopos Orientales à S. Hilario relatis, Consubstantiale verbum in Gallicanâ Ecclesiâ viguisse.

Qr. 2. num explicando Trinitatis Mysterio idonea illa sit vox *Consubstantialis*, seu ὁμούσιον? & num à Conc. Nic. rectè & apposité fuerit Fidei Symbolo inserta? Ab eâ voce, ut quâ confoderetur Arii hæresis, abhorrebant Ariani: ideò Nicænæ Synodi conabantur elevare autoritatem, quòd tam peregrinam vocem adhibuisset: nec diffitebantur quandòque profiteri se nonnisi de verbo illo contendere, quamvis penitùs à Catholicis dissentirent. Episcopi alii Nicænæ Fidei vindices eruditi & constantes, inter quos eminebat Basil. Ancyranus, adversus vocabulum illud insurrexerunt acriter, rejiciendumque contestati sunt diutiùs, ut quod à Conc. Antiocheno fuisset reprobatum. Et sanè ex illis Episcopis nonnulli tanto æstu vocabulum illud insectati fuerunt, ut factioni Arianæ adversus sinceræ fidei defensores adhæserint sæpiùs.

R. idoneam maximè esse illam vocem ad explicandam veram Trinitatis fidem.

Prob. 1. ex ipsâmet Arianorum sententiâ, qui vocabulo illo fidem Catholicam de Filii unà cum Patre divinitate palàm significari censuerunt: & ideò illius vocabuli sanciendi occasionem præbuerunt, sicuti refert S. Athan. lib. de decretis Nic. Synodi. In has verborum formulas, Deum de Deo, Filium Patri per omnia similem, & immutabilem, Arianæ factionis Episcopi non ægrè consentiebant; à nomine verò *Consubstantialis* abhorrebant, utpotè quod eorum effugiis locum non relinqueret: *Omnes eorum argutias*, inquit ipse S. Athan. lib. de Synodis Arim. & Seleuc. *quibus simpliciores fallunt, excludit. Certè cum omnia queant fucis lenociniisque sophismatum adulterare, & pro libidine mutare; hanc solam vocem adaperientem ipsorum hæresim reformidant, quam Patres pro munimento, & arce contra illorum impias commentationes in scripta retulerunt.* Addit verbum illud ab Episcopis Nicænis & Arimi-

nensibus probatum fuisse. Demonstrat insuper hoc verbo fidem contineri Catholicam, & Arianam hæresim penitùs convelli: non posse sincerâ mente Filium existimari ex Patre prodire, quin ut Catholicum admittatur illud nomen: hoc verbo usos esse Nic. Patres, ut omnis tolleretur dubii occasio; & ne Filio tribueretur ex Patre origo, quæ aliis creaturis competit: & tandem secum Arianos non consentire, utpotè cum ex illis quidam verbi istius usum Nicææ probassent. Indicat adhuc Patres Nicænæ Synodi, cognitâ perversâ Arianorum interpretatione, de verbis istis, *ex Deo esse*, quæ ità detorquebant, ut designaretur unica persona, quæ Deus esset; definiisse ex Patris essentiâ Verbum esse: quia autem istis vocabulis etiamnum abutebantur Ariani; ideò Patres verbum *Consubstantiale* ad amovendas omnes eorum tergiversationes inservisse. Sic quoque S. Ambr. lib. de Filii divinitate cap. 4. ubi de Arianis sic habet: *Cum viderunt se in hoc verbo concludi, nullam omninò mentionem hujus fidei voluerunt.* Et libro 4. de fide cap. 7. notat illi voci instituendæ præbuisse occasionem Eusebium Nicomediensem, factionis Arianæ principem, qui sic mentem suam explicarat in epist. quâdam: *Nam quid est aliud*, inquit, *cur ὁμοούσιον Patri nolint Filium dici, nisi quia nolunt verum Dei Filium confiteri? Sicut author ipsorum Euseb. Nicomed. epist. suâ prodidit dicens: si verum Dei Filium & increatum dicimus, ὁμοούσιον cum Patre incipimus confiteri. Hac cum lecta esset epistola in Concilio Nicano, hoc verbum in tractatu fidei posuerunt Patres, quod id viderunt adversariis esse formidini, ut tanquam evaginato ab ipsis gladio, ipsorum nefanda caput hæreseos amputarent.*

2. Hæc fuit in Concilio Nic. Eusebii Cæsar. sententia, obscuram quidem hanc esse vocem; Catholicam tamen fidem continere, & in usu fuisse apud antiquos: sic in epist. ad Cæsar. quam Theodoretus refert lib. 1. hist. cap. 12. ubi ait se in Nic. Symboli fide fuisse baptisatum, & constitutum Sacerdotem: vocem *Consubstantialis* non esse corporaliter intelligendam, ita ut Dei substantia divideretur: postulasse se vocis illius sensum; ac Patres respondisse illam vocem eadem exprimere, ac istas, *ex Patre esse, non tamen Patris partem esse:* hoc verbo denotari Filium esse ex Patris substantiâ, non per mutationem quamdam; cum Patris substantia mutationi non sit obnoxia: nullâ item similitudine cum rebus creatis posse conferri; sed in omnibus Patrem referre, & ex ejus substantiâ esse genitum, & veteres illud usurpasse in Patris & Filii divinitate explicandâ, eosque fuisse disertos & illustres.

3. Sic Patres Ariminenses censuerunt, teste ipso S. Athanasio in lib. de Synodis Arim. & Seleuc. Sic etiam censuit S. Basil. epist. 141. ubi scribit Filium neque esse propriè similem Patri, neque dissimilem; cum simile & dissimile nonnisi de qualitatibus dicerentur: Dei autem substantiam qualitatibus non subjacere. Addit per ὁμοούσιον identitatem proferri, & proindè veram fieri professionem fidei. Idem etiam docent SS. Greg. Naz. & Niss. & Epiphan. tùm lib. 2. tomo 2. tùm & lib. Ancoratus, ubi nomen illud, ut fidei vinculum pluribus extollit, quo &

eorum qui solam Filii adoptivi rationem Verbo tribuebant, simul & Sabellii, qui unicam personam admittebat, destrueretur hæresis.

4. Miretur nemo Sanctorum Patrum pro ὁμοούσιον vindicando constantiam. Ab Arianæ factionis hominibus unica offensionis ratio dicebatur hæc vocula. Sed numquid non ut oppressâ voce fides opprimeretur? An erant audiendi, ut habet S. Athan. lib. de decretis Nic. Synodi, qui lite ceciderant, & Judicum suorum in exprimendo contra novitatem Arianam judicio carpebant solertiam? In propatulo erat non tàm vocabulo, quàm Fidei Nic. illos Arianæ doctrinæ defensores subdolos insidias moliri: fiet, inquiebant, animorum consensio, si vel solum illud vocabulum removeatur. Sed erat fidei tessera; nec talem unquàm patietur Fidei Catholicæ integritas, Symbolo Catholico fieri injuriam, vel ullum Catholico dogmati detrimentum inferri. Familiare est animis hæreticis, etiamsi graviter à se invicem dissentiant; in dogmatibus, aut in dogmatum expositionibus conciliationis vias specie tenus hinc & indè conquirere, ut conjunctis viribus contra Ecclesiam Catholicam animosiùs desæviant. Abhorret sinè, & abhorrebit semper ab ejusmodi conciliationum rationibus Ecclesia mater, quam regit, & ad seculorum consummationem reget Dei spiritus. Quantâ igitur laude digni SS. Athanas. Hilar. & alii, qui pro verbi illius defensione tàm constanti animo steterunt. Nicænæ formulæ vindicibus gravissim.s persecutiones, exilia, tormenta, & mortem ipsam intulerunt Ariani; nec tamen à decretis illius Synodi recesserunt unquàm. Horum exemplum secutus est S. Basil qui, ex S. Greg. Niss. lib. 1. contra Eunom. licet Valentis Imper. Præfectus, ipsi nihil non grave minitatus esset, ut ad verbum ὁμοούσιον fidei formulæ tollendum induceretur; nihilominùs intrepidè reluctatus est.

Opponebant etiam Verbum illud in Scripturis non extare, nec proindè admittendum.

R. 1. S Athan. lib. de synodis Arim. & Seleuc. *Nihil id referre, si quis voces in Scripturâ non repertas usurpet, quandiu pias sententias complectitur: contrà hæreticus, tametsi voces suas ex sacris litteris mutuetur, nihilominùs suspectus animoque correptus audiet à Spiritu sancto: quare tu enarras justificationes meas &c.* Cum autem Verbum illud Bas. Ancyr. cum aliis Catholicè sentientibus, qui vocabulo ὁμοιούσιον remoto verbum ὁμοούσιον non adhibebant, impugnaret; eâ ratione respondit S. Hil. lib. de Syn. *Quod non accipiendum idcirco sit*, dicitis, *quia nusquam scriptum reperiretur, quod à vobis dictum satis miror: si enim homousion propter novitatem verbi repudiandum sit: vereor ne homoiousion periclitetur, quia nusquam scriptum reperiatur: sed hinc non calumnior; malo enim aliquid novum commemorasse, quàm impiè respuisse. Prætermissâ itaque quæstione novitatis, ne in his quidem residet quæstio, quæ communi omnium nostrûm judicio damnatur.*

R. 2. S. Athan. non esse cur vocabuli usum Nicænis Patribus vitio verterent Ariani, cum & ipsi formulis suis recentibus ista verba, quæ in Scripturis non extarent, insererent; *ut ex non entibus esse Verbum; erat quando non erat.* Cæterùm addit nova & peregrina verba sacris expo-

nendis Mysteriis adhibere pium quandoque esse; cujusmodi erat verbum ὁμούσιον à Conc. sancitum.

R. 3. æquivoco vocabulo, *simile*, seu ὅμοιον, velle uti Arianos; ut non aliam Filio ex Deo originem tribuerent, quàm quæ cæteris creaturis competeret: autoritate ergò muniendum erat vocabulum, quod omnem dubii tolleret occasionem, cujusmodi est ὁμοούσιον. Quòd enim homines Deo dicerentur similes, inferebat Aëtius, nihil aliud occurrere discriminis inter Christum & homines, quàm quod ex majori vel minori cum Deo Patre similitudine repeteretur.

4. Addit S. Amb. lib. de Filii divinitate contra Arianos cap. 3. si Filium esse Patri consubstantialem de fide sit; posse id vocabulo exprimi: cum Rom. 10. ℣. 10. habeatur: *Corde creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem*: igitur, ut habet, *aut totum meum tene, aut totum omitte.*

5. Ex Scripturis illud vocabulum erui posse adjiciunt alii; cum essentia Dei in eis tradatur per hæc verba: *Ego sum qui sum: qui est, misit me.* Ita S. Epiph. hær. 73. & S. Athan. lib. de decretis Nicæn. Syn.

Opp. tùm Ariani, tùm Bas. Ancyr. cum suis, verbum illud non fuisse adhibendum; quòd esset obscurum; quòd varios pateretur sensus, & Deo indignos; quòdque faveret Paulianistis. 1. enim in multis individuis specie multiplicari naturam significat. 2. Indicat naturam derivatione quâdam & participatione communicari; & proindè de solis corporeis dici posse: sic Filius in humanis dicitur Patri Consubstantialis, quod paternæ substantiæ quandam partem sortiatur. Ergò nullam aliam ideam menti ingerere consubstantiale potest, quàm quòd extet aliqua substantia Patre, & Filio anterior, in cujus participationem uterque veniat; aut quòd Filius sit ex substantiâ à Patre divisa; ita ut in duobus sit res una divisa; & ideò substantiæ dicantur unius, quia portio desecta de toto in naturâ eâ sit, undè desecta est. Undè concludunt illud vocabulum à Patribus Antiochenis an. 272. meritò fuisse rejectum, sicque rejiciendum esse.

R. à Patribus Antioch. fuisse improbatam Pauli Samosateni sensu vocem illam; non verò eo sensu quo ipsam consecrarunt Nicæni Patres, tùm ad sanciendum dogma Catholicum, tùm etiam ad tollendas Arianorum tergiversationes, qui variis artibus conati sunt viris aliundè catholicè sentientibus illudere. Undè S. Ath. lib. de Synodis Arim. & Seleuc. ad Episcopos Catholicè sentientes, qui de solo Verbo ὁμοιούσιον contendebant, ita disserit: si obscurum videatur vocabulum ὁμοούσιον, non proindè est improbandum, sed à viris eruditis quærendam esse ejus expositionem; alioquin eodem jure quidquid obscurum continent Scripturæ, rejiciendum foret; quod non decet Christianos, sed hæreticos: *Quæ enim*, inquit, *non intelligimus in Scripturis, non abdicamus; sed requirimus ab illis, quibus Dominus revelaverit, & ab eis discere cupimus.*

R. S. Hil. lib. 4. de Trin. recto sensu vocem hanc ab Ecclesiâ propugnari. *Ne quid in homousii à Patribus nuncupati enunciatione, & in eâ quod semper fuerit confessione suspicionis relinqueretur, ista memorata sunt: quibus*

& subsistere Filium in substantiâ, quâ genitus ex Patre est cognosceretur; & Patri de substantiâ quâ manebat, per Filii nativitatem nihil esse decerptum. Idem lib. de Syn. sub finem, ad Basil. Ancyr. & ad suos, ait verbum Consubstantiale variis modis spectari posse; unicum verò sensum esse Catholicum, quo unicam in tribus personis naturam divinam significat.

Inst. 1. Non modò hæreticos illos sensus vocabulum illud continet; sed & significat tres personas esse consubstantiales instar Petri & Pauli, qui in humanitate consubstantiales sunt: & proindè tres esse Deos sequetur. Nam ex S. Ath. in quodam dialogo de Trin. ex S. Bas. in epist. 43. & ex Conc. Constantinop. sub Flaviano adversus Eutichetem act. 2. Christus nobis & Deo consubstantialis esse dicitur: ergò sicut humanitas in Christo est numero distincta, ità & divinitas.

R. illius Dialogi Ath. non esse authorem; sed alium multò ætate posteriorem, ut qui Monothelitas confutet. Cæterùm nihil aliud velle videtur author ille, quàm vocabulo *Consubstantiale* in Trinitate unitatem naturæ significari, ut etiam in tribus hominibus, sed non eâdem ratione. S. pariter Basil. nihil aliud vult, nisi vocabulo οὐσίας designari substantiam tribus personis communem; verbo verò ὑποστάσεις proprietates personales, seu inter personas discrimen exprimi. Concilium autem Constantin. sub Flaviano Consubstantiale nomen strictè non usurpat; sed tantùm ut Christum verè hominem, & verè Deum profiteatur.

Inst. 2. Non aliâ de causâ post Nicænam Synodum ab ipsis Patribus Nicænis adhuc superstitibus in Conc. Antioch. an. 341. omissum illud vocabulum fuit, nisi quòd pravos sensus referret, & recèns esset excogitatum à Paulo Samosateno. Et ideò fuit à Conc. Antioch. proscriptum, cujus vestigiis inhæserunt Conc. Sirmiense an. 351. Arimin. an. 359. & Constantin. an. 360.

R. 1. à Nicænis Patribus, qui Conc. Antioch. an. 341. interfuerunt, formulam Nicænam servatam fuisse intactam. Equidem ab illis Episcopis verbum ὁμοούσιον quatuor variis formulis à se confectis non fuit insertum; non quòd ab illis reprobaretur; sed quòd in hæresibus aliis proscribendis laborarent, nec de substantiæ in tribus personis unitate quæstio moveretur. Illud quidèm vocabulum Pauli Samos. sensu à Conc. Antioch. ad an. 272 fuit rejectum; sed, ut jam monuimus, ipsius Pauli sensu, & aliis pravis significationibus jam observatis: Quam quidem œconomiam (ut plerisque placet) Concilia Sirmiense, Arimin. & alia fuerunt imitata; præsertim ut de vocabulis disceptationes removerentur, & Ariani, qui illius contentionis prætextu Catholicis permixti, quasi propter unicum vocabulum in Synodum Nic. insurgebant, certò dignoscerentur, an Catholicè, an Arianè sentirent. Undè Fidei Catholicæ propugnatores egregii præcipuam in eo collocabant operam, ut ostenderent Antiochenos Patres in illo vocabulo rejiciendo Nicænis Patribus qui illud usurpabant, consentire; & eâ nos reverentiâ duci oportere erga antiquos, ut eos inter se non opponamus, cum à se invicem non dissideant, ut monet S. Ath. lib. de Syn. Arim. & Seleuc. Nam committere istos cum illis sanctis, videlicet Antiochenos Patres cum Nicæ-

nis prorsùs indecorum esset; eò quòd omnes Patres sint: *Rursùs*, inquit, *dijudicare istos benè, istos malè dixisse, nequaquam sanctum est: omnes enim in Christo dormierunt: quapropter neque contentiosiùs agendum est, neque numerus eorum, qui congregati fuere, in comparationem mittendus; ne videantur trecenti illi Nicenses eos, qui pauciores sunt, perstringere; neque tempora metuenda sunt, ne priores videantur posteriores exauctorare: omnes enim isti (quemadmodum dixi) Patres sunt: sed tamen neque isti quasi novum aliquid sapientes id in scripta retulerunt; neque sui fiduciâ voces in Scripturâ non solemnes deffendunt, sed à Patribus incitati eorum vocabulis uti voluerunt.* Scribentium propositum studiosè attendatur, ut ibidem monet. S. Ath. alioquin. sibi perpetuò adversari viderentur. Sic S. Ignatio mart. qui Christum vocavit ingenitum Deum, alii repugnare viderentur Patres, qui solum patrem divinum ingenitum dixere: abeis tamen non dissentit; cum per ingenitum nihil aliud intelligeret, quàm non factum Ergò injuriâ Nicæni Patres damnarentur, quòd ab Antiochenis reprobatum vocabulum usurpassent; cum & ipsi Antioch. Patres arguendi quoque forent, quòd decessorum suorum utriusque Dionysii Rom. & Alex. qui vocabulo illo usi fuerant, vestigiis non institissent: sed neutri sunt damnandi; imò omnes probandi; cum ad proscribendas temporum suorum hæreses idonea vocabula usurpaverint, & de sententiâ Catholicâ unanimiter consenserint. Et verò an non sibi assentitur Apostolus, cum de lege quædam proferre videtur opposita, quæ maximè sunt consona, ut ejus proposito congruant & conducant? Sic ergò ad utriusque Concilii propositum adhibere animum opus est, & utriusque Concilii consensus unanimis competietur.

Ad Pauli Samosateni mentem, vocem ὁμοούσιον exosam habuere Patres Antioch. quòd corporali sensu intellecta, sicut ille intelligebat, aut naturam divinam in duas dividi, aut unicam personam in Deo esse significaret: contrà verò Nicæni Patres eam probarunt, ut naturæ divinæ unitatem, & personarum pluralitatem exprimerent: minùs tamen cautè locutos fuisse Patres Antioch. fatetur ibidem S. Athan. *Ideò Episcopi tùm congregati hominem hæreseos condemnatum abdicarunt, & de Filii divinitate simpliciùs scribentes, non exquisitam diligentiam in tractatu hujus vocis, consubstantialis, adhibuerunt; sed ut acceperant de consubstantiali, ità locuti sunt*: scilicet Pauli hæretici sensum reprobarunt. Eam Catholicam illorum Patrum consensionem sic exponit, & vindicat S. Hil. lib. de Synodis: *Malè intelligitur ὁμοούσιον; quid ad me benè intelligentem? Malè ὁμοούσιον Samosatenus confessus est; sed numquid meliùs Ariani negaverunt? Octoginta Episcopi olim respuerunt; sed trecenti decem & octo nuper receperunt; & mihi quidem ipse ille hic numerus sanctus est, in quo Abraham victor Regum impiorum, ab eo qui æterni Sacerdotis est forma, benedicitur; illi contra hæreticum improbaverunt, numquid & isti non adversum hæreticum probaverunt? Gravis authoritas est veterum, numquid & horum levis sanctitas est? Si contraria invicem senserunt, debemus quasi judices probare meliora: si vero & pro-*

bando & improbando unum utrique statuerunt, quid benè constituta conjecimus?

Quod spectat ad Conc. Sirmiense, legitur in quâdam fidei formulâ, quam refert S. Ath lib. de Synodis Arim. & Seleuc. substantiæ vocabulum tanquam simplicius à Patribus Nicænis positum, fuisse à formulâ Sirmiensi remotum, eò quòd à populis ignoraretur, & scandalo esset, utpotè cum in Scripturis non contineretur. Quæ singula continuò contra formulam Nicænam opponebant Ariani; quorum dolum deprehenderunt tandem Catholici Episcopi, quòd hæresim Arianam ex illis plerique recusarunt damnare, ut multotiès posteà renuerunt.

Dixi plerosque: aderant enim alii variis illis Synodis ex parte Basil. Ancyrani, qui cum eo pro fide Nic. pugnabant; sed tamen voci ὁμοούσιον erant valdè infensi; & qui propterea verbum ὁμοιούσιον, seu substantiâ simile suis formulis inserebant, cum quibus S. Hil. lib. de Synod. 1. hæreticas, quæ voce illâ exprimerentur, sententias rejicit, ut quæ priorem substantiam, quæ divisa duabus personis communicaretur, aut Patrem & Filium unam esse personam illo vocabulo significarent. Contendit 2. æquè periclitari ὁμοιούσιον ac ὁμοούσιον, ut quod non magis in Scripturis contineretur; & tam humanè cum illis agendum esse censet, ut ipse veniam ab eis postulet, quòd in eorum formulâ aliquid non intelligeret: *Non quòd quidquam vos secundum mensuram scientiæ ignorare ausus sum dicere; sed super fidei Catholicæ unitate patimini non minus in nobis esse sollicitudinis, quàm in vobis, epistolam quam à vobis ὁμοουσίου, & ὁμοιουσίου expositione apud Sirmium Valens, & Ursatius, & Germinius poposcerunt legi, intelligo in quibusdam non minùs circumspectam esse, quàm liberam; & quia homoousii, & homoiousii demonstratio nihil reliquit difficultatis: & quidem de homoiousio, quod est similis essentiæ, commune judicium est; de homoousio, quod est unius essentiæ tractantes, primum idcircò respuendum pronuntiatis, quia Verbi hujus enunciatione substantia prior intelligeretur, quàm dum inter se partiti essent, intelligo vitium intelligentiæ, & profanus hic sensus est, & communi judicio ab Ecclesiâ respuendus. Secundò quoque id addidistis, quod Patres nostri, cum Paulus Samosatenus hæreticus pronunciatus est, etiam homoousion repudiaverint, quia per hanc unius essentiæ nuncupationem solitarium atque unicum sibi esse Patrem & Filium prædicabat; & hoc sanè nunc quoque profanissimum Ecclesia recognoscit, Patrem & Filium in his nominum professionibus ad unionis singularis solitudinem negata personarum proprietate revocare. Tertiò etiam hæc causa improbandi homoousii commemorata à vobis est, quia in synodo, quæ apud Nicæam fuit, vocati Patres nostri propter eos, qui creaturam Filium dicebant, nomen homoousii adhiberent; nec contineri in Scripturis verbum ὁμοούσιον, quo uterentur.* Sed urget summâ charitate servatâ: *ut probari possit ὁμοιούσιον, non improbemus ὁμοούσιον. Cogitemus tot sacerdotes sanctos & jam quiescentes. Quid de nobis Dominus judicabit, si nunc anathematizantur à nobis? Quid de nobis erit, qui rem eò deducimus, ut quia Episcopi non fuerunt, nos quoque*

nec erimus? ordinati enim ab his sumus, & eorum sumus successores. Renuntiamus Episcopatui, quia officium ejus ab anathemate sumpserimus. Date veniam fratres dolori meo. Impium est quod audetis: non patiar hanc vocem, ut in Anathemate sit, ὁμοούσιον secundum religiosam intelligentiam confitens. Nomen nihil habet criminis, quod sensum non perturbat religionis: homeusion nescio, nec intelligo nisi tantùm similis essentiæ confessionem. Testor Dominum cœli atque terræ, me, cum neutrum audissem, semper tamen utrumque sensisse, quòd per homoousion, homousion oporteret intelligi: id est, nihil simile sibi secundum naturam esse posse, nisi quod esset ex eâdem naturâ. Regeneratus pridem, & in Episcopatu aliquantisper manens, fidem Nicænam nunquàm nisi exulaturus audivi: sed mihi homousii & homoousii intelligentiam Evangelia, & Apostoli intimaverunt. Pium est quod volumus: nec damnemus Patres, ne animemus hæreticos: ne, dum hæresim expellimus, hæresim nutriamus: interpretati Patres nostri sunt post Synod. Nic. homousii proprietatem: religiosi extant libri, manet conscientia; si quid ad interpretationem addendum est, communiter consulamus. Potest inter nos optimus fidei status condi, ut nec ea quæ benè sunt constituta, vexentur; & quæ malè sunt intellecta, resecentur.

Q. 3. num statim à Concilio Nicæno ad Catholicam fidei professionem, verbo ὁμοούσιον uti in fidei formulis fuerit necessarium?

R. in Occidente vocis illius usum ad fidei tesseram non exactum fuisse: non enim extat in fidei professione, quam Marcellus Ancyr. Romæ Julio Papæ & Sardicensi Concil. obtulit, ut heręseos, cujus à Concil. Hierosol. & Constant. seu ab Eusebianorum factione damnatus fuerat, suspicionem purgaret. Nec extat in pœnitentiæ libello, quem Ursacius & Valens eidem Julio, ut erroris sui veniam deprecarentur, obtulerunt: nec in Concilio Aquileensi S. Ambr. qui pro illo vocabulo stabat, exegit.

Hæc erat etiam in Oriente virorum pacis catholicæ studiosorum tunc temporis œconomia, ut S. Athan. & S. Basil. in Oriente, & S. Hilar. in Occidente, qui sequenti quæstione laudandi vocis illius usum non postularunt, cum vocabuli ὁμοούσιον usurpationem non improbarunt. Imò S. Bas. epist. 300. eosdem Episcopos vindicat. *Sunt, qui nondùm ὁμοούσιον profitentur*, inquit, *quos jure quis dignos reprehensione dixerit, & eosdem iterùm jure excusandos. Patrum enim vestigiis non insistere, & suam ipsorum excogitatam sententiam velut potiorem, voci illorum anteferre, tanquam præsumptionis plenum non vacat culpâ; eandem verò rursus à nonnullis reprehensam suspectam habere, videtur aliquatenùs illos à culpâ liberare.* Undè Synodum Antioch. quæ *Consubstantialis* nomen fidei formulæ non inseruerat, non minùs probavit Conc. Chalcedon.

Opp. ex epist. 78. S. Basil. Nicæna professio, tùm à redeuntibus ab heręsi exigenda erat; tùm & ab iis, qui hæreseos suspicione laborabant; quam ideò exegit ipse ab Eustathio Sebasteno.

R. non quoad verba, sed quoad sensum necessariò exigendam Nicænæ fidei

fidei professionem existimasse S. Basil. *Convenit igitur ut suscipiantur, si se juxta verba, quæ à Patribus nostris Nicææ sunt exposita, & juxta intellectum, qui sanè per verba illa significatur, credere confiteantur. Sunt enim quidam, qui in hâc fide sermonem veritatis dolo invertant, & ad suam ipsorum sententiam intellectum ac mentem verborum torqueant.* Idem epist. 86. Dianæi Cæsareensis fidei professionem refert, qui cum fidei Constant. an. 360. subscripsisset, & ideò ab ejus communione recessissent S. Bas. illius Ecclesiæ tunc Presbyter, Clerus, Monachi, & alii; Dianæus ut S. Basilio & aliis faceret satis, Nicænam fidem professus est, ubi decidisset in morbum, ex quo & mortuus est: *Accitis nobis dicebat, testem esse Dominum, quod simplici corde Constantinop. fidei consenserit quidem; verùm nullâ in re irritam voluerit eam fidem, quæ Nicææ à sanctis Patribus exposita est; neque aliud in corde habuerit, quàm quod ab initio traditum accepisset; imò precari se quoque, ut non separaretur à sorte beatorum illorum Episcop. 318. qui piam illam fidei prædicationem promulgaverint orbi: atque istâ satisfactione nos ità permovit, ut solutâ omni cordium nostrorum hæsitatione ad communionem illius accesserimus, & à concepto mœrore quieverimus.* Et, ut refertur in vitâ S. Greg. Naz. Patris à Gregorio Presbytero conscriptâ, secessio similis contigerat Neocæsareæ: cum enim Gregor. Episc. Naz. animi simplicitate in eamdem fidei formulam à Constantio propositam cum plurimis aliis præstantissimi nominis Episcopis Dianæo, & aliis consensisset, eique subscripsisset, & grave ideò schisma in Nazianzenâ Ecclesiâ fuisset concitatum; filii Gregorii consilio fidem Nicænam apertè professus fuit, & omnes statim in concordiam rediêre. Undè patet diluendæ de fide suspicioni parem fuisse Nicænæ fidei professionem, seu iisdem verbis, seu aliis expressam: hanc autem vocabulo ὁμοούσιον contineri S. Basilius & alii censebant, ut mox exponendum erit.

De vocabulo ὁμοούσιον.

Post Concilium Nicænum extiterunt sententiæ, seu partes quatuor.

Arianorum erat prima, seu Anomæorum, quos Filium, creatum, & Patri æterno dissimilem, dicere palàm non pudebat. Ità profitebantur Aëtius à Leont. Antioch. Diaconus factus, Eunomius, Euzoïus, Uranius Tyri, Valens, Ursacius, Germinius, Auxentius, Demophilus, quemadmodùm refert Sozom. libro 4. cap. 12. & hæc erat Arii vera opinio, quam quidem exponere reformidarat.

Secunda erat aliorum, qui palàm Anomæorum blasphemiam profiteri non ausi, Imperatoris Constantii qui *dissimilis* vocem ferre non poterat, iram veriti, eâ tergiversatione usi sunt, ut similem esse docerent Patri Filium, non tamen substantiâ: suam autem mentem sic interpretabantur, ut, quemadmodùm vivorum hominum effigies ab hominibus naturâ substantiâque sunt diversæ, & externâ specie, ac lineamentis sunt tantùm similes, seu eos referunt; ità Patri æterno Filium esse similem, quòd eum pariter repræsentaret, profiterentur; non verò divinitate, vel æternitate,

vel unâ naturæ proprietate parem atque æqualem. Proindè consubstantiales & similis substantiæ voces tanquam peregrinas rejiciebant. Anomæos tamen anathemate quandòque damnabant, licet verbo tenus ab Anomæis dissiderent. Horum Princeps erat Acacius Cæsariensis. Ex Anomæis plerique partes illas amplectebantur, ut Georg. Alexand. Eudoxius Antiochenus, aliique complures, qui posteà simul cum Acacio Anomæorum doctrinam tam audacter Antiochiæ professi sunt, ut ex Ariminensi Seleuciensique formulis similitudinis vocabulum abraserint, filiumque substantiâ & voluntate Patri dissimilem esse, atque ex nihilo procreatum propugnarint. Ità Sozom. lib. 4. c. 29.

Tertia eorum erat, qui vocem ὁμόουσιον rejiciebant, quòd in Scripturis non contineretur; Filium tamen Patri per omnia similem esse substantiâ docebant, & se Nicæn Synodo adhærere constanter profitebantur. Princeps eorum erat Basilius Ancyr. qui Sirmiensi Synodo contra Photinum an. 351. præfuit. In eâdem sententiâ erant Georgius Laodicenus, Silvanus Tarsensis, Sophronius, Eleusius Cizicenus, Marcus Arethusius, Cyrillus Hierosol. Eusebius Samosat. Meletius Antioch. & major pars Episcoporum Orientalium.

Quarta pars erat formulæ Nicænæ addictorum, à quibus partibus stabant Romani Pontifices cum toto fermè Occidente. Stabant quoque Orientales plurimi, inter quos erant commendatissimi S. Athan. S. Basil. & Pontici, S. Greg. Naz. S. Greg. Niss. & plures alii.

Quæritur 1. num vox ὁμοιούσιον fidem Nicænam exprimeret? & an qui eâ uterentur, Nicenæ fidei adhærere se contestati, vocabulum licet ὁμοούσιον rejicerent, sint pro Caholicis habendi?

R. voce ὁμοιούσιον Nicenam fidem fuisse contentam, & significatam. 1. sic Ariani censuerunt. 2. sic sentire se professus fuit Basil. Ancyr. cum suis. 3. ea quoque fuit Nicenæ formulæ defensorum sententia. Ex quibus facilè conficietur Basilium Ancyr. & alios, tùm ab hæreticis, tùm à Catholicis fuisse Catholicos habitos.

1. Arii sectatorum mens elucescit maximè, quòd in 2. formulâ Sirmiensi utrumque vocabulum ὁμοούσιον, ὁμοιούσιον simili censurâ perstrinxerint, & à fidei professione amandarint, non aliâ de causâ, quàm quòd eamdem utriusque vim agnoscerent. Ideò pariter Valens, Ursatius, & alii Eusebiani in epist. ad Germinium relatâ in fragmentis S. Hilarii, ad fidei Ariminensis professionem Germinium hortantur, in quâ Filius Patri non in substantiâ, aut in omnibus, sed absolutè diceretur similis. Hanc quoque formulam non esse immutandam asserunt; alioquin Basilii Ancyr. professionem à se damnatam restitutum iri. Germinius autem in suâ responsione ad Ruffinianum profitetur Filium esse in omnibus Patri similem, & ex Patris substantiâ: mirarique se testificatur, quòd Valens, aut esset oblitus, aut simularet se oblitum, coram Constantio, & Episcopis pluribus Constantinopoli post longam conversationem tandem constitutum fuisse Patri Filium esse in omnibus similem.

2. Hæc etiam fuit sententia Basilii Ancyr. & Episcoporum cæterorum,

qui cùm eo Filium ejusdem esse cum Patre substantiæ contestabantur: improbato enim ὁμοούσιον vocabulo, ut obscuro, & à Patribus Antioch. damnato; vocem ὁμοιούσιον formulis suis inserebant, ut omni tollendæ difficultati aptiorem; & pro fide Nicænâ steterunt constanter; nec exiliis & persecutionibus aliis ab eâ fide dimoveri potuerunt. S. Hilarius lib. de Synod. refert à Basilio Ancyrano, & ab Episcopis Orientalibus quamplurimis Acacium & alios Arianæ factionis Episcopos in Synodo Seleuciensi fuisse abdicatos; fidemque Catholicam de eâdem Filii cum Patre substantiâ confirmatam; longè tamen alienos fuisse hos Episcopos ab admittendo ὁμοούσιον vocabulo.

Ex S Epiph. lib. 3. tom. 1. hæres. 73. Basil. Ancyr. cum aliis fuit professus Filium ejusdem esse cum Patre substantiæ; aliud sentientes anathemati subjecit, & damnavit verbum consubstantiale, quòd personæ unitatem inducere censeret. Post longam cum Eusebianis disceptationem, coram Constantio Imper. tandem conventum erat, ut Filius diceretur Patri similis in omnibus: cum autem Valens vocem hanc *in omnibus* addere nollet subscriptioni suæ, ad id ab Imperatore adactus est; & Basilius Ancyr. hæc verba *in omnibus* explicuit, aliquid etiam clarius addendo subscriptioni: *non in voluntate tantùm, sed in essentiâ & existentiâ, & in omnibus:* quæ verba omnem scrupulum eximunt. Cæterùm pro vindicandâ sincerâ illorum fide, gravissimi momenti est maximus ille zelus, quo insurrexerunt in Arianos, an. 358. in Ancyr. Syn. cont. secundam Sirmiensem formulam, an. 359 in Seleuciensi contra Acacianos; an 363 in Antiochen. sub Joviniano; an. 365. in Lampsaceno & Tyanensi; an. 381. in Conc. Constant. cui præfuit S. Meletius, admirandæ fidei & pietatis Episcopus. Adhæc adde ipsum S. Meletium, qui an. 363. præfuit Concilio Antioch. cui, teste Socrate lib. 3. hist. cap. 25. aderant viri eximiâ sanctitate præditi, ut Eusebius Samosatenus, & Pelagius Laodicensis, nomine Synodi ad Imp. Jovinianum fidei libellum scripsisse, in quo unanimi consensione profitentur Episcopi omnes Nicænæ fidei adhærere se, probandumque ὁμοούσιον verbum, sensu recto usurpatum. *Visum est*, inquit, *tuæ prudentiæ significare, quòd fidem sancti Concilii jam olim Nicææ congregati, & approbemus & teneamus; quandoquidem vocabulum consubstantialis, quod quibusdam videtur parum rectè in eâ positum, est probè à Patribus, commmodâque interpretatione explicatum; quæ quidem interpretatio ostendit Filium ex Patris substantiâ genitum, Patri secundum substantiam similem; ut neque affectionem ullam in ejus inexplicabili generatione debere intelligi, neque vocabulum substantiæ apud sanctos Patres ad consuetudinem græci sermonis capi; sed ab illis poni ad evertendum illud pestiferum dogma.* Iidem Episcopi (ut narrat ipse Socrates lib. 7. hist. cap. 11.) Nicænam fidem à se continuò fuisse servatam Liberio Papæ testificantur per legatos suos Eustathium Sebastenum, Sylvanum Tarsensem, & Theophilum Castabalæ, qui Romam fuerunt missi, tùm ut exponerent Arianorum factione mala inflicta; tùm ut cum Liberio Pontifice communicarent, & ad Valentinianum Imperat. defer-

rent epiſtolas. Attamen à communione ſuâ Epiſcopos illos repulit Liberius, utpotè quos pro Arianis haberet. Teſtantur legati ſe *Fidem eorum qui Filium Patri diſſimilem eſſe docent, jampridem rejeciſſe; Filium in omnibus Patri ſimilem confiteri, atque illam vocem ſimilem, nihil à voce conſubſtantiali diſcrepare.* Quâ fidei profeſſione auditâ, Liberius non modò eos communionis ſuæ fecit participes, uti teſtatur Socrates lib. 4. hiſt. cap. 12. ſed etiam ad Epiſcopos Orientales reſcripſit, ut ad fratres Catholicos. Titulus epiſtolæ hic eſt: *Dilectis fratribus, & comminiſtris Euſtathio, Cyrillo, & univerſis per Orientem orthodoxis Epiſcopis.* De illorum fidei cum Eccleſiâ ſuâ, & Occidente toto conſenſione gratulatur; & quòd fidem Nicænam fuerint amplexi. *Hoc inſuper*, inquit, *profeſſi ſunt chariſſimi fratres, Euſtathius, Sylvanus, ac Theophilus, tùm ipſos, tùm veſtram charitatem ſemper hanc fidem habuiſſe, & ad extremum uſque ſpiritum ſervaturos eſſe .... His acceptis litteris legati in Siciliam proficiſcuntur; ubi Concilio Siculorum Epiſcoporum convocato, coram illis ſimiliter fidem conſubſtantialis ſervare confitentur, fideique formulam in Concilio Nic. confirmatam ratam faciunt.* Sicque teſtibus, Liberio, Siculis, & Occidentalibus, cum Nic. Patribus illi ſentiebant.

3. Catholicam, ſeu Nicænam fidem Baſilium Ancyr. & alios qui ſtabant à Baſilii Ancyr. partibus, fuiſſe profeſſos, ejuſdem fidei vindices eruditiſſimi & conſtantiſſimi SS. Athan. Hilar. Baſil. & alii palàm ſunt teſtificati; nihilque miſſum fecerunt, ut eos ad concordiam adducerent; ſeu verbo ὁμοιούσιον vellent adhærere, ſeu nollent; & ipſos, ut cum Catholicis cæteris ὁμοούσιον uſurparent, inducere conati ſunt. S. Athan. lib. de Synod. Arim. & Seleuc. docet verba hæc, *ſimile ſecundum ſubſtantiam*, non tam apertè tradere Filii naturam, quàm hæc, *ex Patris eſſe ſubſtantiâ*; quòd nempè ſtannum argento ſimile judicetur, licet argenti ſubſtantiæ nihil obtineat: ità verò de Catholicâ Baſilii, & aliorum ſententiâ conſtituit. *Cæterùm, quoniam ex ſubſtantiâ Patris Filium eſſe dixère, & ſimilem Patri ſubſtantiâ; quid aliud iſtis innuunt, niſi eum conſubſtantialem eſſe? Etenim quemadmodùm, ſi ſolùm eum dicas ſimilem ſubſtantiâ, non planè indicas eum ex ſubſtantiâ eſſe; ità rursùm, qui conſubſtantialem eum dicit, utriuſque ſententiam complectitur, quam habet dictum ex ſubſtantiâ, & quam illud dictum, ſimilem ſubſtantiâ eſſe.*

Hæc etiam fuit mens S. Hil. qui l. de Syn. comparatione inter ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον inſtitutâ, utrumque vocabulum fidei exprimendæ aptiſſimum eſſe docet, ſimul & facilem eſſe poſſe utriuſq; abuſum: *Poteſt*, inquit, *una ſubſtantia impiè dici, & piè taceri. Habes nativitatem, habes ſimilitudinem. Quid verbi calumniam ſuſpicioſè tenemus, rei intelligentiâ non diſſidentes? credamus, & dicamus eſſe unam ſubſtantiam; ſed per naturæ proprietatem, non ad ſignificationem impiæ unionis; una ſit ex ſimilitudine, non ex ſolitudine. Sed forte parùm proprietatis in ſe habere ſimilitudo videatur.* Tùm probationes ſubjungit, quibus conſtat aptiſſimam illam eſſe vocem ὁμοιούσιον, quòd nonniſi ſimilitudinis ratio inter duas res æquales intercedat. Oſtendit etiam idem eſſe, & eſſe ſimile, aut eſſe æquale: item æqualitatem

non occurrere inter duo dissimilia, nec in unico similitudinem : sicque in omnibus similem Patri Filium asserere solidis fundamentis, esse æqualitatem fulcire : *Nec me fallit, Fratres charissimi, quosdam esse, qui similitudinem confitentes, negant æqualitatem: sed quæro undè comparetur inæqualitas? Namque si secundum essentiam, & virtutem, & gloriam, & tempus, Patri Filius similis est: interrogo ex quo non videatur æqualitas? Ità similitudo proprietas est, proprietas æqualitas est, & æqualitas nihil differt: quæ autem nihil differunt, unum sunt: non unione personæ, sed æqualitate naturæ.* Ubi verò eadem Patri & Filio competere attributa demonstravit, in substantiæ unitate agnoscendâ fidem esse sitam docet; & Episcopos, qui vocabulo ὁμοιούσιον utebantur, pro Catholicis & Fratribus excipit, & utrumque vocabulum, & ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον expositionem indigere ostendit verbis istis paulò superius citatis : *ut probari possit ὁμοιούσιον non improbemus ὁμοούσιον &c.*

Concilii Parisiensis par quoque fuit sententia in epist. ad Episcopos Orientales, in quâ Patres Gallicani de suppresso Arimini substantiæ nomine conquesti, se vocabulum, *simile*, nunquàm improbasse profitentur; modò non pro divinitatis unione, sed unitate sumeretur.

Eadem fuit quoque S. Basilii sententia in epist. 41. ubi docet vocabulis ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον idem significari, modò recto sensu adhibeatur ὁμοιούσιον & substantiæ mutationem non inferat, denotetque lumen de lumine, Deum de Deo; cum nullum discrimen intersit lumen inter, & lumen : sic enim ipse loquitur : *si verò quis ab ὁμοίου similis significatione, ἀπαραλλάκτως, non Evarians, abstulerit, quod Constantinopolitani fecerunt, suspectam habeo dictionem illam; utpotè quæ gloriam unigeniti diminuat.* Idem in epist. 300. dicit eos esse excusandos qui vocem ὁμοούσιον à quibusdam reprehensam, habebant suspectam, quòd damnata in Antiocheno fuisset; modò tamen aliis vocibus fidem Nicænam exprimerent ut verbo ὁμοιούσιον. Audiendus est autem hoc in negotio præcipuè S. Basilius, qui suo tempore, etiam S. Athanasio teste, inter Episcopos erat ornamentum Ecclesiæ eximium; & præsertim cum ex S. Gregor. Niss. ipsius fratre, constantiâ præstantissimâ Valentis præfecto restituerit, ne tolleretur verbum ὁμοούσιον, consensissent licet quamplurimi Episcopi : *At verò tantùm abesse aiebat ut aliquid vel demeret vel adderet fidei, ut ne ordinem quidem formulæ fidei mutare cogitaret.*

4. Hinc facilè colligitur pro Catholicis habitos fuisse; & esse habendos Basil. Ancyr. SS. Meletium. Antio. Euseb. Samosat. Pelagium Laodi. Cyril. Hierosl. & alios qui Verbum ὁμοιούσιον adhibebant : & ideò cum illis non esse agendum ut cum Arianis monet S. Athan. lib. de Synodis Arim. & Seleuc. cum omnia Nicænæ Syn. scripta reciperent, & de solo Consubstantialis vocabulo ambigerent; sed tanquam cum fratribus; quia cum iis esset de solis verbis controversia : *Cæterùm*, inquit, *adversus eos, qui ex omni parte Synodum convitiis carpunt, ista pauca ad refutationem suffecerint : adversus autem eos, qui omnia Synodi scripta recipiunt, de solo autem Consubstantiali ambigunt, non ut adversus inimicos affici nos decet;*

neque enim veluti adversus Ariomanitas, aut adversus patrum hostes cum fratribus disceptamus; ut cum quibus eadem sit sententia, controversia autem de verbis. Nam cum profiteantur Filium ex Patris substantiâ, & non ex aliâ subsistentiâ esse; nec creaturam eum, nec opus existere, sed genuinum & naturalem Patris fœtum, & æternaliter cum Patre esse, cum ejus & ratio & sapientia sit; non longè absunt à recipiendâ hâc voce consubstantialis. Talis autem est Basil. ex Ancyrâ in scriptis suis de fide.

S. Hilarius lib. de Syn. pariter eos vocat, scilicet Basil. Ancy. Eleus. Cyzic. &c. sanctos, viros acerrimos fidei contrà hæreticos defensores, & apostolicæ doctrinæ studiosos. Item ait eos non esse Arianos; sed, negando homoousion, censeri pro Arianis; de verbis tamen esse quæstionem: *Reliquus*, inquit, *mihi sermo ad sanctos viros Orientales Episcopos dirigendus est, ut, quia jam de fide nostrâ nihil inter nos suspicionis relictum est, ea quæ adhuc in suspicionem ex verbis veniunt, purgentur: & dabunt veniam ex communi scientiæ fide secum liberiùs locuturo. O studiosi tandem Apostolicæ atque Evangelicæ doctrinæ viri, quos fidei calor in tantis tenebris hæreticæ noctis accendit; quantam spem revocandæ veræ fidei attulistis, constanter audacis perfidiæ impetum retundendo . . . . Testis enim Dominus est conscientiæ meæ in nullo me expositiones has, quas in Syrmium detulistis fidei vestræ velle convellere.*

Ad vindicandam Episcoporum illorum sententiam Catholicam confert admodùm; tùm communicatio, quâ viris sanctissimis conjuncti erant illi Episcopi, ut S. Meletius cum S. Basilio, Greg. Naz. & aliis; tùm & sanctitas eorum eximia, quæ universæ Ecclesiæ venerationi summæ est, ut SS. Meletii, Eusebii, Samosateni Pelagii Laodicæni, & Cyrilli Hierosol.

Meritò igitur Conc. Alex. præside S. Ath. epist. ad Imp. Jovinianum à Theodoreto relatâ lib. 4. Hist. cap. 3. fidem Nicænam esse solam sectandam constituit, utpotè ab Ecclesiæ primordio predicatam, cui Ecclesiæ omnes, quæ ibi nominantur, assentirentur, *exceptis paucis, quæ secta favent Arianæ; nam istarum omnium reipsâ exploratè cognitam habemus sententiam.* Inter eas autem Ecclesias pleræque verbum ὁμοούσιον probabant: ejusmodi erant Orientis Ecclesiæ & Ecclesiarum illarum Episcopi, de quibus mox actum est. Undè colligere est Catholicè sensisse, quos S. Ath. pro Catholicis habebat cum Concilio Alexand. & quo tempore Imperator Catholicus regnabat

Hinc meritò Socrates lib. 1. cap. 18. scribit disputationes de iis vocibus inter catholicè sentientes à pugnâ nocturnâ non discrepasse; quòd non sese mutuò intelligerent: *Verum, sicut nos ex variis epistolis, quas post Concilium Episcopi alter ad alterum scripserunt, perspicuè deprehendimus, verbum consubstantiale nonullorum animos vehementer conturbavit; in quo quidem excutiendo dum multum temporis ac studii consumebant, ejusque vim tanquàm ad vivum expendere curiose nimium moliebantur, intestinum bellum inter ipsos excitarunt: atque ea quæ gerebantur, nihil à pugnâ nocturnâ discreparunt: nam minimè omninò ab se mutuò videbatur intelligi, cur se inter ipsos maledictis concidere occæ-*

pissent. Etenim qui vocem, Consubstantiale, repudiabant, illos, qui eamdem receperant, Sabellii & Montani opinionem de integro introducere censuerunt, & ob eam causam eos blasphematores nuncuparunt, tanquam Filii Dei essentiam tollere molientes. Idem quoque sensisse utriusque vocabuli defensores tradunt Sozom. lib. 3. c. 12. S. Cyrill. Alex. in dial. 1. de Trinit. & Facundus Hermianensis lib. 2. cap. 6.

Opp. ὁμοιούσιον idoneum non fuit ad exprimendam fidem; cum, qui uterentur illo, & vocem ὁμοούσιον rejicerent, pro hæreticis habiti fuerint.

R. pro hæreticis non fuisse habendos, nec habitos, qui catholico animo, vocabulo illo Patris, & Filii, & Spiritûs sancti substantiæ unitatem, & ità fidem Nicenam exprimi censuerunt; quales erant Baś. Ancyr. Georg. Laodicenus, Marcus Arerusius, S. Cyrill. Hierosſ. S. Melet. Antioch. & alii Orientales: & ideò qui ὁμοιούσιον utebantur, de verbis solis quæstionem cum illis Episcopis moveri temporibus illis palàm significarunt, ut SS. Ath. Hilar. Baś. Liberius Pontifex, & Gallicani Episcopi jam laudati. Fuisse quidem monent in Oriente non paucos Episcopos Arianæ hæreseos participes, qui cum Acacio Cæsar. Filium, non quoad substantiam, sed quoad qualitates quasdam esse Patri similem asserebant; sed istos in Seleuciensi Concilio damnarunt Baś. Ancyr. & Episcopi, qui cum eo sentiebant, & loquebantur. Igitur qui verbum ὁμοιούσιον probarunt, aut rejecerunt, ità definiunt, ut fidem catholicam exprimant, aut rejiciant: si primum intendant exequi, inter Catholicos recenseantur: si posterius aggrediantur, ab Ecclesiæ unitate cum cæteris hæreticis repellantur.

Illi quidem, hæretici, aut Semiariani à quibusdam dicti fuerunt, qui ὁμοιούσιον uterentur; sed si consulantur qui sic disserunt, Verbum Divinum inter creatas res voce illâ deprimi censuerunt; ex quibus fuit Sulpitius Severus. *Intereà*, inquit lib. 2. hist. *Ariani non occultè, ut anteà, sed palàm ac publicè hæresis piacula prædicabant: quin etiam Nicænam Synod. pro se interpretantes, quam unius litteræ adjectione corruperant, caliginem quamdam injecerant veritati: nam ubi* ὁμοούσιον *erat scriptum, quod unius est substantiæ; illi* ὁμοιούσιον, *quod est similis substantiæ, scriptum esse dicebant; concedentes similitudinem, dum adimerent unitatem; quia multum ab unitate similitudo distaret, ut, verbi gratiâ, pictura humani corporis esset homini similis, nec tamen haberet hominis veritatem.* Sic pariter Philastrius Brixiensis Episcopus in suo de hæresibus libro, Semiarianos docet esse, qui Filium Deum esse profitentes, unum cum Patre, Spiritum sanctum rebus creatis annumerarent.

Inst. SS. Athan. & Hil. vocabulum ὁμοιούσιον damnant; quòd similitudo, de qualitatibus, & figuris, & per participationem; non verò de substantiis, significet; & proindè solis rebus creatis conveniat. Ità uterque in lib. de Syn. & S. Ath. iterùm tom. 1. in confutatione hypocrisis Meletii Antioch. *Qui similem*, inquit, *Deo Filium statuit, Deum esse negat*: & ideò à Meletii communione semper abstinuit. Item S. Ambr. lib. de divinitate Filii cap. 2. ait negari divinitatem Filii hoc

vocabulo, & induci duplicem naturam, aliam Patris, aliam Filii: *Homo enim ad similitudinem Dei factus est; nec tamen Deus est.*

R. vocabulum quidem illud ὁμοιούσιον expositum physicè, similitudinem tantùm ratione qualitatum significare; sed alio sensu, & quidem recto & catholico, à Bas. Ancyr. & à suprà laudatis Episcopis fuisse usurpatum, ex ipsorum SS. Athan. Hilar. Bas. Liberii, & Gallic. Episcoporum testificatione.

Quod spectat ad librum inscriptum, *confutatio hypocrisis Meletii*; is non est S. Athan utporè cum prorsùs adversetur ejus doctrinæ. Author illius videtur fuisse Paulini Antioch. sectator quidam. Cæterùm S. Athan. mediatâ saltem cum S. Meletio communione jungebatur; communicabat enim cum S. Basilio, & aliis qui cum S. Meletio communicabant. Et insuper se ab ejus communione non posse discedere testatus fuit S. Bas. epist. 325. Et in aliud tempus communionem etiam immediatam cum S. Meletio habendam distulisse S. Athan. refert; non quòd de S. Meletii fide dubium pateretur ipse S. Athanasius; sed ne læderet Eustathianos, qui Eustathii Episcopi Antioch. deturbationem Eusebianâ factione iniquè peractam detestati, seorsim cum Episcopis suis conveniebant, nec adduci potuerant, ut cum S. Meletio Episcopo Catholico communicarent; licet ejus electioni viri admodùm Catholici, nempè S. Greg. Naz. pater, S. Eusebius Samos. & alii consensissent; ipseque S. Melet. Catholicam fidem coram Constantio Imperatore, in Ecclesiâ Antioch. & in concione publicâ fuisset professus, & pro veræ fidei defensione sustinuisset exilium. Ideò autem à S. Meletio Catholici plures Antiochiæ recedebant, quòd Melet. ab Arianis promotus diceretur; & proindè illorum esse particeps videretur. Interim Eustathianos in unitatem cum Meletianis adducere S. Athan. meditabatur; &, ne illorum animos offenderet, communicationem suam cum S. Meletio in tempus opportunius differebat.

S. Ambr. pravo, non recto sensu usurpatum ὁμοιούσιον vocabulum improbavit, præsertim quòd ejus temporibus post Conc. Const. 1. an. 381. universim fuerat illud rejectum, aut saltem in fidei formulis non adhibebatur, & de solo ὁμοούσιον usurpando universi convenerant.

Inst. 2. S. Hieron. in Chronico asserit Meletium an. 363. cum suis in Conc. Antioch. ὁμοούσιον rejecisse, nomenque instituisse ὁμοιούσιον, ut medium dogma, nempè Macedonianum vindicaret.

R. S. Hieron hoc in negotio non esse audiendum, ut qui S. Meletio fuerit infensus, & à S. Paulino Antioch. S. Meletii æmulo consecratus Presbyter. Aliundè quæ profert in Chronico, S. Meletii famæ, & veræ fidei non nocent; ea enim non certò tradit, sed rumori qui spargeretur, tribuit. Et certè, si Antioch. Concilii acta S. Hieron. præ manibus habuisset, aut consulere potuisset proculdubiò; quod opponitur, non deprehendisset. Vulgabatur quippè vocabulum ὁμοούσιον fuisse rejectum in Concilio Antioch. cui præerat S. Meletius, & constitutum fuisse dogma Macedonianum; quæ tamen penitùs erant supposita; cum in illo Conc.

Conc. de quo loquitur, Nicæna formula fuisset lecta & recepta; & proindè verbum ὁμοούσιον probatum. Equidem anteà non utebatur eâ voce S. Meletius; sed alienus omninò erat à Macedonii doctrinâ. Ann. 364. subsequenti, ejus & Orientalium Episcoporum nomine legati Liberium & Occidentales adierunt, omnemque suæ fidei suspicionem Liberio & Occidentalibus exemerunt. Quin etiam Concilio Constantinop. adversus Macedonii dogma præfuit idem S. Meletius, cujus & catholicum animum tantoperè commendat S. Bas. in epist. 50. ad S. Athan. aitque neminem fide, moribusque S. Meletio posse comparari. Lege tùm epist. 320. ad Petrum Alex. S. Athanasii successorem; tùm & epist. 325. ad S. Epiphan. ubi testatur se ab ejus communione nunquàm discessurum. Prætereà S. Epiph. hær. 73. S. Meletium, ut virum pietatis admirandæ & fidei integræ vindicat. Sed quid adjici posset iis, quæ ad ejus commendationem profert S. Greg. Niss. in orat. ejus funebri habitâ coram Patribus omnibus Concilii Constant. 1. an. 381. in quo decessit? Ubi eum novum Apostolum vocat, Ecclesiæ vulnerum medicum, Ecclesiæ caput, aut Concilii præsulem: *Cum capite*, inquit, *omnia adempta sunt*. Vir divinus, mansuetissimus hominum, ac alter Moyses suo tempore dicebatur; dignusque fuit, dum viveret, quem veneratione singulari, & publicâ religiosissimus Imperator Theodosius Magnus complecteretur.

INST. 3. ex Socrate lib. 4. cap. 11. legati Orientalium Liberio Papæ testati fuerunt se fidem eorum jam pridem rejecisse, qui Filium Patri dissimilem dicerent: illis ergò aliquandò adhæserunt.

R. non sequi illos iis adhæsisse; nam ab Arianis semper abhorruerant: sic quippè Liberium alloquuntur, apud quem audierant ut hæretici: & Liberius in suo responso refert eos contestatos fuisse, se cum Episcopis, à quibus missi fuerant, fidei Nicenæ semper adhæsisse, & semper adhæsuros

INST. 4. S. Bas. epist. 82. asserit legatos Liberio significasse, fuisse se ab Eudoxio delusos; & ideò Romam accessisse, ut Patrum fidem acciperent.

R. de Eustathio Sebasteno, & similibus tantùm aliis versipellibus hominibus hæc habere S. Basil. neque enim existimabat pravè sensisse legatos omnes, qui ad Liberium missi fuerunt; nec Orientales, à quibus legationem acceperant: in eâdem enim epist. laudat, ut beatum virum, Silvanum Episcopum Tarsensem, qui è numero legatorum erat. Sed jam exscripsimus quæ de Meletio & aliis Episcopis, qui pro ὁμοούσιον stabant, censeret ipse S. Basilius.

Non est quòd immoremur in confutandâ eorum sententiâ, qui SS. Athan. Hil. Bas. & alios, in vocis ὁμοιούσιον interpretatione prudenter œconomiâ fuisse usos asserere non dubitant, tùm ut suis partibus adjunctis eâ ratione Basilio Ancyr. & aliis, amplificarentur; tùm ut sibi consulerent, catholicè sentientium aucto sic numero; undè fieret ut de illis deturbandis Concilia non haberent Ariani. Etenim hanc in sententiam descendet nunquàm, qui noverit quâ constantiâ SS. Athan. Hilar. &

Basil. Christi partes propugnarint; quot periculis omnium gravissimis capita objecerint, ne vel leviter, aut Arii communione, aut verborum novitate & mutatione, fides læderetur. Adeò non pro Episcopatu servando laborabant, etiam in medium adductis vocabulorum expositionibus detortis, ut obtulerit S. Athanasius Arianis se prompto animo à suâ sede recessurum, si Nicænæ fidei vellent subscribere. Ad res suas promovendas alia & facilior occurrebat via; sed viris tam eximiis unica salus, & Dei gloria erat sollicitudini.

ARTICULUS SECUNDUS.

De vocabulis Personâ hypostasi, subsistentiâ, & existentiâ relativa, & absolutâ.

QUod hic de personâ, idem de subsistentiâ, aut hypostasi dictum volumus. 2. & 3. seculis in usu fuit personæ nomen, ut quo frequenter Tert. utatur lib. cont. Prax. Facundus Hermianensis lib 1. in usum prædicationis personæ nomen tunc fuisse sumptum observat, cum Ecclesiam Sabellius impugnaret. Illud nomen adhibuerunt, qui subsecuti sunt SS. Patres & Concilia, ut monet S. Aug. lib. 5. de Trin. cap. 9. & lib. 7. cap. 4. *itaque loquendi causâ de ineffabilibus, ut fari aliquo modo possemus, quod effari nullomodò possumus, dictum est à nostris græcis una essentia, tres substantiæ: à Latinis autem, una essentia vel substantia, tres personæ; quia, sicut jam diximus, non aliter in sermone nostro, id est Latino, essentia quàm substantia solet intelligi.* Quamquam & nos, sicut dicimus in Deo tres personas, itâ & tres substantias, cum hoc addito, individuas, & unam substantiam communem, quæ est essentia, dicere possumus.

Verbum hypostasis variè intellectum gravibus dissidiis locum dedit. Quandoque enim pro naturâ usurpabatur ex S. Ath. orat. 5. ubi sic loquitur: *Una est essentia & hypostasis quæ dicit: ego sum qui sum; & non duplex, ne duo sint principia.*

Ex S. Hil. lib. de Syn. nomen substantiæ pro personâ familiari erat in usu, & Synonima erant vocabula hypostasis, & substantia. S. verò Epiph. lib. 3. tom. 1. docet per hypostasim ab Orientalibus personarum proprietates subsistentes, existentesque declarari. In collatione cum Severianis an. 533. habitâ conveniunt Catholici, veteres, maximè Romanos, pro substantiâ & naturâ, subsistentiam; Orientales autem, pro personâ subsistentiam; & pro naturâ hypostasim nuncupasse. Utriusque linguæ peritus S. Athanasius indè natam æquivocationem sustulit Concilii Alex. an. 363. cui præerat, authoritate. In epist. Synodicâ cui subscripsit Paulinus Antioch. Episc. monet & hortatur Episcopos qui tunc Antiochiæ versabantur, ut singulos sive qui unam, sive qui tres hypostases agnoscerent, ad pacem adducerent, solius Nicænæ Syn. postulatâ professione & ne vel levis superesset scrupulus, addit, diligenter à se habitâ inquisitione in hypostasis unius,

aut ternæ usurpatione, nihil à fide alienum se deprehendisse.

Qr. quæ fuerit inter SS. Meletium, & Paulinum Antiochiæ Episcopos de unâ vel triplici in Sanctissimâ Trin. admittendâ hypostasi contentio? Et num ad fidem pertinuerit? Priusquàm, quid de hâc quæstione sit sentiendum, exponam; Ecclesiæ Antiochenæ status paucis videtur explicandus, ne Theologorum animi, auditis Antioch. Episcoporum Catholicorum simul contra Canones plurium nominibus, nonnihil molestiæ patiantur. Audient præter duos istos Catholicè sentientes extitisse alios duos, Euzoium scilicet factioni Arianæ præfectum, & Apollinistarum ducem, aliàs S. Meletii Presbyterum, Vitalem. Intereà Eudoxio Ariano Constantinopolim Imperatoris Constantii authoritate an.361. translato; de S.Meletio Sebastiâ pariter transferendo Antiochiam convenere, tùm Episcopi Catholici, qui Meletii Catholicum animum & pietatem insignem noverant; tùm & factionis Arianæ Episcopi, qui Meletium secum sentire censebant.

Tunc autem Eustathiani, qui à temporibus S. Eustathii Antiochiæ Episcopi ab Arianis in quodam conventu Antiocheno impiè penitùs depositi, & jam à pluribus annis demortui, seorsim convenerant, Episcoporum Arianorum Antiochiæ sedentium communionem exosi, ad S. Meletii, quem Arianorum factione institutum suspicabantur, communionem adduci non potuerunt. Coram ipso Constantio, & universâ Antioc. Ecclesiâ Episcopisque astantibus, in concione publicâ fidem Catholicam professus S. Meletius, in exilium ab Imp. fuit amandatus, & in ejus locum suffectus Euzoius. Quocircà advenit, ut Arianæ partis viri seorsim; Eusthatii discipuli seorsim pariter; & Meletiani seorsim quoque conventus celebrarent. Sicque tres in partes divisæ fuere in urbe Antiochenâ Christiani. Pars etiam quarta postmodùm ex Apollinaristis coaluit, & Vitalem Episcopum fuit sortita: Et sic Episcopi Antiocheni nomen, tùm Meletius Catholicus, tùm Euzoïus Arianus, tùm Vitalis Apollinarista sibi vindicabant, solâ Eustathianorum parte Episcopo destitutâ. Posteà Constantio Imper. mortuo, & Juliani jussu ex exilio revocatis Episcopis, Lucifer Calaritanus à Concilio Alex. Antiochiam ad Eustathianos cum Meletianis conciliandos missus, zelo nimiùm præcipiti, non expectato S. Meletii reditu, Paulinum pietatis singularis Presbyterum Eustathianum creatum Anthiochenum Episcopum; in hunc ratus consensuros Catholicos omnes, nec S. Meletii sanctitatis, aut ejus pro fide laborum & molestiarum rationem esse habituros. Sed alius fuit Catholicorum affectus, qui exulem. S.Meletium, confessorem eximium, debitâ veneratione fuerunt prosecuti; nec adhæserunt S. Paulino. Tunc autem, ex S. Basil. epist. 349. inter Paulinum & Meletium fuit excitata contentio: in Deo unam, & singularem hypostasim S. Paulinus profitebatur; S. verò Meletius tres. Hanc quæstionem gravis momenti ducit S. Bas. & eos qui unam tantùm in Deo hypostasim agnoscerent, Sabellianismi non dubitat incusare. Eò usque contentionis æstus exarserat, ut se mutuò velut hæreticos exagitarent, licet de fide Nicænâ convenirent. Hanc deplorat calamitatem, & explicat S. Greg. Naz. Idem dissidium exscribit, „ lib. 1. Hist. cap. 19. Ruffinus. Cæterùm de Verbis solis fuisse motam litem, „

mox ex S. Ath. & ex Syn. Alex. retulimus; nec tamen sopita fuit contentio. Nam postmodùm illius quæstionis occasione, unius ab istis, vel trium hypostaseon ab aliis professio exigebatur, sicut refert S. Hier. in epist. ad Damasum Papam, ubi ait, *non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum.* Adjicit à se homine Romano novellum nomen exigi ab Apostolis non traditum, *interrogamus, quid per tres hypostases posse arbitrentur intelligi: tres personas subsistentes aiunt: respondemus nos ità credere. Non sufficit sensus, ipsum nomen efflagitant; quia nescio quid veneni in syllabis latet: clamamus, si quis tres hypostases, aut tria enypostata, hoc est, tres subsistentes personas non confitetur, anathema sit: & quia vocabula non ediscimus, hæretici judicamur. Si quis autem hypostasim aliam intelligens, non in tribus personis unam hypostasim dicit, alienus à Christo est.* Addit apud totam humaniorum litterarum scholam nihil aliud hypostasim significare, quàm οὐσίαν; aitque tres substantias prædicare, sacrilegorum esse; cum sola Dei natura verè sit, & subsistat; & quæ creata sunt, propriè non sint; cum aliquandò non fuerint. *Sufficiat nobis dicere unam substantiam, tres personas subsistentes, perfectas, æquales, coæternas. Taceantur tres hypostases, si placet, & una teneatur. Non bonæ suspicionis est, cum in eodem sensu verba dissentiant. Sufficiat nobis memorata credulitas: aut, si rectum putatis tres hypostases cum suis interpretationibus debere nos dicere, non negamus: sed, mihi credite, venenum sub melle latet.* Quam fidei professionem perstringit S. Hieron. præsertim quòd exigeretur; eam exegit S. Epiph. à S. Paulino; nec aliâ lege ad communionem eum admisit ex S. Basil. epist. 325. ad S. Epiph. quàm cum tres hypostases admittere se professus est. Eam Paulini Antioch. professionem describit S. Epiph. hær. 77. Extat tamen in Concilio Ephes. Acacii Beroënsis epistola ad S. Cyrill. quæ est 15. inter S. Cyrilli epist. in quâ scribit Paulinum tres hypostases noluisse proferre: sed hæc altercatio erat tantùm de vocibus, quas ille, vel iste admittere renuebat, ut habet S. Gregor. Naz. in orat. funebri S. Athan. *Nam cum οὐσία, sive substantia una, & hypostases tres à nobis piè dicerentur (quòd alterum divinitatis naturam, alterum personarum trium proprietates declaret) atque eodem quidem modo apud Romanos intelligerentur: cæterùm ob linguæ illius angustiam & verborum, hypostasim ab οὐσία distinguere non possent, eoque factum esset, ut pro eâ, ne tres substantiæ admittere viderentur, personarum vocabulum inducerent: Quid tandem contigit? res profectò ridicula, vel potius miseranda. Diversæ fidei speciem præbuit levis & jejuna de vocum sono altercatio: hîc deinde & Sabellianismus ob tres personas excogitatus est, & Arianismus ob tres hypostases; quorum utrumque pertinax contendendi studium effinxerat.* Sic posteà, licet inter se de fide convenirent Orientales & Occidentales; Orientales tamen Occidentalibus Ariani esse videbantur, quòd tres substantias in Deo esse profiterentur: & pariter Orientalibus Occidentales Episcopi favere Sabellio censebantur, quòd unam in Trinitate substantiam dicerent.

Quæritur 2. in quibus sita sit ratio personæ.

R. cum SS. Patribus jam laudatis personam significare quod singulare est: vulgò autem definitur *rationalis naturæ individua substantia*: dicitur *individua*, ut designetur substantia per se subsistens, seu quæ apta non est existere per aliud suppositum: undè ab hac definitione excluduntur accidentia, & partes totius: item & hâc ratione ità contrahitur substantia, ut aliis suppositis communicari non possit. Natura ibi sumitur pro essentiâ, quæ quidem communicari potest. Additur *rationalis naturæ*, id est intellectualis. Et sic ad rationem personæ quinque requiruntur, nimirùm ut sit substantia, intellectualis, completa, per se subsistens, & incommunicabis. Personæ autem nomen, in divinis, relationem significat, ut subsistentem; seu essentiam divinam, quatenùs habet relationem conjunctam; & proindè nomen personæ concretum est.

Traditæ à S. Aug. regulæ lib. 5. cap. 8. de Trin. est inhærendum; nempè quidquid in Deo ad se dicitur, substantialiter dicitur: quod autem ad aliquid; non substantialiter, sed relativè dicitur: undè quidquid ad se de personis divinis dicitur; non pluraliter, sed singulariter accipitur: hinc dicitur magnus Pater &c. non tamen dicuntur tres magni; & proindè, si persona esset quid absolutum, Pater, & Filius dicerentur una persona. Ità S. Baf. epist. 43. ad S. Greg. Niss. hypostasis sensum definit, ut aliquid singulare exprimat: undè in recto proprietates relativas significat persona; in obliquo verò essentiam divinam: quod etiam ipse S. Baf. docet lib. 2. cont. Eunom. S. Aug. epist. 66. ad Maximum, ità confutat Arianos, qui diversæ naturæ Patrem & Filium esse probabant; quòd iste, Pater esset; & ille, Filius: *Quis enim non videat ista vocabula non in se ipsis demonstrare naturas; sed alterius ad alterum significare personas? Tale est etiam illud, quod simili loquuntur errore, ideò Filium alterius esse naturæ, diversæque substantiæ; quia Pater Deus non est de altero Deo: Filius autem Deus est quidem, sed de Patre Deo: & hic non indicatur substantia, sed origo; idest non quid sit, sed undè sit quisque, vel non sit.* Etenim si Pater, Pater esset, quà essentiam habet; cum essentia nihil aliud sit, quàm ipse Deus, Pater esset, quatenùs Deus est; & illi idem esset Patrem esse, quod Deum esse: quod dictu nefas est. Sic etiam habet Toletana Synod. 14. his verbis: *Quòd enim Pater est, non ad se, sed ad Filium est; & quòd Filius est, non ad se, sed ad Patrem est. Similiter & Spiritus sanctus non ad se, sed ad Patrem, & Filium relativè refertur; in eo quòd Spiritus Patris & Filii prædicatur.* Et verò cum constet nihil in Deo absolutum esse, quod tribus personis non æquè conveniat; indè colligitur per id solum, quod est proprium, & tribus non commune, constitui quamlibet personam, uti docent SS. Athan. orat. 2. Hilar. 12. de Trin. Baf. epist. 349. SS. Greg. Naz. orat. 23. & Niss. lib. 1. cont. Eunom. Bernard. epist. 170. seu tractatu de erroribus Petri Abailardi cap. 3. & Conc. Later. 4. adversus Joachimum Abbatem cap. 2.

Nec indè sequitur relatione solâ constitui personam; & cum generatur

Filius Divinus, generari filiationem solam: generatur enim ea persona quæ est Filius, ex essentiâ divinâ & proprietate, seu filiatione constitutus. Cum verò sapientia gigni dicitur, de termino completo est sermo, seu de Filio, qui sapientia est. Lateran. etiam Synodus definiit contra Joachimum essentiam, aut divinitatem, in abstracto sumptam, non generare.

Opp. 1. ex S. Aug. cap. 6. lib. 7. de Trin. personam ad se dici, non ad alterum; quod idem est ac secundum essentiam dici, non secundum relationem: *Quid ergò? num placet, ut dicamus Patrem personam esse Filii, & Spiritûs sancti; aut Filium personam eße Patris, & Spiritûs sancti; aut Spiritum sanctum personam esse Patris, & Filii? Sed neque persona ità dici alicubi solet; neque in hac Trinitate, cum dicimus personam Patris, aliud dicimus, quàm substantiam Patris. Quocircà, ut substantia Patris ipse Pater est, non quo Pater est, sed quo est; ità & persona Patris non aliud quàm ipse Pater est: ad se quippè dicitur persona, non ad Filium, vel Spiritum sanctum: sicut ad se dicitur Deus, & magnus, & bonus, & justus, & si quid aliud hujusmodi: & quemadmodùm hoc illi est esse, quod Deum eße, quod magnum, quod bonum esse; ità hoc illi est eße, quod personam esse.* Addit etiam cap. 4. loquendi consuetudine, & disputandi necessitate factum, ut tres personas potiùs diceremus, quàm unam.

R. cum eodem S. Aug. personam ad se dici in obliquo, non in recto: Nihil enim aliud persona dicit in recto, quàm proprietatem, quâ constituitur in esse personæ: Et ut videre est, personæ nomen latè hoc in loco usurpat S. Aug.

Inst. Relationes divinæ supponunt personas jam constitutas: omnis enim relatio supponit extrema realiter distincta: nulla autem in divinis est distinctio, nisi inter personas. Ergo relationes divinæ non constituunt personas.

R. Relationem omnem supponere extrema distincta, vel facere: Prioris generis sunt creatæ relationes; posterioris verò increatæ. Et sanè, Pater, vel Pater est, quà essentiam habet divinam; vel quâ habet paternitatem At Pater non est, quâ Deus; alioquin aut Filius esset Pater, aut non esset Deus: Ergò Pater est, quà habet Paternitatem; & proindè personæ divinæ non constituuntur in esse personæ per naturam divinam, quæ ipsis communis est; sed per proprietates personales, seu per relationes. Undè persona divinâ constituitur ex proprietate personali in recto & ex essentiâ divina in obliquo.

Quæritur 3. an detur in Deo subsistentia absoluta?

R. Non dari in Deo subsistentiam absolutam. Nam 1. sunt tantùm tres personæ: At essent quatuor, si subsistentia daretur absoluta: quia tàm per subsistentiam absolutam constitueretur persona, quàm per tres relativas. 2. Ex Conc. Ephesino. *Siquis in Christo hypostases dividat, Anathema sit.* At datâ hypostasi absolutâ, posset in Christo duplex admitti hypostasis. 3. In Concil. Const. 3. definitur deitatem in tribus subsistentiis subsistere,

non in quatuor: Et in Imp. Justini confessione habetur, unam esse in Christo subsistentiam. 4. subsistentia naturam ultimò complet: At naturâ divinâ non completur ultimò per subsistentiam absolutam; cum per relationes ulteriùs compleatur. Denique inutilis est ejusmodi subsistentia; ideòque penitùs est rejicienda tanquam aliquid in Deo distinctum.

OPP. Ex S. Aug. lib. 7. de Trin. cap. 4. *omnis res ad se ipsam subsistit, quantò magis Deus?*

R. S. Aug. non loqui de subsistentiâ, prout hypostasim significat; sed tantùm prout designat substantiam, aut esse divinum substantiale, non verò personam: dixerat enim anteà, quòd, quemadmodum essentia dicitur ad esse, ità & à subsistere, substantia.

INST. 1. ex Agathone Papâ, & Syn. Rom. in epist. quæ habetur in 6. Syn. actione 4. *Confitemur trium subsistentiarum unam subsistentiam.* Unica ergò est subsistentia trium personarum, quæ nonnisi absoluta esse potest.

R. nomine unius subsistentiæ, substantiam seu naturam divinam intelligi: Eo sensu quandòque id occurrit apud antiquos quosdam, qui duas subsistentias Christo, idest, duas naturas inesse scribunt. Præterea græcè habetur in Agathonis epist. trium ὑποστάσεων unam οὐσίαν seu naturam.

INST. 2. Non potest Deus concipi, quin concipiatur subsistens per se, aut ens absolutum; præsertim cum subsistentia absoluta sit perfectio simpliciter simplex.

R. Deum concipi quidem, in ratione essentiæ, tanquam ens absolutum; ut potè cum ab altero non pendeat, nec alteri sit inhærens: sed non concipi ut subsistens subsistentiâ absolutâ; alioquin natura divina fieret incommunicabilis. Undè subsistentia absoluta perfectio simpliciter simplex non est in Deo: nam naturæ divinæ communicationem impediret; nec *hic Deus*, aliud exprimit distinctè præter Deitatem; indistinctè verò & confusè tres subsistentias.

INST. 3. subsistit Natura divina per subsistentiam absolutam, priusquam subsistentiæ dentur relativæ: Prius enim est rem esse, quàm operationes elicere, & proprietates ex naturâ suâ emittere; actiones enim sunt suppositorum.

R. quod objicitur, in creatis quidem rebus habere locum, quia operationes sunt termini accidentales; secùs verò in divinâ naturâ.

INST. 4. præcisis relationibus natura divina existit in se, & independenter ab alio quocumque subjecto: Ergò verè est subsistens; cum existere in se & non in alio, sit subsistere.

R. Naturam divinam præcisis relationibus non esse quidem in subjecto informationis, aut inhæsionis; sed tamen non habere suum ultimum complementum, per quod sit incommunicabilis.

Quæritur 4. Num Deo deneganda sit absoluta existentia, sicut ipsi denegatur absoluta subsistentia? num etiam dentur in Deo tres existentiæ relativæ, sicut dantur tres subsistentiæ? Sed cum has quæstiones non moverint SS. Patres, non est cur in illis multùm immoremur: undè,

Respondeo primò dari in Deo existentiam absolutam: nam cum existentia sit de essentiæ Dei conceptu, ut art. 1. quæst. 1. probatum est, & essentia personis æquè conveniat; indè consequens est dari existentiam absolutam, & tribus personis communem.

R. 2. non admittendas esse in Deo tres existentias relativas. 1. quia multiplicatis existentiis multiplicarentur essentiæ. 2. cum existentia nihil aliud sit, quàm rei duratio, seu in esse consistentia; & æternitas Dei sit duratio; si plures in Deo æternitates non sunt, nec etiam existentiæ plures. Eodem quoque pacto cresceret immensitatum numerus, &c. quod à ratione est alienum. 3. Cui bono essent relativæ illæ existentiæ? cum, quidquid eis attribuitur, præstet existentia. 4. Indistinctam semper Dei essentiam & existentiam agnovere SS. Patres; præsertim quòd Deus necessariò existat; & de aliis certum sit, aliquandò non fuisse, & potuisse non esse: tùm quòd etiam Deus existentiam, ut essentiam suam, his verbis, *ego sum qui sum*, significarit: undè aliàs probatum est, ne ipsâ quidem ratione, aut cogitatione separari posse existentiam ab essentiâ Dei.

Opp. Paternitas est aliquid actu; cum & ab essentiâ sit distincta, & à Filiatione &c. Ergò actu seorsim existit; cum à Filiatione differat proprio existendi modo, qui nihil aliud est, quàm existentia illa relativa. Et ideò S. Aug. lib. 7. de Trin. cap. 4. & 6. sic habet: *aliud est esse Deum, aliud est esse Patrem.* Item S. Cyr. dial. 7. de Trin. ità loquitur: *uterque Pater & Filius subsistit, propriamque dicitur habere existentiam.*

R. velle S. August. aliâ ratione manifestari, quid sit Pater; aliâ, quid sit Deus: undè lib. 5. de Trin. cap. 10. *Non dicimus*, inquit, *in Deo tres essentias.* S. autem Cyrill. existentiam usurpat pro hypostasi: Neque verò negamus relationes esse aliquid actu, prout à se invicem distinguuntur; sed dicimus non distingui per existentiam singularem: non enim distinctio ab existentiâ repetitur, nec ab ipsâ essentiâ; sed ex ipsis proprietatibus relativis: &, ut sæpiùs jam dictum est, existentia non est ad aliud, sed ad se; seu est aliquid absolutum, & non relativum.

Inst. 1. Productionis terminus est existentia: nam productio terminatur ad existentiam: at in Deo plures sunt productiones; & proindè plures termini existentes, saltem per existentias relativas.

R. productionis terminum esse existentiam producendam, vel communicandam; sed non producendam semper; nec proindè opus esse, ut plurium productionum termini sint plures existentiæ: satis quippè est, si sint plura entia, quibus una existentia absoluta communicetur, quemadmodùm contingit in divinis processionibus.

Inst. 2. Personalitas Verbi non præscinditur ab existentiâ; nec enim potest concipi, quin concipiatur existens: igitur habet suam existentiam propriam.

R. personalitatem Verbi non præscindi præcisione negativâ ab existentiâ; sed præcisione tantùm abstractivâ: undè concipitur ut aliquid existens confusè, scilicet per existentiam divinam, quæ communis est tribus.

bus personis; subsistentiæ enim divinæ instar modorum concipiuntur, imperfectè quidem; & quia non existunt modi, nisi per existentiam subjecti; ità quoque personalitates non existunt, nisi per existentiam Dei.

Quæritur 5. num in Deo sit numerus?

R. cum Concilio Tolet. 11. in professione fidei, ubi sic habet: *In relatione personarum numerus cernitur; in divinitatis verò substantiâ quid numeratum sit non comprehenditur.* Nec simplicitati Dei nocet numerus ille; non enim numerus totum, & partes infert, cum rei simplicissimæ tribuitur.

Quæritur 6. num in Deo sint tres substantiæ, tria entia, tria individua?

Re. 1. S. August. lib. 5. de Trin. cap. 7. his verbis: *Sed quia nostra loquendi consuetudo jam obtinuit, ut hoc intelligatur, cum dicimus essentiam, quod intelligitur, cum dicimus substantiam; non audemus dicere unam essentiam, tres substantias; sed unam essentiam, vel substantiam, tres autem personas.*

R. 2. in Deo esse tria entia relativa, & unum ens absolutum. Sic. S. Alexander Alexandr. Episc. in epist. ad Alexandrum Episc. Constantinop. apud Theodoret. lib. 1. hist. cap. 4. Sic quoque S. Augustin. lib. 1. de Doctr. Christ cap. 5.

R. 3. propriè non esse individua in Deo, seu tres personas non esse sub specie propriè dictâ; quia Deus nulli speciei, vel generi subjacere potest. Nec ullibi S. Athan. tres personas esse tria individua docuit: non enim ejus est opus variarum quæstionum, in quarum septimâ habetur tres personas esse individua tria. Aliundè nec author ille stricto sensu individui nomen usurpat.

Quæritur 7. num sint in Deo tres unitates, tres veritates, tres bonitates?

R. 1. unicam esse in Deo unitatem absolutam, seu essentiæ; sed plures esse unitates relativas; quia tres personæ unitatibus relativis distinguuntur.

R. 2. unicam esse in Deo veritatem essentialem: nam ex S. August. lib. 7. de Trinit. cap. 1. Deus dicitur verus, non relativè, sed ad se ipsum.

R. 3. unicam quoque bonitatem esse: nam ex eodem S. Aug. lib. 5. de Trin. cap. 8. *Bonus Pater, bonus Filius, bonus Spiritus Sanctus: nec tres boni; sed unus bonus.* Lib. 7. c. 6. Deus ad se dicitur magnus, & bonus. Equidem bonum & ens convertuntur; sed cum tres personæ sint tria entia relativa, quæ non habeant tres existentias relativas, sed unicam absolutam, non sunt nisi unicum bonum.



ARTICULUS TERTIUS.

De nominibus Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, & aliis quæ tribus Personis tribuuntur.

AD exprimendum Sanctissimæ Trinitatis Mysterium alia nulla tradunt Scripturæ sacræ ex S. Bas. lib. 5. contra Eunom. quàm Patris, & Filii, & Spiritûs sancti vocabula: quocircà nihil aliud est inquirendum, quàm quod ex ipsis Scripturæ verbis menti objicitur. S. Greg. Niss. orat. 1. contra Eunom. cum insectatur hæreticum, quòd suppressis Patris, & Filii, & Spiritûs sancti nominibus, creatorem, creaturam, & creaturæ creaturam, seu opus operis usurparet. Sic, quæ Christus tradidit, & emendare; & quæ veram Trinitatis ideam exhibent vocabula, corrigere non formidat: iis enim auditis nominibus ad cogitandum quid ineffabile inducimur; cum Patris nomen, non essentiam, sed ad Filium relationem significet. Aliundè etiam à Christo discimus à nobis non exigi rei ineffabilis scientiam; & satis esse fidei traditæ inhærere.

Patri æterno tribui solent nomina ingeniti, causæ, & principii sæpiùs exposita Nomen verò Patris aliis est præferendum; quòd unicum in Scripturis tradatur, & ex S. Athan. orat. 2. contra Arianos, Patri æternò propriè conveniat: semper enim Pater est Pater, seu Filium semper generat; cum sit immutabilis. S. Greg. Naz. ità nomen illud exponit orat. 35. *Nec enim essentia nomen est Pater, viri acutissimi, nec actionis; sed relationem eam indicat, quam Pater erga Filium habet, vel Filius erga Patrem: ut enim apud nos appellationes ista germanam quamdam conjunctionem, & necessitudinem indicant; ad eumdem modum illic genitorem ac genitum eandem habere naturam significant. Sed sit sanè in vestri gratiam Pater essentia quadam: Filium utique simul introducet; non autem removebit, & alienabit: ut & communes notiones ferunt, & ipsa nominum horum vis ac facultas. Sit etiam actionis, si ità videtur; ne sic quidem causam obtinebitis: eodem enim modo dicemus hoc egisse Patrem, ut consubstantialis ipsi Filius eßet; etsi alioqui absurditate non caret hujusmodi actionis opinio.*

Dicitur Pater principium, originis scilicet, non creationis; Filius enim, & Spiritus sanctus eandem creationis, sive operum ad extra principii rationem, sicut & eandem cum Patre divinitatem obtinent: originis verò principii ratio Patri convenit respectu Filii; & Filio, & Patri respectu Spiritûs sancti. Hâc distinctione corruit istud Arianorum argumentum, videlicet fuisse in tempore Filium, utpotè genitum: non enim ab alio est, tanquam à principio creationis, quæ fit in tempore; sed tanquam à principio originis, cui Filius est coæternus. Alio etiam

sensu Pater æternus dicitur principium, ut qui non sit ab alio, sed principium sine principio; quæ principii ratio Filio non competit.

Pater non est dicendus author personarum divinarum; si authoris nomine designetur aliquod jus, aut dignitas: ità S. August. lib. 2. cont. Maximinum cap. 14. *Sed habet, inquis, Dei Filius authorem Patrem. Si propterea Deum Patrem Deo Filio dicis authorem, quia ille genuit, genitus est iste; quia iste de illo est, non ille de isto; fateor & concedo. Si autem per nomen authoris minorem vis facere Filium, Patremque majorem, nec ejusdem substantiæ Filium, cujus est Pater; detestabor & respuam: quia & Filius hominis, in quantum est Filius, habet authorem, de quo natus est, Patrem; nec tamen ideo non est ejusdem substantiæ, cujus est Pater.* Quare author appellari potest Pater; quia de ipso est Filius.

Secunda persona Verbum æternum dicitur, ut & Sermo sæpè ab antiquis, ut à Tertull. lib. contra Hermog. cap. 20. & lib. contra Prax. cap. 13. à Novat. lib. de Trin. cap. 20. à S. Aug. serm. 118. in Joan. & tandem à Paulino in natali S. Felicis. Frequentior tamen est Verbi usurpatio apud eosdem, & apud Patres, qui post Nicænam Synod. floruerunt. Dicitur Filius; quia verè generatur à Patre, & est Patris imago; ut qui divinam Patris naturam referat & contineat.

Sancti Spiritûs nomen tertiæ personæ negavit Eunomius, eamque solo nomine Paracleti compellavit; eo scilicet animo, inquit S. Greg. Niss. or. 1. cont. hunc hæreticum, ut omnem cum Patre Spiritui Sancto æqualitatem auferret, quæ illo vocabulo designabatur. Hoc nomine ex S. Aug. lib. 5. de Trin. cap. 11. non designatur ejus ad Patrem & Filium relatio: quia nomen Spiritûs, relationis nomen non est; sed per nomen doni & conjunctionis significatur, quòd ab utroque procedat; & consequenter Pater & Filius dicendi sint donator. Spiritus Sanctus vocatur etiam Paracletus ex S. Ath. or. 5. quòd consolatoris vices obeat.

ARTICULUS QUARTUS.

De Processionibus.

QUæritur 1. utrum, quid, & quotuplex sit in Deo processio?

R. 1. admittendas esse in Deo processiones; cum Filius à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedant. Et verò si nulla esset in Deo processio, unica esset in Deo persona; cum non distinguantur personæ divinæ, nisi oppositione relativâ, quæ oritur ex processione: vel quælibet personæ essent innascibiles, & improductæ; & consequenter plures Dei; nam solâ naturæ diversitate secernerentur.

R. 2. processionem in Deo sumi pro unius personæ ab aliâ origine; quæ quidem processio non oritur à principio, tanquam à causâ propriè dictâ: Omnis enim effectus mutationi, & dependentiæ obnoxius est, arguitque aliquid se ipso naturâ prius. Eadem autem natura communicatur

divinis personis, quæ procedunt; & proindè omnis dependentiæ ratio ab iis excluditur; nec inter easdem ulla reperitur prioritas, nisi originis, quâ una persona est ab alterâ. Undè ex S. Aug. genitorem inter & genitum est ordo naturæ; non quòd alter sit prior altero, sed quòd sit ab altero.

Ac ne de nomine sit ulla contentio, principii & causæ vocabula plerùmque ut Synonima à SS. Patribus usurpantur, ut à S. Greg. Naz. or. 29.

R. 3. Duas esse in Deo processiones, nempè Filii & Spiritûs Sancti; à Patre quippè procedit Filius, à Patre & Filio Spiritus Sanctus. Nec plures, nec pauciores, ex Scripturis & traditione, sunt admittendæ: alioquin everteretur Mysterium; quia tunc essent plures, quàm tres personæ.

OPP. Repugnat duplex in Deo processio; quia productione termini infiniti, Filii scilicet, exhauritur potentiæ fœcunditas.

R. unicâ processione non exhauriri Divinam fœcunditatem; quia ex Scripturis & traditione duæ sunt in Deo processiones. Nec in contrarium obstat ullatenùs, quod indè perperàm colligunt nonnulli, plura fore infinita, quæ manifestam involvunt repugnantiam: licet enim plura infinita in omni genere perfectionis absoluta non possint dari; possunt tamen dari plura infinita relativa, quæ naturæ divinæ identificentur, & variâ ratione, licet nobis ignotâ, procedant.

Quæritur 2. num ejusdem rationis sint Filii & Spiritûs Sancti processiones?

R. Filii & Spiritûs Sancti processiones ejusdem non esse rationis. Etenim in sacris Scripturis Filii processio dicitur generatio; non sic Spiritûs Sancti productio. Ideò Filius dicitur genitus. Ps. 20. ℣. 7. *Dominus dixit ad me Filius meus es tu, ego hodie genuite:* Quo loco Apostolus utitur Heb. 1. ℣. 5. ad divinitatem Christi asserendam. Et Ps. 109. ℣. 3. *Ex utero ante Luciferum genui te:* Quo utitur ipse Christus Matth. 22. Isaïæ quoque 53. ℣. 8. habetur *Generationem ejus quis enarrabit?* Joan. etiam 3. v. 16. *Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Item 1. Joan. 5. ℣. 20. *Ut simus in verò Filio ejus.* Ergo Filii processio juxta Scripturas est generatio.

Prætereà hoc ipsum tradunt unanimi consensu Sancti Patres; tùm ii, qui sanctam Synodum Nicænam antecessere; tùm & illi, qui eam sunt subsecuti. Attamen eorum testimonia referre supervacaneum duximus; cum nullus revocare possit in dubium illa esse apertissima, & numero ferè infinita.

Quod attinet ad Spiritûs Sancti processionem, ea nec in Sacris Codicibus, nec in sanctorum Patrum monumentis nomine generationis appellatur: immò à productione Filii penitùs secernitur. Quod & potissimùm his habemus expressum verbis in Symbolo, quod à nonnullis sub sancti Ath. nomine vulgatum est. *Filius à Patre solo est; non factus, nec creatus; sed genitus. Spiritus Sanctus à Patre & Filio; non factus, nec creatus, nec genitus; sed procedens.*

OPP. Non est cur Filii processio generatio potiùs dicatur, quàm processio Spiritûs Sancti; cum Filius & Spiritus Sanctus pariter in naturæ similitudinem vi processionis procedant.

R. ex vulgari generationis definitione, quam non omninò exactam esse censent non pauci, nihil adversum nos erui posse: licet enim in scholis vulgò recepta generationis definitio Spiritûs Sancti processioni conveniret; non idcircò genitus ille dicendus esset; quia Filium non ideò genitum diximus, quod ejus origo vulgari generationis ideæ respondeat; sed quia solus Filius tùm in Script. dicitur genitus tùm & in Symb. quod S. Ath. nomine circumfertur. Cum ergò Spiritus Sanctus nec in script. nec à SS. Patribus genitus dicatur; nec ejus quoque processio generatio dicenda est.

Cur autem processio Filii dicatur generatio; productio verò Spiritûs sancti dicatur tantùm processio, sequentibus conclusionibus aperiemus; & quid potissimùm SS. Patres Dei Verbum exponentes docuerint, palàm faciemus

CONCL. I. Discriminis, quod inter utramque processionem intercedit, ratio nulla evidens afferri posse nobis videtur.

Prob. quia Verbi generationem, ut ineffabilem, ut nemini notam, referunt Scripturæ; & Scripturarum authoritate freti SS. Patres adversus hæreticos, curiosiores Mysterii tàm occulti & tàm sublimis indagatores, insurgunt; docentque ipsis etiam Angelis illud esse incognitum: undè illos, qui scrupulosiùs inquirerent, damnarunt.

1. Ut ineffabilem Verbi generationem referunt Scripturæ, & ex Scripturis SS. Patres. Isaïę quippe 53. ℣. 8. *Generationem ejus quis enarrabit?* Matth. quoque 11. ℣. 27. *Nemo novit Patrem nisi Filius, &c.* Quod & probant loca Scripturæ & SS. Patrum 1.q. art. 1. & 3. adducta. His S. Irenæum addemus qui hæreticos Verbi generationem suo more explanare conatos ità comprimit lib. 2. cap. 48. *Generationem ejus quis enarrabit? vos autem generationem ejus ex Patre divinantes, & verbi hominum per linguam factam prolationem transferentes in Verbum Dei, justè detegimini à nobis ipsis, quòd neque humana, nec divina noveritis; irrationabiliter autem inflati, audaciter inenarrabilia Dei Mysteria scire vos dicitis. Quandoquidem & Dominus ipse Filius Dei ipsum judicii diem & horam concessit scire solum Patrem, manifestè dicens: de die autem illa & horâ nemo scit, neque Filius, nisi Pater solus. Si igitur scientiam diei illius Filius non erubuit ad Patrem referre; sed dixit quod verum est: neque nos erubescimus, quæ sunt in quæstionibus majora secundum nos, reservare Deo; nemo enim super Magistrum est. Si quis itaque nobis dixerit, quomodò ergo Filius prolatus à Patre est? Dicimus ei, quia prolationem istam, sive generationem, sive nuncupationem, sive adapertionem, aut quomodolibet quis nomine vocaverit generationem ejus inenarrabilem existentem, nemo novit; non Valentinus, non Marcion, neque Saturninus, neque Basilides neque Angeli, neque Archangeli, neque potestates, nisi solus, qui generavit Pater, & qui natus est Filius. Inenarrabilis itaque generatio ejus cum sit; quicumque nituntur generationes & prolationes enarrare, non sunt compotes sui, ea, quæ inenarrabilia sunt, enarrare promittentes.* Et de illis hæc appositè addit, cap. 49. *Hinc quasi obstetricaverint, primæ generationis ejus prolationem & generationem enuntiant, assimilantes eum hominum verbo emissionis.* Igitur primis seculis fides erat Verbi generationem nulli rei

creatæ cognitam esse; eamque proindè ab hominibus explanari non posse: imò reos esse homines, qui eam se animo complecti censerent, dum eam quibusdam comparationibus conarentur illustrare.

2. Ideò ab illâ inquisitione,ut non traditâ, S. Ath. epist. ad solitar. abstinere se professus est; & ab eâ solitarios avocavit, suo exemplo proposito. *Quantò enim magis scribere volebam, & Instantiùs rem urgebam, ut divinitatem Verbi intelligerem; tantò longiùs ejus rei cognitio à me subterfugiebat, & sentiebam me tantùm à tergo relictum esse, quantùm me promovisse & assequutum esse arbitrabar. Nam hoc ipsum, quod & animo comprehendere videbar, scribere non potui; & quod scribebam, minus erat, quàm concepta in animo veritatis umbra.* Item orat. 3. cont.Arian.sic habet: *indecorum est quærere quomodò ex Deo Verbum sit, aut quomodò sit Dei splendor, aut Deus, & quis sit modus generationis Dei. Insanierit enim qui talia auderet: quoniam rem ineffabilem & propriam divinæ naturæ, & duntaxat ipsi ac filio suo cognitam, verbis interpretari conatur.* Si igitur ipse S. Athan. ob exortam Arii hęresim de hoc Mysterio explanatiùs agere coactus, censuit ultra quæ fidei sunt, sibi non esse progrediendum: imò si periculo non vacare asserit inquisionem ulteriorem; hæc sanè nobis pro lege constitui debet tanti viri sollicitudo.

Alia non fuit disserendi ratio cæterorum iisdem temporibus adversùs Arianos fidei defensorum, qui doctrinæ nobis in Sripturis traditæ standum esse prædicant; & innumeras quęstiunculas, quibus Ariani Mysterium aut implicabant, aut molestiam rudioribus facessebant, eâ cautione ex Scripturis acceptâ, removent; variisque rationibus, iisque solidissimis, utuntur. S. Hil. lib. 2. de Trin. ipsis Angelis ignotam esse Verbi Divini generationem profitetur. Item S. Basil. Hom. 25. ità loquitur: *Ubi enim*, inquit, *nec tempus, neque ævum intercedit, neque item modus intelligitur, nec spectator adfuit, nec est qui exponat; quomodò mens aliquid imaginabitur? quomodò mentis cogitationibus lingua famulabitur? Pater autem erat, & Filius est genitus: ne dicas, quandò; sed neglige hanc quæstionem: ne quæras, quomodò? est enim hic impossibilis responsio. Nam, quandò, tempus habet; quomodò verò, quandam ad modos corporeos declinationem.* Et Hom. 29. sic habet: *Ne quæras quæ inveniri non possunt; non enim invenies. Si enim quæris, à quo discere potes? à terrâ? non subsisterat: à mari? nondùm erat liquidum: à cœlo? non erat elevatum: à Sole, & Lunâ, ac astris? nondum creata erant: at à seculis? ante secula unigenitus. Ne interroges ea quæ non semper sunt, de semper existente: si verò non vis, sed contendis; derideo tuam amentiam; imò potiùs deploro tuam temerariam audaciam. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: vox, erat, obliterat vocem, non erat; &, Deus, obliterat vocem, non Deus. His, quæ scripta sunt, crede; quæ non sunt scripta, ne quære.*

Utramque Verbi generationem silentio esse adorandam docet quoque S. Meletius Antioch. aitque de Verbi generatione non esse agendum, ne à nobis temeritatis pœnas Deus exigat. Sic apud S. Epiph. lib. 3.

tom. 1. hær. 73. *Quamobrem verendum nobis est, ne, dum de his quæ assequi non possumus, quo jure, quàque injuriâ disputare volumus, ne de his quidem quæ attingere possumus, disputandi facultas relinquatur: nam ex fide loqui, non ex his quæ quispiam loquitur, fidem adhibere convenit; credidi enim, inquit, propter quod & locutus sum:* Postquàm autem dixit timendum ne nobis idem, quod Zachariæ, obveniat, qui humano sensu divinam potestatem voluit admetiri, hæc addit: *Etenim quantò quisque ad scientiam propiùs videtur accedere; tantò magis reputare cum animo suo debet hominem se esse; quâ de re audi quid ille dicat: ego verò dixi in excessu meo; omnis homo mendax. Itaque cum præceptorem veritatis habeamus; nullos amplius humanos doctores adjungamus; sed apud nos ipsi cogitemus; ac neque divinarum rerum modos & rationes, neque quidpiam aliud curiosiùs indagemus: ut enim Filii generationem explicare nemo potest; ità & modum illum quo Pater genuit, enarrare nullus potest.*

S. Greg. Naz. orat. 23. ait in hâc vitâ non posse cognosci Verbi generationem: *At verò Patris proprietas hæc est. Quòd ingenitus sit; Filii, quòd genitus; Spiritûs Sancti, quòd procedat: quòd si modum quæris; quid eis relicturus es, quos solos mutuò se cognoscere, atque à se mutuò cognosci Scriptura testatur? aut iis etiam nostrûm, qui posteà divinitùs illuminabuntur?* Et orat. 29. quærit ab inquirentibus quomodò sit generatus Filius? *Si creatus est; quæro quomodò sit creatus? Si enim in generatione passio est, occurrit quoque & in creatione: non enim alio pacto affingi, aut administrari possunt creaturæ.* Cum igitur creatio ejus sit naturæ, ut eam nemo nostrûm assequi possit, nihilque in creaturis simile comperiat: potiori jure dicendum nihil occurrere animo, quod ad generationem Verbi accedat: *Non inquirenda est*, inquit, *Verbi generatio; quidquid enim dici aut excogitari potest, ejus naturâ longè est inferius. Satis, si Verbum ut Filium, & Patrem ut Patrem noverim. Hîc hæreo, ne mihi contingat, quod attentè oculos in Solem conjicientibûs: aut enim excœcantur; aut oculorum infirmitatem patiuntur. Audis Spiritum ex Patre procedere; id quomodò fiat, ne anxio studio perscruteris: & si curiosiùs insistas, unionis cum corpore quæram rationem: & si quæ penes te sunt, mente assequi non valeas; quomodò ad superiora assurges?* Et orat. 35. ipsis Angelis incognitam esse docet Verbi generationem, silentioque colendam; nec sufficientis dignitatis futuram fuisse, si à nobis intelligatur.

Idem etiam docet S. Aug. lib. 2. contra Maximin. cap. 14. his verbis: *Cur Filius dicatur Filius, & non Spiritus Sanctus; & quid inter nasci, & procedere intersit, de illâ excellentissimâ naturâ loquens explicare quis potest? Non omne quod procedit, nascitur: quamvis omne procedit quod nascitur. Hæc scio: distinguere autem inter illam generationem, & hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio. Ac per hoc, quia & illa, & ista est ineffabilis, sicut Propheta de Filio loquens ait, generationem ejus quis enarrabit? Ità de Spiritu Sancto verissimè dicitur, processionem ejus quis enarrabit?* Et tract. 99. in Joan. ità scribit:

Quid autem illic intersit inter procedere & nasci, & longum est quærendo disserere; & temerarium, cum disserueris, definire: quia hoc & menti utcumque comprehendere; & si quid fortè mens indè comprehenderit, linguæ difficillimum est explicare, quantuslibet præsit doctor, quantuslibet adsit auditor.

Opp. inquiri posse quâ ratione, & cur Verbi processio generatio sit, non item processio Spiritûs Sancti; & his quęstionibus, quantùm humana patitur infirmitas, rationes subjacere; cum prę sertim de catholico dogmate contra hęreticos aut infideles non agatur: imò potiùs videtur id optimum factu; scilicet ut paratiores simus rationem fidei nostræ reddere, & hęreticorum tela faciliùs retundere, Sanctorum Patrum œconomiam imitati, qui innumeris penè comparationibus hoc mysterium illustrarunt, ut quæstione secundâ, articulo 2. & 3. fuit observatum. Ità Sanctus ipse Athan. orat. 3. contra Arianos, ut Verbi generationem, & cum Patre æterno substantiæ unitatem explicaret, ex verbo nostro ducit ideam quamdam, remotis nimirùm mutabilitate, originis tempore, & aliis quæ rem creatam comitantur. Et lib. de Syn. Arimin. & Seleuc. à Verbi Divini generatione passionem omnem, & substantiæ divisionem excludit; quia Filius, Patris ratio, & sapientia dicitur. Quâ quidem comparatione nititur sententia, quæ Filium ideò genitum asserit, quia Verbum est, seu quia procedit per intellectum.

R. cum S. Athan. orat. 2. inter eas quæ tom. 1. habentur: *Fateor, & hoc ex Scripturâ didicimus, ut sciamus, quærenda quædam esse, ut quæ apprehendi possint: ut enim audacter omnia perscrutari pium non est; ità omnem prorsùs inquisitionem negligere non est sanctum: est cujusvis quod adoret scire, secundum quod scriptum est: Nos adoramus quod scimus. Quærere autem quantùm, qualiter, quomodò, ubi, insanientium est.* S. Athanasio suffragatur S. Hilarius lib. 2. de Trin. his verbis: *Incipe, percurre, persiste: etsi non perventurum sciam; gratulor tamen profecturum: qui enim pie infinita persequitur, etsi non contingat aliquandò; tamen proficiet prodeundo. Nullum ergò, dicis, officium est fidei, si nihil poterit comprehendi. Imò hoc officium fides profiteatur, id undè quæritur incomprehensibile sibi esse se scire.* Igitur inculpatè fieri possunt circa Verbi generationem inquisitiones: imò pium & sanctum est inquirere, an sola Filii processio generatio sit; & cur potiùs quàm Spiritûs sancti processio; ut, quod quæritur, nobis esse incomprehensibile sciamus: hoc quippè officium est fidei. Quęrere verò quomodò generetur Filius; & quis sit modus generationis Filii, & processionis Spiritûs sancti, hoc non licet: *Quærere autem*, inquit S. Athan. *quantùm, qualiter, quomodò, ubi, insanientium est.* Idem repetit epist. ad Solitarios, & epist. 2. ad Serap. Idem etiam tradunt SS. Patres in probatione laudati.

Cæterùm ne quis forsan putet SS. Patrum dicta hâc in re non satis sibi cohærentia videri, discat necesse est, SS. Patres, quos adamussim sequimur, non sic intelligendos esse, quasi prohibuerint quaslibet quęstiones circa divinas processiones, sed certas tantùm, easque curiosiores.

Varias profectò his quęstionibus, an, & cur sola Filii processio generatio

ratio dicenda sit, pro virili parte responsiones afferunt varii Theologi, quas non ut illicitas, sed ut insufficientes, nec forsan satis tutas, sequi renuimus: quandoquidem nec in Scripturis, nec apud SS. Patres reperiuntur; licet de Catholico dogmate contra hæreticos, aut infideles non agatur: attamen semper timendum esset, ne videremur iis assentiri, qui naturali rationis præsidio mysterium illud demonstrandum aggrediuntur; vel ne Philosophi, aut hæretici mysterium naturali ratione inniti suspicarentur. Adeò non ex rationis præsidio fidei novum comparatur propugnaculum; quin imò arx fidei aggressoribus fit patentior, & proindè facilior impugnatu. Imitandi ergò sunt illi, qui ut nationibus infensis opponant & objiciant propugnacula, vias omnes intercludere conantur, nullumque ad vallatam urbem aditum relinquunt, quem firmissimis muniant præsidiis; alioquin hostes subitò irrumperent, & impetum facerent. Retinendis fidei dogmatibus non minor est adhibenda cautio: nec nobis credatur; sed experimento calamitoso. Undè sæpiùs relatæ, tùm hæreticorum antiquorum, præsertim Eunomianorum; tùm & postremi seculi aberrationes prodierunt; nisi quia, prætermissis Dei Verbo, & Traditione Apostolicâ, in fidei regulam & judicem humana ratio fuit advocata? Si Spiritus Sanctus, inquiebant Eunomiani, ex Patre procedat; igitur & Filii frater est: si ex Filio; igitur Patris nepos est. Quæ absurda declinassent proculdubiò, si sacrorum codicum monita, *Generationem ejus quis enarrabit?* & Sanctorum Patrum exempla non fuissent ab iis parvi habita. Miretur igitur nemo, si cautionibus illis veritati Catholicæ consulendum esse censuimus.

Plurimas comparationes adhibent SS. Patres. Ut ostendatur Filius Dei Patri consubstantialis; confertur homini ex homine genito: ut principio suo coæternus designetur; assimilatur radio solis: ut Patri perfectè similis ob oculos ponatur; imagini ex speculo nitido, & politissimo: ut immaterialiter genitus probetur; Verbo per hominis intellectum efformato. Sed ex iisdem SS. Patribus hæ comparationes pro rudioribus quibusdam delineationibus sunt habendæ; monentque SS illi doctores hasce delineationes eo fine adhiberi, ut ostendatur Mysterium illud non esse impossibile, cum ipsius vestigia in naturâ occurrant. Ex allatâ S. Ath. comparatione, esto, repetatur sententia, quæ contendit ideò Filii processionem esse generationem, quia procedit per intellectum: Sed num ideò par est exponendæ Filii generationi, & secernendæ à processione Spiritûs Sancti? Et licet comparationes ejusecmodi attulerint SS. Patres, an ideò Theologis fas est suas sententias, quasi totidem definitiones, statuere; neque minùs acriter pro illis decertare, quàm pro indubitato dogmate? Quâ etenim ratione, cum ea, quæ sensibus obvia sunt, vix queamus percipere; ad ea, quæ naturæ vires superant, sic assurgemus? Meæ formidini condonare forsan vix poterunt Theologi, variis quęstionibus & principiis assuefacti: Forsan, inquam, ęgrè patientur à tritis in scholâ viis me recedere; sed indulgeant formidanti, qui, ubi de Mysteriis agitur, nihil audet proferre, nisi quod ex Scripturis est excerptum, aut à SS. Patribus traditum. Aliundè verò, cur inquirerem quod non Deus revelavit? & cur

investigarem Mysteriorum rationes, quas non inconsultò videtur occultasse: Processionem Filii & Spiritûs Sancti inter se differre; alteram dici generationem; alteram, processionem simpliciter, *indubitatâ fide teneo: sed quare, aut quomodo? nescio; nec eâ sane ignorantiâ periclitari puto*, ut verbis utar S. Aug. Cont. Priscill. cap. 11. *quid enim opus est*, inquit, idem S. Doctor. Enchir. 57. *Ut hoc atque ejusmodi vel affirmentur, vel negentur, vel definiantur cum discrimine, quæ sine crimine nesciuntur?*

Jam constitui licitam haberi posse conquisitionem illam legibus exscriptis; sed quod in aliis inculpatum dico, mihi non liberum esse censeo; quod enim non est ex fide, seu contra conscientiæ stimulos, peccatum est ex Apost.

INST. Nihil aliud sibi volunt SS. Patres superiùs relati, nisi tùm Verbi generationem, tùm Spiritûs Sancti processionem, nec comprehendi, nec plenè ab hominibus explicari posse; & si eorum œconomia perpendatur, non eâ disserendi ratione utuntur, quam adhibent, cum hæreticis disputant. Ubi enim ad Catholicos habent sermonem, prudenter admonent solummodò, ne minùs cautâ expositione margaritas ante porcos projiciant; aut infirmis moveant scandalum.

R. non modò nos revocare SS. Patres à curiosiori processionum indagatione, quòd hominum mentem & sermonem, Mysterii comprehensio & explanatio longè superet; sed multis aliis de causis, ut palam est: *Indecorum est*, inquit, S. Ath. lib. 3. cont. Arian. *quærere quomodò ex Deo Verbum sit, aut quomodò sit Dei splendor, aut quomodò gignat Deus, aut quis sit modus generationis Dei.* Et ex S. Basil. Hom. 29. *Filius genitus est; ne dicas quando: sed neglige hanc quæstionem: ne quæras quomodo; est enim hic impossibils responsio.* Nec solos alloquuntur hæreticos; sed & sæpiùs fideles ex locis citatis, ut S. Ath. epist. ad solitarios.

At, inquiunt, usurpata sępiùs hęc gravissimis in difficultatibus dicendi ratio, *nescio, O! altitudo, quis enarrabit?* Theologum non minùs dedecet, quàm Philosophum ad fidei principia, vel ad Dei omnipotentiam, tanquàm ad Azylum, confugere.

R. Philosophos à Philosophiæ principiis recedere, cum ex fide, vel ex omnipotentiâ, rerum naturalium decisionem, aut definitionem repetunt; quod nihil aliud est, quàm profiteri suam in dicendis novis confidentiam, simul & in probandis illis novis axiomatibus inscitiam ostendere. E contrariò cum Theologus Theologiæ principiis insistens, ad exponenda nova placita nihil in Theologiæ fontibus, Scripturâ videlicet Sacrâ juxta SS. Patres exposita, vel in Apostolicâ traditione deprehendit, quod illi viam ad propositæ quæstionis explanationem sternat ullatenùs; an non prudenter sibi ab illis quæstionibus definiendis temperat, suamque inscitiam humiliter tunc profitetur? præsertim si Sanctos in illâ humili & demissâ professione sequatur duces, quos, eruditionis licet summæ, posterioribusque seculis venerandæ, non puduit fateri se nescire, quod nesciebant, ut S. Hil. qui l. de Trin. de generationis Filii secreto disserens, sic habet. *Ego nescio, non requiro; consolabor me tamen: Archangeli nesciunt, Angeli non audierunt, Propheta non sensit, Apostolus non interrogavit, Filius ipse non edidit.*

CONCL. II. non placet ſententia prima, quæ Filium ideò eſſe Filium ſtatuit, quòd fœcundam à Patre naturam accipiat; talem verò Spiritus ſanctus non habeat.

Prob. nam ad generationis rationem non exigitur, ut naturæ fœcunditas à Patre communicetur: non enim in creatis ſemper Filius generat; nec vulgaris definitio aliquid hujuſcemodi continet; & , eâ ſublatâ fœcunditate, non deſinit eſſe generatio, v. g. mulorum. Aliundè in Filio divino Patris fœcunditas non occurrit, cum non generet Filius.

OBJ. S. Baſ. lib. 5. c. Eunom. cap. 12. ad hanc quæſt.cur Spiritus S. Filius Filii non dicatur, reſpondet: *Non quia non eſt ex Deo per Filium, ſed ne Trinitas Filios ex Filiis habere dicatur:* Et ſic ne infinita Filiorum multitudo invehatur .Unde non aliam rationem afferre videtur, cur Spiritus Sanctus non ſit Filius, quàm quòd non habeat naturam fœcundam. Igitur Filius ideò Filius eſt, quia fœcundam à Patre naturam accipit.

R. S. Baſilium alienum omninò fuiſſe ab aſſignando diſcrimine, quod intercedit inter Verbi generationem, & Spiritûs Sancti proceſſionem; imò totus eſt Hom. 25. in rejiciendâ illius inſcrutabilis diſcriminis inveſtigatione; quia, ut docet, nec ſpectator adfuit, nec eſt qui exponat. Et Hom. 29. hanc inquiſitionem amentiæ tribuit. In loco qui objicitur, ignotum nobis eſſe illud diſcrimen ſupponens, docet tantùm hac cautione uſos eſſe ſacros codices, & Spiritum Sanctum Filium Filii non dixiſſe, licet ex Filio procedat; ne ſcilicet mens noſtra humanam Filiorum ſucceſſionem in Deo ſuſpicaretur.

INST. Ex Conc. Florentino habetur diſtingui Spiritum ſanctum à Filio; quia naturam fœcundam Filius accipit.

R. non ideò hoc tradi in Concilio Florentino, quòd Filii rationem in fœcunditate quam Filius accipit conſtituat: ſed quia in illo Concilio, num Spiritus ſanctus ex Filio procederet, agebatur; hâc ratione Latini adverſus Græcos utebantur, nempè Filium ideò diſtingui à Spiritu ſancto, quòd Spiritus ſanctus ab eo procedat; alioquin non diſtinguendum fore.

CONCL. III. Nec generationis Verbi rationem aſſequi videtur ſententia, quæ Verbum ideò genitum eſſe docet, quòd per intellectionem actualem, prout eſt ultima Dei differentia, procedat.

Prob. 1. Nam hæc ſententia principio à nobis aliàs confutato nititur, ultimam ſcilicet Dei differentiam eſſe intellectionem actualem. 2. etiamſi vera eſſet iſta ſententia; non ideò Verbi generatio hoc pacto exponeretur: non enim in naturæ divinæ ſimilitudinem Filius procederet, quatenùs divina eſt ſubſtantia; quippè natura divina, ut ſic conſiderata, ſubſtantia eſt infinita, & immenſa &c. ſed tantùm quatenùs talis eſſet, nempè intelligens. Porrò autem ſimilitudo in naturâ penes differentiam ſpecificam non eſt; ſed etiam penes gradus genericos: nec enim Petrus Paulo ſimilis eſt in naturâ, quia rationalis; ſed etiam quia animal.

CONCL. IV. Nec etiam placet opinio, quæ Verbum ideò Filium eſſe tradit, quòd procedat ut imago; non verò ità Spiritus ſanctus.

Prob. 1. Nam ad generationis rationem ea repræſentatio non exigitur,

ſed ſola naturæ communicatio. 2. Imaginis ratio non videtur ſufficiens; ut Filius dicatur genitus; non verò Spiritûs ſanctus: licet enim Filius in humanis Patrem non repræſentet, non deſinit eſſe Filius; quòd nempè in naturâ ſimilis procedat; è contrario ignis v. c. ab igne ut ſimilis oritur; nec ideò eſt Filius. Verbum igitur Divinum vera quidem eſt Patris imago; ſed non ideò eſt Filius, quia imago; ſed eſt imago, quia idem eſt in naturâ cum Patre, & ratio ſimilitudinis ex identitate naturæ ſequitur.

Opponunt Philoſophos & Medicos ad Filii rationem exigere, ut ſit Patris characterum repræſentatio.

R. Philoſophos & Medicos exigere, ut Filius naturam Patris ſpecificam habeat; non tamen ut ipſius individuam & omnimodam perfectionem aſſequatur accidentariam; alioquin craſſior eorum eſſet aberratio.

Concl. V. Nec etiam facit ſatis ex omni parte ſententia, quæ Filium ideò eſſe genitum aſſerit, quod per intellectum perfectiſſimum procedat. Sic mentem ſuam exponunt illius ſententiæ defenſores. Dei Filius per intellectum perfectiſſimum procedit; & proindè, cum ſit intellectûs divini terminus, neceſſariò perfectiſſimus eſt. Terminus autem perfectiſſimus eſt ſubſtantialis; & proindè principio ſuo ſimillimus, quòd proceſſio per intellectum ſit origo viventis à principio vivente conjuncto, in ſimilitudinem naturæ: nam in ſe rem intellectam ſecundum ſimilitudinem habet intellectus; qui finitus eſt, ſimilitudinem accidentalem efformat; qui verò infinitus eſt, ſimilitudinem ſubſtantialem efficit. Ea non eſt, inquiunt, Spiritûs ſancti proceſſio; quia non per aſſimilativam facultatem, qualis eſt intellectus; ſed per voluntatem, cujus eſt in rem animatam pondere quodam impelli, procedit.

Verùm ex illis rationibus nulla ſatisfacit

Prob. 1. Nam in eam ſententiam adduci non poterit, qui cum nominis non infimi Philoſophis voluntatem & intellectum, etiam in hominibus intrinſecè non diſtingui cenſuerit; ſed extrinſecè duntaxat, ſeu habitâ ratione habitudinis ad objecta, circa quæ verſatur anima; ita ut intelligere dicatur, ſi circa verum; velle verò, ſi circa bonum verſetur: quibus ſuppoſitis nihil ad ſtabiliendum mox expoſitum diſcrimen conficietur. 2. eſto, etiam in nobis intrinſecè diſtinguantur intellectus, & voluntas; an ideò dicemus facultates eſſe in Deo intrinſecè diſtinctas? 3. produci ſupponitur intellectionis terminus, quo viſum aliàs objectum, aut intellectum, mente repræſentetur; quæ repræſentatio tantùm eſt objecti metaphorica ſimilitudo, ſeu intentionalis ſpecies; nec enim alia competit intellectui aſſimilandi ratio. Quis autem hanc in Deo neceſſitatem induxerit? numquid non omnia ſunt Deo præſentiſſima? & an aliquid repræſentatio illa metaphorica habet, quod ad generationem ſubſtantialem accedat? 4. ſuppoſitis etiam principiis illis, non videbitur indè inter utramque proceſſionem diſcriminis quid excogitari poſſe: nam quo jure vi proceſſionis Filius Patri dicetur ſimilis, quia per intellectum divinum procedit; eâdem ratione Patri, & Filio in naturâ erit Spi-

ritus ſanctus ſimilis, quòd à divinâ voluntate procedat: nihil enim aliud eſt habere naturæ ſimilitudinem vi proceſſionis, quàm habere naturam divinam eandem vi proceſſionis: & ſi Patris, & Filii voluntas Spiritum ſanctum cum Patre & Filio unum ſubſtantiâ faciat; nonniſi naturæ eſt illa unitas; & ideò erit utrobique paritas. Igitur tam proceſſio per voluntatem erit generatio, quàm per intellectum. Et ſicut intellectûs divini terminus eſt identicè ſubſtantialis; quia naturæ divinæ identificatur, non quidem per ſe, quoniam intellectus aſſimilare tantùm intentionaliter ſupponitur; ità voluntatis divinæ terminus eſſet pariter identicè ſubſtantialis; quia divinæ naturæ pariter identificaretur. Ultimò, Pater Divinus res poſſibiles intelligit, nec tamen res illæ verbo ſunt naturâ ſimiles; licet ſint divinæ cognitionis termini.

Opp. 1. ex S. Athan. lib. de decretis Nicænæ Synodi, Verbum ideò Filius eſt, quòd ſit Verbum: ſic etiam S. Aug. & alii.

R. antiquos ità diſſeruiſſe, ut à generatione Verbi omnem paſſionem excluderent, & omnem imperfectionem; ſatiſque iis fuiſſe, ſi ad agnoſcendam ipſius Verbi filiationem Arianos adigerent. S. Auguſt. docet quidem omnem rem cognitam ſui producere notitiam; non verò voluntatem: verùm mentem abuſivè parere ab eo dici, quis non videat?

Nec illud diſcrimen ſufficit, quod ex actionibus immanentibus petitur; quòd nempè ſint duæ in Deo, ſicut & in hominibus, immanentes actiones; ideóque duæ ſint in Deo proceſſiones, quarum una aſſimilet, intellectio nimirùm, quæ ſit generatio. Nam ſi idcircò duæ tribuuntur Deo actiones immanentes; quia duæ ſunt in hominibus; tres etiam Deo affingendæ erunt, cum tres ſint actiones in hominibus immanentes: nam præter voluntatis & intellectûs actiones, memoria quæ eſt in nobis immanens, ſuam quoque habet actionem.

Opp. 2. Si Filius non eſſet Filius, quia procedit per intellectum, & Spiritus Sanctus per voluntatem; Verbum & Spiritus Sanctus eſſent immediatè à naturâ divinâ; nec eſſet determinatus proceſſionum divinarum numerus. Cur enim potius eſſent tres, quàm quatuor perſonæ? Cur Filius potiùs 2. perſona, quàm Spiritus Sanctus? cum enim aliqua immediatè oriuntur ab aliquo principio: non eſt cur potiùs unum dicatur tale, quàm aliud. Poſito autem quòd Verbum procedat per intellectum, Verbum concipitur procedere ut Filius, quia procedere concipitur in ſimilitudinem naturæ &c.

R. aſſeri non debere à naturâ divinâ immediatè procedere Verbum & Spiritum Sanctum: natura enim divina neque generat, neque generatur, ut habetur in Conc. 4. Later. cap. 2. *Damnamus*. Et verò ignotum nobis eſt, ut ex ſacris codicibus & SS. Patribus accepimus, quâ ratione proceſſiones Verbi, & Spiritûs Sancti diſtinguantur: Nec illud diſcrimen ſufficienter videtur repeti poſſe, quòd Filius per intellectum procedere ſupponatur: nam Sententia illa plurimis nutantibus & incertis nititur principiis, quæ, licet pro veris haberentur, non tamen explicarent quâ ratione Filius eſſet Filius, non Spiritus Sanctus.

INST. 1. Filius ideò Filius est, quia procedit ut similis in naturâ; intellectus autem assimilat in naturâ, si sit perfectissimus, qualis est divinus.

R. 1. non constare omninò utrum intellectus assimilet; nec utrùm producat terminum, saltem cum objectum est præsentissimum, ut est in Deo; ea quippe est ratio cur non detur species expressa in beatis.

R. 2. licet hæc supponantur, non propterea videbitur intellectus assimilare in naturâ; quia assimilat tantùm ex se intentionaliter, seu producit tantummodò speciem objecti repræsentativam; & proindè intellectus perfectissimus producit speciem objecti perfectissimam: non enim in alio genere assimilabit, quàm in illo, in quo assimilat; sic intellectus non vult, licet sit perfectissimus.

INST. 2. Intellectus perfectissimus perfectissimè assimilat, & proindè in naturâ; præsertim si terminus ejus non sit accidens: intellectûs autem divini terminus non est accidens, &c.

R. intellectûs divini terminum per se substantialem non esse, sed identicè tantùm; quia identificatur naturæ Divinæ: sic, cum terminus voluntatis divinæ sit pari jure identicè substantialis; quo jure Filius esset Filius, eodem jure Spiritus Sanctus videretur esse Filius.

De principio Processionum.

Duplex principium divinarum processionum distinguunt Theologi, *quo* & *quod*: Principium *quod* dicunt esse suppositum; principium verò *quo*, virtutem; principium *quo* iterùm subdistinguunt, in proximum, & remotum. De principio *quod* conveniunt omnes: de principio autem *quo* dissentiunt Theologi. Alii essentiam divinam, prout ab intellectu & voluntate distinguitur, pro principio *quo* processionum divinarum radicali constituunt: Imò & alii pro principio proximo; quia, inquiunt, Filius dicitur Filius naturæ: nam eodem cum proportione modo ratiocinandum est de fœcunditate Dei, ac creaturarum: creaturæ verò fœcundæ non sunt ex eo quòd intelligant aut velint; cum per actiones immanentes non producatur terminus: sed ex eo quòd sint naturæ.

Sed gravibus difficultatibus hæc opinio implicatur: quia Spiritus Sanctus æquè Filius esset, ac Verbum; procedit enim æquè similis in naturâ, ac Verbum: & aliundè essentia Divina nec generat, nec generatur ex Conc. Later. 4. nec processionis divinæ modus ad creaturarum processionem accedit.

Undè hanc opinionem temeritatis incusant nonnulli; quia in Scripturis, quarum Verba sensu proprio sunt usurpanda, Filius vocatur Verbum propriè, & Spiritus Sanctus amor: Et ideò volunt intellectionem & volitionem esse principium *quo* proximùm divinarum processionum.

Sed hæc etiam sententia difficultatem patitur: tùm quia tribus personis intellectio & volitio sunt communes: tùm quia intelligentes naturæ, quatenùs intelligunt & volunt, non censentur fœcundæ; sed quatenùs sunt naturæ; tùm deniquè quia principium *quo* à terminò rea-

liter distinguitur; principium enim *quod* à suo termino distinguitur per principium *quo*, juxta illud Philosophorum axioma, *propter quod unum quodque tale & illud magis tale*: Divina verò intellectio à Filio non distinguitur, nec volitio à Spiritu Sancto.

Verùm isti respondent intellectionem quidem & volitionem essentiales, tribus personis esse communes; non autem notionales: & licet personæ non intelligantur fœcundæ, quâ intelligentes; nihilominùs tamen intellectionem & volitionem esse principium *quo* proximum; quia agens non dicitur fœcundum secundùm principium *quo* proximum, sed secundùm remotum, naturam scilicet. Licet etiam, inquiunt, principium *quod* à reproductâ per principium *quo* distingueretur realiter; intellectio verò non distingueretur à Filio secundùm se: attamen ipsa distingueretur per Paternitatem sibi adjunctam. Neque semper verum est illud axioma *propter quod unum quodque tale, & illud magis tale*: Nam ex Philosophis & Theologis, qui species admittunt, per impressas cognoscuntur objecta; nec tamen, ex eorum consensu, ipsæ cognoscuntur species impressæ.

At in quonam discrepant intellectio notionalis, & essentialis? sunt ne actus duo, aut duæ perfectiones distinctæ? numquid intellectio notionalis communis non est tribus personis, sicut essentialis? cum terminus ille notionalis intellectioni nihil reale addat, & intellectio naturam divinam absolutè sequatur; & proindè tàm, ut est in se, Filio & Spiritui Sancto communicatur intellectio, quàm ipsa natura divina. Quòd si intellectio in Patre propter adjunctam sibi paternitatem à Filio distingueretur, relationes se haberent ut conditiones: quod utique verum esse nequit comprobari, ut ex sequentibus palam erit. Ex Philosophis & Theologis species impressæ non cognoscuntur quidem; quia non ideò cognoscuntur objecta per species, quòd cognoscantur ipsæ; sed quòd objecta optimè exhibeant: nec illo axiomate physico, tanquam inconcusso nitimur; sed ut principia, de quibus agimus, impervia esse rationi ostendamus; cum eâ in re sibimet ipsi adversetur ratio.

Nec forsàn volitio est Spiritûs sancti principium *quo*; licet Spiritus sanctus dicatur amor. Quamvis enim Theologi de hoc conveniant, nempè Spiritum sanctum amorem dici; non tamen consentiunt volitionem esse principium *quo* Spiritûs sancti. Potest etiam amor specialem ordinem habere ad volitionem, ut ad conditionem; non ut ad principium *quo*: vel forsàn Spiritus sanctus dicitur amor; quia producit amorem, & sic per appropriationem.

Volunt alii processionum principia esse relationes; cum per paternitatem in esse principii v. c. Pater constituatur: nam generare non omnibus personis convenit, sed ad solum Patrem pertinet; & Filius non est Filius, nisi quâ genitus à Patre, ex S. August. lib. 6. de Trin. cap. 2.

Respondent verò multi relationes non esse principia, sed tantùm conditiones; quòd agendi principia non sint relationes. Deindè, inquiunt, individuum quâ individuum, seu Socrates quâ Socrates, non generat; sed natura ipsa principium est generationis: relationes autem in divinis

sunt instar individuationis in humanis : sublatâ enim relatione, oppositio tollitur; & proindè distinctio. Ex quo consequens est relationes divinas non esse divinarum processionum principia.

Difficultates etiam involvunt istæ rationes; quia, cum per solam paternitatem distinguatur Pater à Filio; hæc non modò se haberet instar conditionis, sed etiam principii.

At, inquiunt, debet esse aliquod fundamentum relationis inter Patrem, & Filium; illud autem est principium *quo*.

R. relationem creatam accidentalem indigere fundamento; non verò essentialem; quia hæc est aliquid primum in re : sic nullum est fundamentum relationis inter potentiam & actum. Undè hoc fundamento non indiget divina relatio.

Quamobrem satius mihi videtur fateri nobis esse ignota hæc omnia, utpotè abstrusa, & non revelata. Nec mirum profectò; si enim pleraque nos lateant, præsertim cum nobis naturaliter non sit notum Mysterium; potiori jure nobis ignotus est modus à Deo non traditus. Timerem, si scrutarer ulteriùs, ne mihi vitio verteretur, quod ex S. Irenæo retulimus, videlicet obstetricum vices gerere, qui modos illos, Deo non revelante, inquirunt. Neque necesse est definire illa principia ad solvendas hæreticorum objectiones: cum enim totum sit fidei mysterium; cum adversariis est expendendum quid de illo sit traditum, & nihil ultrà : si enim ex rationibus illis mox adductis, vel forsan validioribus quæ possent adinveniri, Mysterium ipsum impugnarent, colligerentque non ad fidem pertinere, quòd tàm nutantibus principiis niteretur; non ità facilè comprimeretur adversariorum pertinacia.

Opponunt constare Filium dici, Verbum; & Spiritum sanctum, amorem; & Verbum esse intellectûs terminum, & amorem, voluntatis. Igitur intellectus & voluntas sunt principium *quo* processionum. Undè Eccli. 24. v. 5. sic de se ipsâ loquitur divina Sapientia : *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam.* Quod autem ex ore prodit in Deo, per intellectum procedat necesse est. Quid enim aliud per os significaretur, quàm rei intellectæ expressio? Rei verò intellectæ expressio est terminus intellectionis. Idem esto judicium de Spiritu sancto, qui dicitur amor.

R. quidem ex Scripturis constare Filium dici Verbum; sed ratione nullâ subindicatâ, cur ità vocetur. Undè Verbi nomen à S. Basilio Spiritui sancto tribuitur, lib. 5. contra Eunom. ubi laudat verba hæc Ephes. 6. *Assumite gladium Spiritûs, quod est verbum Dei.* Sic pariter licet Spiritus dicatur amor, non ideò voluntatis est terminus; ac ideò fortasse dicitur amor, quia producit amorem. Nec etiam amor propriè videtur esse voluntatis terminus; sed pondus, quo in rem amatam ferimur. Ex verbis autem Eccl. nihil colligitur; cum & de Spiritu sancto pariter dicatur Psalm. 32. *Verbo Domini Cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Vndè cum de Spiritu sancto hæc verba Theologi soleant intelligere, sequeretur indè Spiritum sanctum pro principio,

cipio habere intellectum: & proindè argumentum, quod ex Eccl. loco conficitur, deducitur ex falso supposito.

ARTICULUS QUINTUS.

De Relationibus Divinis.

EXISTERE in divinis relationes non probamus: eas ab initio tractatûs supposuimus; unum tantummodò monemus, nempè relationes spectari, vel prout insunt, vel prout terminum respiciunt, seu secundum esse *in*, vel secundum esse *ad*.

CONCLUSIO. Relationes secundum esse *ad*, in divinis sunt reales.

Prob. 1. quia Personæ Divinæ in Scripturis nominibus relativis exprimuntur. 2. eâ ratione à se invicem realiter distinguuntur ex Concilio Tolet. 4. in confess. fidei, & ex Conc. Later. 4. sub Innoc. III. cap. *Firmiter*. Cum igitur realis relatio non fiat, nisi per entia realia; hinc relationes divinæ secundum esse *ad* reales sunt necessariò. Probationes, quas quæst. 2. art. 2. pro tribus in Deo personis attulimus, conclusionem istam evincunt.

OBJ. Ubi est relatio realis, ibi est dependentia: at in Deo dependentia non est.

R. illud tantummodò verum esse in relationibus, quæ à subjecto, cui insunt, diversæ sunt naturæ: in divinis autem eadem est natura, seu idem esse absolutum. Vndè ex S. Aug. lib. 5. de Trin. cap. 6. 8. & 9. quamvis diversum sit Patrem esse, aut Filium esse; non est tamen diversa substantia: neque hæc secundum substantiam dicuntur, sed secundum relativum; quod tamen relativum non est accidens, quia non est mutabile. Licet ergò, ubi relatio accidentalis occurrit, ibi sit dependentia; cum tamen relationes divinæ ejus non sint naturæ, profectò quæ de accidentalibus dicuntur, iis tribuenda non sunt; non enim subjecto adveniunt, cum sint per se subsistentes. Cæterùm quidam ex Patribus quæst. 2. art. 2. & 3. relati, speciem quamdam dependentiæ procedentis à principio, seu originis in personis agnoverunt: sed talis dependentia est valdè impropria.

INST. 1. Quod constituit, distinguit quoque: sed quod constituit, dat existere: per relationes autem secundum esse *ad* non existunt divinæ personæ: igitur nec constituuntur; & ideò non sunt reales.

R. quod constituit, ut v. c. in homine rationis principium, non dare semper existere. Vndè licet relationes divinæ tres in Deo personas constituant; per eas tamen non existunt personæ, sed per existentiam divinam absolutam, per quam existunt ipsæ relationes.

INST. 2. Si relationes sunt perfectiones reales secundum esse *ad*, Pater erit perfectior Filio; quia paternitatem habebit formaliter & identicè; Filius verò tantùm identicè, in quantum Deus est.

R. non ideò Patrem perfectiorem esse Filio; Filius enim habet filiationem, quæ est perfectio æquivalens paternitati.

Quæritur quot sint in Deo relationes reales?

R. quatuor esse, quia tot sunt relationes, quot exigunt duæ processiones: at duæ processiones postulant relationes quatuor, scilicet procedentis ad principium, & principii ad terminum procedentem. Sic quatuor sunt relationes oppositæ, nempè paternitas, quâ Pater ad Filium; filiatio, quâ Filius ad Patrem; spiratio activa, quâ Pater & Filius, tanquam unus spirator, ad Spiritum S. & spiratio passiva, per quam Spiritus S. ad Patrem & Filium refertur, tanquam ad unum spiratorem. Nec tamen est quaternitas in Deo, licet quatuor reales sint relationes; quia spiratio activa à paternitate & filiatione non distinguitur. In divinis enim non est distinctio, ubi non est relationis oppositio: at nulla intercedit relationis oppositio spirationem activam inter, & paternitatem; sicut nec inter eamdem spirationem, & ipsam filiationem; cum activa spiratio communis sit Patri & Filio. Undè S. August. lib. 5. de Trin. cap. 13. & Conc. Lugdun. sub Greg. X. cap. unico de summâ Trin. damnant eos, qui temerario ausu asserere præsumpserint Spiritum Sanctum à Patre & Filio, tanquam ex duobus principiis, non tanquam ex uno procedere: ità etiam Eugen. IV. in decreto unionis. Pater ergò & Filius non sunt duo principia Spiritûs Sancti, sed unum principium: & sicut Pater & Filius sunt unus Deus; ità & relativè ad Spiritum Sanctum sunt unum principium.

Spiratio activa relatio quidem est substantialis, quia à subjecto inhæsionis est independens; nec tamen personam constituit; quia personis jam constitutis inest, Patri scilicet, & Filio. Recensentur etiam relationes intelligentis & volentis ad objecta sua; sed in Deo intelligens, & objectum intellectum; volens, & objectum, in quod fertur voluntas, non differunt; quia Deus, cum seipsum intelligit, singula quoque intelligit; & cum seipsum amat, quælibet etiam amore digna diligit. Porrò autem non datur relatio realis ejusdem ad seipsum.

Opp. 1. Spiratio activa Patris realiter à spiratione Filii distinguitur; quia identificatur paternitati, quæ realiter à filiatione distinguitur.

R. spirationem activam Patris non distingui à filiatione, ipsi paternitati licet identificetur; quia utrique communis est spiratio activa. Quamvis enim identificetur paternitati divinitas; non proindè à seipsâ, prout est in Filio, distinguitur realiter; quia utrique communis est.

Inst. 1. Producentis & producti relationes realiter distinguuntur; spiratio activa est relatio producentis; filiatio verò est producti relatio.

R. relationes producentis & producti non distingui realiter, quandò non opponuntur, eidemque personæ conveniunt. Porrò autem spiratio activa, & filiatio non opponuntur, eidemque conveniunt personæ, ut dictum est.

Inst. 2. Generari, & spirari distinguuntur realiter: igitur generare, & spirare.

R. parem non esse rationem propter rationem mox allatam. Cæterùm in rebus creatis multa ejuscemodi occurrunt ex Philosophis repetenda.

Opp. 2. Quod est communicabile realiter distinguitur ab incommunicabili: at paternitas est incommunicabilis; activa autem spiratio est communicabilis: igitur paternitas, & activa spiratio distinguuntur realiter. Idem dixeris de filiatione, & spiratione activâ.

R. sufficere rationis distinctionem, aut saltem virtualem, ut communicabile, & incommunicabile simul sint in eodem, nec distinguantur realiter: nam v. g. in Patre paternitas, quæ est incommunicabilis, non distinguitur realiter ab essentiâ divinâ, quæ est communicabilis

---

ARTICULUS SEXTUS.

De Notionibus.

PER notionem aliud nihil intelligitur, quàm nomen per modum formæ aliquid significans, seu per modum proprietatis in abstracto sumptæ, per quam una persona ab aliâ secernitur: cujusmodi sunt paternitas Filiatio &c. Nomen illud fuit usurpatum à S. Basil. epist. 43. & à S. Aug. lib. 5. de Trin. cap. 6. & 7. Notiones habentur etiam pro characteribus, & propriis signis, per quæ persona dignoscitur; eo sensu sumuntur à Tert. cont. Prax. cap. 2. à S. Greg. Niss. lib. 1. c. Eunom. & S. Greg. Naz. orat. 37. ubi sic habet. *Mutua eorum relationis differentia, diversa quoque ipsis nomina procreavit.*

Concl. Quinque sunt admittendæ notiones, ut hæreticis responderi possit: Dum enim quærunt quomodò tres personæ, quæ sunt unus Deus, distinguantur; respondemus distingui proprietatibus, seu notionibus, quæ sunt Innascibilitas, Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, & passiva; quia tot sunt termini quibus Trinitatis Mysterium explanamus, personasque divinas à se invicem secernimus: sic in Patre occurrunt innascibilitas, & paternitas: ingenitus enim seu innascibilis dicitur Pater; quia non procedit ab alio; nec se habet instar Patrum nostrorum, qui ab aliis gignuntur. Tribuenda quoque est ipsi Paternitas; quia Pater est Filii. Filio etiam Filiatio ascribitur; quia verè generatur Filius. Pariter activa Spiratio Patri & Filio tribuitur; quia Spiritûs Sancti sunt principium. Tandem passiva spiratio Spiritui Sancto competit; quia spiratur.

Non sunt tot relationes, quot notiones; quia notiones oppositionem necessariò non dicunt. Posset absque hæresi hic numerus, vel augeri, vel minui; quia nihil indè contra fidem directè vel indirectè sequeretur: nihil etiam in Conciliis de earum numero fuit definitum; non tamen à Communi sententiâ esse recedendum judicavimus.

Obii. innascibilitas perfectio esse non potest; cum sit mera negatio: & aliundè satis intelligitur Pater non esse ab alio, cum Pater dicitur.

R. eam inferre perfectionem, quæ ad primæ in divinis personæ digni-

tatem spectat, seu negationem principii, à quo Pater procedat; & sic innascibilitas est quodammodò fundamentum paternitatis: nec sine innascibilitate Pater satis intelligeretur non esse ab alio; Patres enim nostri ab aliis gignuntur.

INST. Ut notio esse & dici possit, non sufficit eam esse fundamentaliter perfectionem: ideò enim improductivitas, seu non producere in Spiritu Sancto, foret notio sexta.

R. improductivitatem non esse nostro concipiendi modo fundamentaliter perfectionem. Nam licet in Deo ejusdem perfectionis sit producere & produci; id tamen vix in animum nostrum inducimus: longè enim apud nos præstat dare, quàm accipere.

INST. Quo jure innascibilitas in Patre admittitur; eodem jure inspirabilitas in Filio, & ingenerabilitas in Spiritus Sancto erunt dicendæ notiones.

R. id non esse necesse; quia inspirabilitas & ingenerabilitas non negant esse absolutè ab alio, sed tantùm secundum quid, nempè hâc vel illâ ratione: innascibilitas verò negat esse ab alio simpliciter & absolutè. Deindè cum secunda persona dicitur Filius, satis intelligitur per spirationem non procedere: ita etiam cum tertia persona dicitur Spiritus Sanctus, indicatur satis per generationem non generare. Undè supervacaneæ forent illæ notiones superadditæ. Insuper adinventæ fuerunt notiones, ut personarum naturam exponerent; simul & discrimen, quod inter eas intercedit, notarent: porrò id omne notiones assignatæ præstant; nullam scilicet personam Patre priorem, nullam posteriorem Spiritu Sancto in divinis existere: Proindè notiones aliæ forent supervacaneæ.

ARTICULUS ULTIMUS.

De Circuminsessione.

CIRCUMINSESSIO, quæ dicitur à Græcis περιχώρησις, est intima & perfecta inhabitatio unius personæ in alterâ: de quâ Christus Joan. 14. ità loquitur: *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est .... Pater in me manens facit opera.* Ex quo fit, ut personæ divinæ se invicem pervadant, & absque se invicem seorsim esse nequeant. Hinc ut art. 1, quæst. 2. vidimus, essentiæ divinæ in personis divinis consubstantialitatem repetunt antiqui, ut S. Ath. qui orat. 4. cont. Arianos ità circuminsessionem explicat, & ostendit quid ex eâ possit colligi: *Filium Germanum,* inquit, *è Patre esse non sentiunt; sed non ità est, ut illi arbitrantur, qui cum non censeant eum esse genuinum Filium, in Filium genuinum mendacia fingunt, cui soli competit illud dictum: ego in Patre & Pater in me: est enim Filius in Patre, quatenùs intelligere conceditur, eò quòd, quidquid est Filius, id universum sit proprium substantia Patris: veluti ex lumine proradiationem; & Fluvium ex fonte; ut, qui Filium videat, id videat quod est Patri suum ac proprium; ac intelligat, quod*

Filius sit; eam essentiam ex Patre esse; atque ità eum in Patre existere. Estque vice versâ Pater in Filio; eò quod id quod est Patri proprium ac suum, idipsum sit Filius; ut in radiis sol, mens in ratione, fons in flumine: atque ità quis videns Filium, videt id quod proprium est substantiæ Patris, & intelligit Patrem in Filio esse. Nam cum species Dei, Deitasque Patris essentia sit Filii; benè consequitur, ut Filius in Patre existere dicatur, & Pater in Filio. Ideòque meritò cum anteà dixisset: Ego & Pater unum sumus: subintulit ista: Ego in Patre, & Pater in me; ut identitatem divinitatis, essentiæ unitate demonstraret.

S. Hil. lib. 3. de Trin. ait quibusdam impossibile videri, ut quod in alterò sit, æquè idipsum extra alterum sit. Et reverà explicatu id admodum esse difficile dicit; sed tamen illud intelligi, ubi mente capimus quæ sit Patris, quæ Filii natura; scilicet Patrem esse æternum, immensum, immutabilem, ab æterno ex propriâ substantiâ Filium generasse, ratione tamen incomprehensibili: Filium pariter esse æternum, immutabilem; sicque Patrem & Filium esse in sese invicem; quia quidquid Patris est, præter paternitatem, est in Filio; & quidquid est Filii, præter filiationem, est in Patre; & uterque unum sunt.

S. Basil. epist. 43. exemplo catenæ rem illustrat, cujus extremum qui arripit, alterum extremum aliò trahit: ità sunt in sese invicem Pater & Filius & Spiritus Sanctus, ut neque à se invicem abscindi ac sejungi queant.

S. Dionis. lib. de divinis nominibus cap. 2. utitur exemplo plurium lucernarum, quarum lumina in unum ità conjunguntur, ut uno ac eodem fulgore splendescant: neque certè cujuspiam facis lumen ab aliis secerni posset; cum tota sint in totis sine mixtione temperata lumina. Aliud exemplum etiam alii adhibent, personarumque divinarum mutuam, ut ita loquar, permeationem ex vasis in vase, aut corporis in corpore ductâ similitudine delineant: quas, & alias illustrationes, ubi de consubstantialitate ex primorum seculorum patribus, & ex SS. Ath. Hil. Greg. Naz. Aug. collegimus.

His autem rationibus confirmari potest personas divinas secundùm essentiam, originem, & relationem, & secundùm se totas, esse in sese invicem. 1. Secundùm essentiam, cum in eà identificentur, & in tribus una sit eademque essentia. 2. Secundùm originem, quia principio suo inexistunt. 3. Secundùm relationem; cum nulla sit relatio, quæ cum naturâ divinâ non identificetur. Undè Ecclesia in hymno feriæ 2. ad laudes: *In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater.*

OPP. Oppositum quatenùs oppositum opposito suo inexistere non potest; sicut nec relatum suo correlato. At Paternitas & Filiatio sunt relationes oppositæ.

R. non posse quidem esse in se invicem sub eâ ratione, sub quâ opponuntur; sed secundùm essentiam, in quâ non opponuntur.

INST. Paternitas non potest esse in Filio; alioquin Filius diceretur Pater.

R. non esse Paternitatem in Filio per modum formæ, aut proprieta-

tatem spectat, seu negationem principii, à quo Pater procedat; & sic innascibilitas est quodammodò fundamentum paternitatis: nec sine innascibilitate Pater satis intelligeretur non esse ab alio; Patres enim nostri ab aliis gignuntur.

INST. Ut notio esse & dici possit, non sufficit eam esse fundamentaliter perfectionem: ideò enim improductivitas, seu non producere in Spiritu Sancto, foret notio sexta.

R. improductivitatem non esse nostro concipiendi modo fundamentaliter perfectionem. Nam licet in Deo ejusdem perfectionis sit producere & produci; id tamen vix in animum nostrum inducimus: longè enim apud nos præstat dare, quàm accipere.

INST. Quo jure innascibilitas in Patre admittitur; eodem jure inspirabilitas in Filio, & ingenerabilitas in Spiritus Sancto erunt dicendæ notiones.

R. id non esse necesse; quia inspirabilitas & ingenerabilitas non negant esse absolutè ab alio, sed tantùm secundum quid, nempè hâc vel illâ ratione: innascibilitas verò negat esse ab alio simpliciter & absolutè. Deindè cum secunda persona dicitur Filius, satis intelligitur per spirationem non procedere: ita etiam cum tertia persona dicitur Spiritus Sanctus, indicatur satis per generationem non generare. Undè supervacaneæ forent illæ notiones superadditæ. Insuper adinventæ fuerunt notiones, ut personarum naturam exponerent; simul & discrimen, quod inter eas intercedit, notarent: porrò id omne notiones assignatæ præstant; nullam scilicet personam Patre priorem, nullam posteriorem Spiritu Sancto in divinis existere: Proindè notiones aliæ forent supervacaneæ.

ARTICULUS ULTIMUS.

De Circuminsessione.

CIRCUMINSESSIO, quæ dicitur à Græcis περιχώρησις, est intima & perfecta inhabitatio unius personæ in alterâ: de quâ Christus Joan. 14. ità loquitur: *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est .... Pater in me manens facit opera.* Ex quo fit, ut personæ divinæ se invicem pervadant, & absque se invicem seorsim esse nequeant. Hinc ut art. 1, quæst. 2. vidimus, essentiæ divinæ in personis divinis consubstantialitatem repetunt antiqui, ut S. Ath. qui orat. 4. cont. Arianos ità circuminsessionem explicat, & ostendit quid ex eâ possit colligi: *Filium Germanum*, inquit, *è Patre esse non sentiunt; sed non ità est, ut illi arbitrantur, qui cum non censeant eum esse genuinum Filium, in Filium genuinum mendacia fingunt, cui soli competit illud dictum: ego in Patre & Pater in me: est enim Filius in Patre, quatenùs intelligere conceditur, eò quòd, quidquid est Filius, id universum sit proprium substantiæ Patris: veluti ex lumine proradiationem; & Fluvium ex fonte; ut, qui Filium videat, id videat quod est Patri suum ac proprium; ac intelligat, quod*

Filius sit; eam essentiam ex Patre esse; atque ità eum in Patre existere. Estque vice versâ Pater in Filio; eò quod id quod est Patri proprium ac suum, idipsum sit Filius; ut in radiis sol, mens in ratione, fons in flumine: atque ità quis videns Filium, videt id quod proprium est substantiæ Patris, & intelligit Patrem in Filio esse. Nam cum species Dei, Deitasque Patris essentia sit Filii; benè consequitur, ut Filius in Patre existere dicatur, & Pater in Filio. Ideòque meritò cum anteà dixisset: Ego & Pater unum sumus: subintulit ista: Ego in Patre, & Pater in me; ut identitatem divinitatis, essentiæ unitate demonstraret.

S. Hil. lib. 3. de Trin. ait quibusdam impossibile videri, ut quod in alterò sit, æquè idipsum extra alterum sit. Et reverâ explicatu id admodum esse difficile dicit; sed tamen illud intelligi, ubi mente capimus quæ sit Patris, quæ Filii natura; scilicet Patrem esse æternum, immensum, immutabilem, ab æterno ex propriâ substantiâ Filium generasse, ratione tamen incomprehensibili: Filium pariter esse æternum, immutabilem; sicque Patrem & Filium esse in sese invicem; quia quidquid Patris est, præter paternitatem, est in Filio; & quidquid est Filii, præter filiationem, est in Patre; & uterque unum sunt.

S. Basil. epist. 43. exemplo catenæ rem illustrat, cujus extremum qui arripit, alterum extremum aliò trahit: ità sunt in sese invicem Pater & Filius & Spiritus Sanctus, ut neque à se invicem abscindi ac sejungi queant.

S. Dionis. lib. de divinis nominibus cap. 2. utitur exemplo plurium lucernarum, quarum lumina in unum ità conjunguntur, ut uno ac eodem fulgore splendescant: neque certè cujuspiam facis lumen ab aliis secerni posset; cum tota sint in totis sine mixtione temperata lumina. Aliud exemplum etiam alii adhibent, personarumque divinarum mutuam, ut ita loquar, permeationem ex vasis in vase, aut corporis in corpore ductâ similitudine delineant: quas, & alias illustrationes, ubi de consubstantialitate ex primorum seculorum patribus, & ex SS. Ath. Hil. Greg. Naz. Aug. collegimus.

His autem rationibus confirmari potest personas divinas secundùm essentiam, originem, & relationem, & secundùm se totas, esse in sese invicem. 1. Secundùm essentiam, cum in eà identificentur, & in tribus una sit eademque essentia. 2. Secundùm originem, quia principio suo inexistunt. 3. Secundùm relationem; cum nulla sit relatio, quæ cum naturâ divinâ non identificetur. Undè Ecclesia in hymno feriæ 2. ad laudes: *In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater.*

Opp. Oppositum quatenùs oppositum opposito suo inexistere non potest; sicut nec relatum suo correlato. At Paternitas & Filiatio sunt relationes oppositæ.

R. non posse quidem esse in se invicem sub eâ ratione, sub quâ opponuntur; sed secundùm essentiam, in quâ non opponuntur.

Inst. Paternitas non potest esse in Filio; alioquin Filius diceretur Pater.

R. non esse Paternitatem in Filio per modum formæ, aut proprieta-

tis perſonalis; ſed per ſimplicem cum eſſentiâ identificationem: ad hoc autem, ut Filius eſſet Pater; eſſet neceſſe, ut Paternitas per modum formæ, & proprietatis perſonalis in eo exiſteret.

QUÆSTIO QUINTA.

De proceſſione Spiritûs Sancti.

ARTICULUS PRIMUS.

ERRORES.

CIRCA proceſſionem Spiritûs Sancti error primus eſt Eunomii; qui Spiritum Sanctum à ſolo Filio productum contendit: ſed hic error facilè refellitur, paucíſque ex SS. Baſil. Greg. Naz. & Niſſ. infrà confutabitur.

Gravioris autem momenti alter error eſt, qui Græcis quibuſdam tribuitur, Spiritum Sanctum ex Patre quidem procedere, at non ex Filio. Exarſit primùm contentio hæc tempore Michaëlis Cerularii Patriarchæ Conſtant. qui an. 1053. Romanam Eccleſiam ſcriptis oppugnavit, quemque Leo IX Pontifex doctè ac peritè confutavit.

In Lateran. Conc. 3. an. 1180. & in Later 4. an. 1215. res compoſita videtur; ſed reverà tunc Orientales Patriarchæ ex Latinis erant.

Michaël Paleologus an. 1261. Joanni Theodori Laſcaris Filio cujus tutor erat, imperium & oculos eripuit, & Conſtantinopolim à Latinis per annos 58. occupatam ſtratagemate recuperavit. Cum autem à Siciliæ Rege Carolo S. Ludovici fratre ſibi metueret; conciliando Gregorii 10. animo ſtuduit, quò ſibi tutum & integrum Imperium faceret. Undè tunc temporis nempè an. 1274. celebratum fuit Concilium Lugdunenſe, in quo Græcorum Præſulum legati, & ſummo Pontifici obſequium, & S. Spiritûs proceſſionem ex Patre & Filio fuerunt profeſſi. Sed plerique ex Græcis obſtitere, & inter alios Joſephus Conſtantin. qui Patriarchatum ideò deponere fuit coactus, ſuffecto in ejus locum Becco, qui 1. fuit erroris Græcorum acerrimus propugnator, deindè perlectis teſtimoniis, quæ ex Scripturâ & Patribus Nicephorus Blemides collegerat, Latinorum partes egregiè juvit. Ab Andronico autem Filio an. 1283. interemptus fuit ſimul & ſepulturâ privatus Michaël Paleologus, & Beccus exauctoratus, & Joſephus reſtitutus; ſicque diſſenſio longè gravior exarſit. Tandem Joannes Paleologus Imp. an. 1439. cum Patriarchâ Joſepho, & aliis inſignibus Græciæ Epiſcopis, Ferrarienſi ſeu Florentino Concilio interfuit, & pace compoſitâ in eandem cum latinis de proceſſione Spiritûs Sancti profeſſionem Græci conſenſerunt, habitis priùs eruditis, & quamplurimis diſputationibus; atque idem eſſe conſtitutum eſt, procedere Spiritum Sanctum.

per Filium, ut plerumque habent Patres Græci, aut ex Filio. Ab hâc fide non videntur defecisse Græci: licet enim Græcorum sententiæ in Florentino propugnator Marcus Ephesinus ab isto errore non discesserit; imò etiam contra Latinos librum ediderit; & quamvis eidem errori quidam in Græciâ forsan adhæreant, indè non est petendum, quæ sit Ecclesiæ Græcæ sententia; sed ex Conciliis, & ex fidei professionibus: nec ullum illius abdicatæ fidei publicum extat monimentum; imò Fidem Catholicam propugnavit Gregor. Constant. Episc. Josephi successor, & ex ejus mandato Georgius Scholarites.

ARTICULUS SECUNDUS.

Ex quo procedat Spiritus Sanctus? an ex Patre & Filio?

CONCLUSIO I. A Patre procedere Spiritum Sanctum apud omnes tùm Græcos, tùm Latinos Catholicos semper indubitatum fuit.

Prob. Nam Joan. 15. v. 26. *Qui à Patre procedit.* Item Rom. 8. & 9. Ideò in confutando Eunomio, qui solus à Patre non procedere Spiritum sanctum excogitarat, ut Spiritum sanctum solius Filii opus esse, & Filium creaturam eo præstantiorem assereret, non immorabimur.

CONCL. II. Ex Patre, & Filio Spiritus sanctus procedit.

Prob. 1. Qui est Filii Spiritus, à Filio infunditur, à Filio accipit, & mittitur; hic ex Filio procedit; non enim aliud in divinis est processionis argumentum. Singula hæc conveniunt Spiritui sancto.

1. Spiritus sanctus Filii Spiritus dicitur Rom. 8. v. 9. *Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Galat. 4. v. 6. *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra.* Ità dicitur Spiritus Patris, quòd item procedat à Patre. Math. 10. v. 20. *Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Rom. 8. v. 7. *Si tamen Spiritus Dei habitat in vobis.*

2. A Filio Spiritus Sanctus infunditur, accipit, & mittitur: Joan. quippè 20. v. 22. *Insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum.* Et Joan. 16. v. 13. *Non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur.* Hinc S. August. tract. 99. in Joan. sic habet: *Ab illo igitur audivit, audit, & audiet à quo est: ab illo est, à quo procedit. Et priùs audire, hoc est illi quod scire, & scire illi hoc est quod esse.* Item Joan. cap. 15. v. 26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Ac rursùm cap. 16. v. 7. *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos.*

3. Cum Græcis dissensio mota facilè componetur, si Patribus adhæreatur, quos seu Latinos, seu Græcos, in Conciliis Orientalibus & œcu-

menicis, Ephesino scilicet, Constantinop. 2. & 3. & Niceno 2. pro sinceris Fidei Catholicæ testibus, & interpretibus sequendis unanimi cum Latinis consensione Græcorum decessores laudarunt. Hi autem sunt ex Latinis SS. Julius & Felix Pontifices Romani, Hilarius, Ambr. August. Leo: ex Græcis SS. Athan. Basil. Gregor. Naz. Greg. Niss. Theophil. Cyril. Alex. Joan. Chrysost. Proclus. Ità in Ephesino act. 1. Sic etiam in 2. Constantinop. cap. 30. referente Calecâ; en verba: *In omnibus sequimur & Sanctos ac Doctores sanctæ Dei Ecclesiæ, Athanas. Hilar. Bas. Gregor. Theologum, Greg. Niss. Ambr. August. Theophil. Cyrill. Joan. Constantin. Leonem, Proclum, & omnia quæ in collatione 3. Latinè leguntur, & in eo quod συνοδικὸν dicitur, anathemati subjiciuntur quicumque memoratos illos Patres non recipientes, omnia, quæ ab iis dicta sunt, non profitentur.* Addit idem Caleccas: *Præcipuè verò S. Augustinum sanctæ & œcumenicæ Synodi, ut ex illarum constat 3. 6. & 7. præstantissimum Doctorem Ecclesiæ & sanctum prædicarant.* In 6. Synodo act.8. commendantur ut sancti & eximii viri, Ambr. Aug. Leo. Et in 7. ejusdem ponderis decernitur esse authoritas Athan. Cyrill. Ambr. Leonis, Aug. & aliorum, quorum doctrinæ deferendum est. Illi autem omnes Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere sentiunt, & profitentur. A Patribus Orientalibus, quorum præcipua est apud Orientales authoritas, initium ducimus.

1. Sanctus Athan. epist. 1. ad Serap. Spiritum S. à Filio procedere supponit; cum enim indè inferrent hæretici, Patrem esse avum, si ex Filio procedat Spiritus sanctus, S. Athan. eos non arguit, quòd ad Patrem solum Spiritûs sancti originem non referre Catholicos assererent; sed cum illis de fide Catholicorum conveniens, in id unum solummodò incumbit, ut eos ab ejusmodi quæstionibus removeat. Et in epist. ad Jovinianum cum Conc. Alex. damnat ut hæreticos, qui rebus creatis annumerarent Spiritum sanctum, & conditum fuisse per Filium assererent.

S. Bas. lib. 2. contra Eunom. qui Spiritum sanctum contendebat à Filio solo procreatum esse; Filium & Patrem sancti Spiritûs esse principium sic probat. 1. quia nihil oritur à Filio, quòd à Patre quoque non ducat originem: scriptum est enim Joan. 17. v. 10. *Mea omnia tua sunt, & tua mea sunt.* 2. quia à Patre, & Filio Spiritus sanctus oritur, tanquam ab uno principio, non tanquam à duobus. 3. quia nec à Patre, nec à Filio secernendus est Spiritus sanctus, cum ab Apostolo Dei, & Patris, & Filii dicatur Spiritus. Igitur sicut Patris, sic Filii est Spiritus; & proindè ab utroque procedit.

Si cum Græcis, quos impugnamus, idem sensisset S. Basil. Eunomium repulisset faciliùs, asserendo tantùm abesse, ut unius Filii Spiritus sanctus esset opus, quin nec à Filio, sed à solo Patre procederet. Item etiam lib. 5. cont. eumdem Eunom. probat Filium id esse respectu Patris, quod Spiritus sanctus respectu Filii: *Propterea & Dei quidem Verbum Filius est; Filii autem Verbum Spiritus.* Objicienti autem Eunomio, cur ergò Spiritus sanctus, cum à Filio procederet, non diceretur Filii Filius,

S.

S. Basilius non respondet Spiritum sanctum non esse Filii Filium, quòd nihil à Filio accipiat, sed à Patre tantummodò (quod proculdubiò respondere in promptu erat, & omnem removisset difficultatem) Sed, cum à Filio Spiritum sanctum procedere crederet, reponit ideò Spiritum sanct. non dici Filii Filium, *ne Trinitas Filios ex Filiis habere suspecta, ut est in hominibus, infinita putetur multitudo.* Addit etiam ejusmodi quæstiones non esse movendas, quare scilicet Spiritus sanctus, aut Filii Filius, aut imago non dicatur: eò quòd de illis nihil habeatur in Scripturis: talia autem inquirentes Saducæis comparat, qui resurrectionem negabant, quòd non exponeretur quâ ratione fieret. Probat insuper Apostolum clarè significasse per Filium procedere Spiritum sanctum, quandò eum Patris, & Filii æquè Spiritum esse dixit. Undè sic prosequitur: *Generat Deus, non ut homo: generat autem verè: & quod ex eo genitum est, est Verbum non humanum. Edit autem Verbum verè ex ipso, & emittit per os Spiritum, non qualis hominis est; quoniam nec os Dei corporale: ex ipso autem Spiritus, non aliundè.*

Eamdem veritatem profitetur S. Gregor. Niss. lib. 7. contra Eunom. *Porrò*, inquit, *idem nobis & de Spiritu sancto dicendum est, cujus in solo ordine differentia constituta est: nam ut Patri conjunctus est Filius, cum ex illo esse habeat; non tamen posteriùs extitit: sic etiam Spiritus sanctus proximè hæret Filio, qui solà cogitatione secundum rationem principii priùs consideratur productione Spiritûs. Nam temporum intervalla in illà vità, quæ seculum omne precedit, locum non habent; adeò ut detractà principii ratione, nullà re sancta Trinitas à seipsà dissideat.* Ergò sublatà ratione principii, nulla est in Trinitate differentia. Item ex Dydim. Alexand. lib. de Spiritu sancto, à Patre & Filio differt Spiritus sanctus; & ut se habet Filius ad Patrem; ità se habet Spiritus sanctus ad Patrem & Filium: ergò ab utroque Spiritus sanctus procedit.

Doctrinam hanc sic exponit S. Epiph. hær. 62. quæ est Sabellianorum: *Non alienus est à Patre, Filioque non alienus; verùm eâdem ex substantiâ, eàdemque divinitate, ex Patre & Filio, & cum Patre ac Filio subsistens semper Spiritus sanctus.* Et in hæresi 74. Pneumatomachorum, ait Spiritum sanctum à Patre & Filio procedere: *Jam verò cum Christus à Patre profectus, Deus videlicet à Deo credatur: & Spiritus à Christo, utpote qui ab utroque procedit, inquit, & hic de meo accipiet.* Et in brevi fidei expositione, Fidei Catholicæ formulam inserit, in quâ de Filio & Spiritu sancto ità constituit: *Filium verè à Patre genitum, & Spiritum sanctum à Patre Filioque non alienum.* Et in Ancorato: *Igitur Deus est à Patre, Filioque procedens Spiritus: cui mentiti sunt ii, qui de pretio subtraxerant.* Idem habet infrà his verbis: *Spiritus à Patre Filioque semper aspirat; neque creatus est Filius, neque creatus Spiritus sanctus.*

S. Cyrillus lib. 1. de adoratione sic ait de Spiritu sancto: *Est Dei, & Patris, & Filii, ille qui substantialiter ex utroque, nimirùm ex Patre per Filium profluit.* Et in responsione ad objecta Orientalium ad

anathematismum nonum: & assert. 14. Thesauri ità scribit: *Cum igitur Spiritus sanctus nobis immissus conformes nos Deo efficiat: procedat verò is à Patre & Filio: manifestum est ex divinâ essentiâ ipsum esse essentialiter in ipsâ, & ex ipsâ procedentem.; sicut & Spiritus qui ex humano ore procedit.* Item & alibi sæpiùs.

Circa annum 637. Maximus Abbas Martyr, qui tanta pro defendendo adversus Monothelitas dogmate Catholico passus est, eam fidem profitetur in epist. ad Martinum Presbyterum Cyprium.

2. Latinorum Patrum eadem fuit expositio fidei S. Hilar. lib. 2. de Trin. Spiritum sanctum à Patre & Filio procedere sic docet: *Loqui autem de eo non est necesse; quia de Patre & Filio authoribus confitendus est.* Lib. 12. in præclarâ oratione, quæ habetur ad finem operis, fatetur inprimis Spiritûs sancti ex Patre per Filium processionem sibi ignotam esse; deindè se eam fidem profiteri, & in eâ in Baptismo fuisse institutum: *Nam*, inquit, *ut in eo quod ante æterna tempora unigenitus tuus est, cessante omni ambiguitate sermonis, atque intelligentiæ difficultate, solum quod natus est manet; ità quòd ex te per eum sanctus Spiritus tuus est, etsi sensu quidem non percipiam; sed tamen teneo conscientiâ: in spiritualibus enim rebus tuis hebes sum.* Et infrà: *Ut quod in generationis meæ symbolo baptisatus, in Patre, & Filio, & Spiritu sancto professus sum, semper obtineam; Patrem scilicet te nostrum, Filium tuum unà tecum adorem, & sanctum Spiritum tuum, qui ex te per unigenitum tuum est, promerear.*

S. Ambr. lib. 1. de Spiritu S. cap. 3. *Si Spiritum dicas; & Deum Patrem à quo procedit Spiritus; & Filium, quia Filii quoque est Spiritus, nuncupasti.* Lib. de dignitate humanæ conditionis cap. 2. ait animam esse sanctissimæ Trinitatis imaginem, per intellectum, voluntatem, & memoriam: *Nam sicut*, inquit, *ex Patre generatur Filius, & ex Patre Filioque procedit Spiritus sanctus; ità ex intellectu generatur voluntas; & ex his item ambobus procedit memoria, sicut facilè à sapiente quolibet intelligi potest.*

S. August. epist. 66. ad Maximum sic scribit: *Patris & Filii est Spiritus.* Et infrà: *Sic à Patre Filioque procedit, ut nec à Filio, nec à Patre sit factus.* Item epist. 170. & 144. inter ea quæ fide inconcussâ sunt tenenda, ex Patre & Filio processionem Spiritûs sancti reponit. Lib. quoque 4. de Trin. cap. 20. hæc habet: *Demonstratur per congruam significationem non tantùm à Patre, sed à Filio procedere Spiritum sanctum: qui ergò à Patre procedit & Filio, ad eum refertur à quo natus est Filius.* Lib. etiam 5. cap. 14. docet Patrem & Filium esse Spiritûs sancti unicum principium. Similiter lib. 2. contra Maximinum Arianorum Episc. cap. 14. & lib. 15. de Trin. cap. 26. ait Spiritum sanctum Patris & Filii non dici Filium; quia ambo non generant; sed ab iis procedit. Idem pariter S. Leo epist. 93. cap. 1.

Non est ergò cur Patrum Latinorum cum Patribus Orientalibus in eamdem fidem conspirantium, authoritatem rejiciant quidam ex Græcis;

præsertim cum acceptam à prioribus fidem ad posteros transferant, & priusquàm circa materiam hanc, vel ullus fieret sermo, aut ulla quæstio moveretur, universalis Ecclesiæ doctrinam tradiderint à majoribus acceptam, ut à Tert. qui lib. contra Prax. cap. 4. sic loquitur: *Caterùm qui Filium non aliundè deduco, sed de substantiâ Patris, nihil facientem sine Patris voluntate, omnem à Patre consecutum potestatem; quomodò possum de fide destruere monarchiam, quam à Patre Filio traditam, in Filio servo? hoc mihi & in tertium gradum dictum sit, quia Spiritum non aliundè puto, quàm à Patre per Filium &c.* Et cap. 8. *Sicut tertius à radice fructus ex frutice; & tertius à fonte, rivus ex flumine; & tertius à Sole, apex ex radio; nihil tamen à matrice alienatur, à quâ proprietates suas ducit: ità Trinitas &c.*

3. His argumentis conclusio firmari potest. Ideò Filius ex Patre procedere dicitur, quòd Pater Filii fons & origo dicatur, ut colligitur ex S. Athan. orat. 2. & ex S. Basil. Hom. contra Sabellianos: quòd Filius sit ex Patris substantiâ, ut habetur in Symbolo Nicæno; & apud ipsum S. Athan. & alios: denique quòd Patris sit imago. At Filius pariter S. Spiritûs est fons & principium: dicitur Spiritus S. ex substantiâ Filii: item Verbum, & imago Filii &c. quemadmodùm videri potest apud S. Ath. tùm in lib. de humanâ naturâ susceptâ, tùm in orat 4. contra Arianos, tùm & in epist. 2. ad Serap. ubi ex his Christi verbis Joan. 16. v. 14. relatis, *Ipse me clarificabit, quia de meo accipiet*, tradit ex substantiâ Filii esse Spiritum sanctum, & omnia à Filio accipere. Eadem habet S. Cyrillus in commentariis in Joan. & in epist. ad Nestorium. Spiritus S. dicitur etiam imago Filii à S. Basil. lib. 5. adversus Eunom. Item quoque à S. Cyril. assert. 33. Thesauri, Spiritus sanctus dicitur Filii Spiritus. Igitur quo jure Filius ex Patre procedere ab ipsis Græcis SS. Patrum Orientalium discipulis asseritur, eodem jure à Filio Spiritus pariter procedere dicendus est; nisi diversas iisdem ex principiis conficere velint illationes: quod nihil aliud esset, quàm duplicem adhibere mensuram; alteram, quæ vera esset fidei tessera; aliam verò, quæ pro arbitrio fidem humanam constitueret. Quam duplicem in eâdem materiâ disserendi rationem abominabitur quisque propheticis oraculis imbutus.

4. Antiqua est hæc fidei professio, habeturque in Conc. Aquisgranensi, in Tolet. 3. in 4. & 6. & in aliis art. 4. mox adducendis, ubi de particulâ, *Filioque*, in Conc. Aquisgran. an 809.

5. Jam ex superioribus est observatum à SS. Gregor. Naz. Gregor. Niss. & Aug. lib. 7. de Trin. cap. 6. & lib. 15. cap. 26 nullam inter personas divinas occurrere oppositionem, nec proindè distinctionem, nisi quæ petitur ex relationibus. Ergò nulla esset Spiritum sanctum inter, & Filium differentia, si sanctus Spiritus à Filio non procederet: nulla enim inter eos esset relatio, quæ in origine fundatur, seu in eo quòd una persona ex alterâ procedat.

Opp. 1. Quaslibet ex codicibus sacris, & ex traditione collectas authoritates ad propositum non facere; cum in illis de æternâ processione

non agatur, sed de solâ missione temporali.

R. pertinere authoritates suprà laudatas non tantùm ad temporalem Spiritûs sancti missionem, sed ad æternam illius processionem, ut vel legenti compertum fit. Prætereà missio in tempore processionem arguit, ut mox retulimus ex SS. Patribus.

INST. Si hæc designarent certò Spiritum sanctum à Filio procedere, non licuisset negare Spiritûs sancti principium esse Filium; quod tamen Catholici viri & eruditissimi negarunt; nec istud eis vitio versum est. Dixerat quippè S. Cyril. in anathematismo 9. Filium esse Spiritûs S. principium: hoc verò negavit Theodoretus in confutatione illius anathem. & addidit esse quidem Filium Spiritûs sancti principium, utpotè consubstantialem, & ex Patre procedentem; non verò quòd à Filio, aut per Filium existentiam habeat; quod asserere, inquit, *blasphemum & impium est*. Quam doctrinam iterùm repetit in epist. ad Joan. Antioc. apud D. Cottelerium in monumentis Ecclesiæ Græcæ tom. 1. Ad illud porrò Theodoreti S. Cyrilus, imò & Concilia Ephesinum & Chalced. & Theodoreti hostes obmutuerunt; nec ulla fuit à Theodoreto retractatio postulata: & proindè S. Cyril. & comitiorum illorum Patres ratam habuerunt Theodoreti adversus S. Cyril. animadversionem; & sic blasphemam esse hanc propositionem, nimirùm à Filio Spiritum sanctum procedere. Eidem suffragatur sententiæ S. Damascenus lib. 1. de fide orthodoxâ, ubi sic loquitur: *Scire oportet nos non dicere Patrem esse ex aliquo; sed ipsum dicimus Patrem esse Filii: Filium verò non dicimus principium, neque Patrem; sed eum dicimus, & ex Patre eße, & Filium Patris. Porro Spiritum sanctum tàm ex Patre esse profitemur, quàm Patris appellamus Spiritum; sed eum Filii Spiritum non nominamus.* Et alibi quoque sic habet: *Sed & Filii, & Spiritus est; non tanquàm ex ipso, sed quòd per ipsum ex Patre procedat; solus enim Pater principium est.*

Prætereà ex Patribus jam laudatis plerique dicunt quidem Spiritum sanctum ex Patre procedere per Filium, sed non ex Filio: & proindè Spiritus S. non est dicendus procedere ex Filio, tanquàm ex principio originis immediato. Græci hoc utuntur fundamento, ut videre est in sess. 25. Conc. Florent. contenduntque non posse admitti hanc præpositionem, *ex Filio*, quòd præpositio hæc causam principalem designet.

R. 1. etiamsi Theodoretus tam pravè de S. Cyrillo sensisset; nihil indè roboris accederet contrariæ sententiæ: nam quæ adversus Sanctum Cyril. scripsit, tùm 5. tùm 6. Syn. quæ Græcis ipsis summæ sunt venerationi, rejecerunt. Qui etiam ex Græcis adversantur Latinorum sententiæ, Theodoreti verba repellere tenentur; cum probent Spiritum Sanctum existentiam habere per Filium, neget verò Theodoretus. Quid autem hoc in negotio voluerit Theodor. non est compertum: Solus Theodor. hanc propositionem S. Cyrillo vitio vertit; silet infensissimus ei Nestorius; silent Joan. Antioch. & qui Nestorio favebant, aut S. Cyrillo adversabantur. In Symbolo, quod Joannes Antiochenus cum Orientalibus S. Cyrillo per Paulum

Emissenum proposuit, nihil occurrit, quo Cyrilli sententia perstringatur aut revocetur. Non aliud igitur occurrit, nisi pravo sensu expositam fuisse S Cyrilli sententiam, & Theodoretum Eunomii errorem illi tribuisse. Negabat autem Eunomius à Patre procedere Spiritum Sanctum; ad quam sententiam visa sunt Theodoreto accedere verba S. Cyrilli, quæ ideo rejicit ut blasphema & impia: nullum quippè aliud extabat tunc temporis dogma de Spiritûs S. processione quod pro blasphemo haberetur, præter Eunomii doctrinam: neque enim hæc quæstio, an à Patre & Filio procederet Spiritus S. ad hæc usque tempora inter Catholicos mota fuerat; nec alias probationes adversus S. Cyrillum adducit Theodoretus, quàm quæ adversùs Eunomium afferri solebant. Theod. ergò propositionem interpretatus est eo sensu, ut assereret blasphemum esse docere Spiritum S. existentiam habere ex Filio, aut per Filium, nullâ Patris mentione factâ: *Proprium autem*, inquit, *Spiritum Filii si quidem ut ejusdem cum eo natura, & ex Patre procedentem dixit; simul confitebimur, & tanquam piam suscipiemus vocem: si verò tanquam ex Filio, aut per Filium existentiam habeat; hoc ut blasphemum & impium rejiciemus; credimus enim Domino dicenti, Spiritus qui ex Patre procedit.*

Utrum Spiritus S. procedat ex Patre & Filio, aut per Filium ex Patre, non expendit Theodoretus, nec de illâ quæstione disserit; sed in convellendo Eunomii errore, quem à S. Cyrillo scriptum injuriâ censebat, collocat omne studium; de quæstione verò, an ex Patre & Filio procederet Spiritus Sanctus, siluisse videtur; quia de dogmate illo, ut jam monuimus, nulla fuerat concitata controversia. Attamen si liceat ex Theodor. verbis conjicere, quæ fuisset ejus sententia, si de illâ quæstione aliquid statuendum fuisset; illum continuò eam in fidem, quæ Spiritum Sanctum ex Filio procedere, asserit, fuisse descensurum, argumento sunt ejus disserendi rationes, quæ habentur lib. 5. Hær. fabul. ubi probat Spiritum Sanctum ex Deo, & ex Patre habere existentiam, & Deum esse: ex Patre verò & Filio procedere nullatenùs negat. Imò innuit eum ex Filio, ut principio, procedere: adductis enim his Apost. verbis 1. Cor. 2. ℣. 10. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei*: ait solum Spiritum Dei nosse quæ sunt Dei: docet quoque Spiritum Sanctum habere existentiam ex Filio; & quam tribuerat S. Cyrillo Eunomii sententiam ità refellit. *Cum de ejus cognitione testimonium tulisset, ostendit etiam undènam habeat existentiam; nos enim,* inquit *Apost. non Spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est. Hâc ratione cum Patre & Filio illum semper conjungit; cum creaturâ autem nunquam conjunxit: non enim creaturæ partem illum esse novit, nec primam facturam nominat secundùm Arii & Eunomii & Macedonii blasphemiam.* Hinc fit compertum S. Cyrilli mentem non cæpisse Theodoretum.

Nec sanè cæteros Patres, ut & Concilia Ephesinum, & Chalcedonense, nec etiam ipsum Joan. Antioch. & reliquos Orientales ullatenùs fugiebat alienum esse Cyrillum à sententiâ blasphemâ, quam ei Theodoretus tribuerat: Nam cum Fidei suæ expositionem circa capita & dubia, quæ de

S. Cyrilli doctrinâ patiebantur, ad S. Cyrillum per Paulum Emissenum Episcopum transmittunt, ut vel sic incomperto fieret, quæ mens ejus esset; in eâ formulâ de Spiritûs Sancti processione ne verbum quidem habent. Undè colligere est Joannem Antioch. & reliquos Orientales existimasse de Spiritu Sancto Catholicè sentire S. Cyrillum, qui in epist. suâ ad Joan. Antioc. per Paulum Emissenum pacis legatum significat ex chartâ, seu expositione à Joan. missâ manifestum fieri, superfluam omninò fuisse dissentionem Ecclesiarum, & citra ullam causam motam fuisse. Inserit etiam ipse S. Cyrillus in medio & sub finem epist. Spiritum Sanctum procedere ex Patre: *Est autem*, inquit, *non alienus à Filio*, hoc scilicet exigente essentiæ ratione. Expostulat insuper in epist. suâ ad Eulogium Presb. suum Constantinopoli agentem, in quâ exponit quæ hoc in negotio egisset, ut quorumdam posset, qui ipsius verba in pravos sensus detorquebant, criminationes dispellere; vultque pariter tradi confutationes, quas adversùs Andream & Theodoretum pro capitibus suis scripserat. Quod argumento est S. Cyrillum, etiam post suam cum Joanne Antiocheno reconciliationem, à suâ sententiâ numquam discessisse; quin imò eam constanter propugnasse. Et verò cum Orientales & universa Ecclesia in duobus Conciliis Oecumenicis 4. & 5. post S. Cyrilli mortem, de Orthodoxâ Sancti Cyrilli doctrinâ convenerint; cumque à suâ de Spiritu Sancto sententiâ, ipsis non ignorantibus recesserit nunquam; sanè mentem ejus non ceperat Theodoretus: hæresim quidem impugnabat, sed quæ non esset Sancti Cyrilli. Adde Theodoretum in suâ epist. ad Sanctum Leonem Papam & alios, profiteri se cum Latinis Catholicè semper sensisse, nihilque adversus Sanctum Cyril. à tempore pacis inter Orientales & Sanctum Cyrill. motum fuisse. Ipsi autem compertum erat, & Latinos omnes, & S. Cyril. semper credidisse Spiritum Sanctum à Patre per Filium, aut ex Filio procedere.

In Chalced. Syn. qui Theodoreto infensi erant, ne verbum quidem de hâc blasphemiâ fecerunt; quia constabat de Theodoreti hallucinatione; cumque disputationis æstu abreptum imposuisse S. Cyril. hæresim, de quâ ne quidem cogitarat; ideò Sanctus Cyril. in propugnandâ fide omnem operam collocans, hanc objectionem prætermisit: noverat enim calumniam hanc facilè & ex se ipsâ dispulsum iri; & Catholicum dogma, quod non appetebatur, integrum esse permansurum. S. Damasceni verbis hæc adhiberi potest benigna interpretatio, scilicet eum negasse à Filio, tanquam principali principio, Spiritum Sanctum procedere, seu à principio, quod à se, & non ab alio producendi vim haberet; eam enim virtutem Filius divinus habet à Patre. Porrò autem si S. Damascenus Spiritum Sanctum à Filio non procedere existimasset, sed à solo Patre; non adderet, ut habetur in objectione, Spiritum Sanctum esse per Filium ex Patre: nam dicere Spiritum esse ex Patre per Filium, est docere dogma Catholicum, ut & Filium non esse principale principium, quia à Patre procedit: undè subjungit, *quia solus Pater principium est.*

Non est immorandum in eo quod ex Patribus laudatis objicitur, scilicet dixisse plerosque *per Filium* procedere Spiritum sanctum: nam propo-

sitiones *ex* & *per* idem significare sæpiùs pluribus probat ipse S. Basil. lib. de Spiritu sancto; & distinctionis, quæ fieret inter illas præpositiones, Eunomium & Aëtium authores esse. His autem rationibus nititur, ubi observavit natam indè quorumdam expostulationem, quòd in concionibus frequenter Deo gloriam per Filium in Spiritu sancto exhibuisset, & ex iis inducerent hæretici naturarum diversitatem. Sic enim Aëtius perperàm docebat, ubi dicitur de Patre, *ex quo omnia*; de Filio, *per quem omnia*, & de Spiritu sancto, *in quo omnia*; in Patre, Filio, & Spiritu sancto diversitatem naturæ denotari; cum *ex quo* designaret creatorem; *per quem*, ministrum & instrumentum; *in quo*, tempus & locum; & sic nihil aliud significare Spiritûs sancti vocabula, quàm designationem loci & temporis. Addit idem Sanctus Basil. cap. 3. ejusdem libri de Spiritu sancto, illud inter has propositiones ex philosophis deductum discrimen, in doctrinam Evangelicam simplicem & ignaram artificii ab illis hæreticis fuisse translatum. Probat posteà tres illas præpositiones in Scripturis aliud nihil significare, quàm trium personarum distinctionem; non verò varias naturas. Hinc de eodem Patre Rom. 11. *per quem*, & *ex quo*, dicuntur; & proindè *per quem*, nihil aliud, quàm *ex quo* designat; non verò ministerium: alioquin colligeretur Patrem divinum esse alterius ministrum. Præterea ibidem S. Basilius ait particulam *ex quo* de tribus personis æquo jure proferri; nempè de Filio Lucæ 8. ℣. 46. Joan. 1. ℣. 16. & cap. 16. ℣. 14. Ephes. 4. ℣. 16. Coloss. 2. ℣. 19. Item de Spiritu sancto, Joan. 3. ℣. 5. *Per quem* verò, & de Patre quoque dici, ut Isaïæ 3. Rom. 6. ℣. 4. 1. Cor. 1. ℣. 9. Gal. 4. ℣. 7. *In quo* similiter dici de Patre Ps. 70. & 88. Etiam præpositionem *per*, loco *ex*, usurpari, ut Genes. 4. ℣. 1. *possedi hominem per Deum* & 1. Cor. 7. homo dicitur esse per mulierem. Probat adhuc cap. 7. Scripturas, ubi de Filio agitur, has propositiones adhibere, *per*, *de*, *in*, cum de beneficiis à Christo acceptis habent mentionem. Idem habetur tùm in libris S. Gregorii Niss. Cont. Eunom. editis à Jacobo Gretsero; tùm & apud S. Ambr. lib. 2. de Spiritu sancto cap. 10. Et proindè ex illis præpositionibus nullum inter divinas personas discrimen potest repeti; præsertim cum illarum præpositionum usus promiscuè usurpetur, non modo in Scripturis, sed etiam à Patribus, uti constat ex authoritatibus Græcorum & Latinorum suprà adductis. Et certè, cum in capitibus, quæ adversus Conc. 7. ad Adrianum I. misit Carolus M. inter alia Concilio 2. Nicæno Galli vitio verterent, quòd Tharasius act. 3. Spiritum procedere per Filium asseruisset, hanc loquendi formulam patribus esse Familiarem, & proindè admittendam in responso ad Carolum tradit Adrianus: quod vel argumento est antiquos Patres, imò & recentiores indiscriminatim sumpsisse allatas jam præpositiones. Undè in Conc. Florentino Archiep. Nicænus sess. 25. demonstravit Græcos Patres hâc loquendi formâ fuisse usos, *ex Patre per Filium*, procedere Spiritum sanctum; Latinos verò, *ex Filio & Patre*, sæpius; nec inter se discrepare has loquendi rationes, sed tantùm specie tenus; nolle tamen Græcos hanc præpositionem, *ex*, in usum admittere; quòd apud eos causam principalem significaret. Græci posteà Paleologi Imp. jussu in-

ter se Synodos coëgerunt, & idem decreverunt: & Joseph Patr. Constant. ex Patrum consensu profert idem esse *per Filium*, & *ex Filio* procedere; sed tamen voce, *ex*, non usuros, nihilque se addituros esse Symb. testantur.

OPP. 2. Patrum illorum authoritates, qui, aut de Spiritûs sancti ex Filio processione ne verbum quidem habent, ut S. Athan. epist. 2. ad Serap. aut liberam opinandi rationem relinquunt, ut S. Hilar. lib. 8. de Trin. ubi sic habet: *Neque in hoc nunc calumnior libertatem intelligentiæ, utrum ex Patre, an ex Filio Spiritum Paraclétum putent esse.*

R. 1. SS. Athan. & Hilar. satis apertè Spiritûs sancti ex Filio processionem docuisse, quemadmodùm liquet ex anteà dictis.

R. 2. Sanct. Hilarium ibi totum in eo fuisse, ut ex illâ variâ intelligendæ Spiritûs sancti processionis ratione nihil contra Patris, & Filii substantiæ unitatem posse inferri ostenderet: *Nunc*, inquit, *non calumnior*; seu in hoc nunc temporis non hæreo, in impugnandâ scilicet opinandi libertate, quam sibi faciebant adversarii de Spiritûs sancti processione: licet autem de solâ Filii cum Patre probandâ substantiæ unitate vellet cum adversariis sermonem instituere: attamen ut Spiritûs sancti ex Patre & Filio processionem exponeret, scribit non in dubio relictam à Christo fuisse hanc doctrinam; cum Joan 16. ex Patre Spiritum sanctum procedere, & à Filio accipere, & mitti docuerit.

INST. Synodus Constant. 1. in Symbolo, Spiritui sancto cum Patre & Filio communem deberi adorationem definit; & Patrem singulare illud habere, quòd ex ipso Spiritus sanctus procedat. Igitur Spiritus sanctus procedere à Filio tunc non credebatur: nec enim id siluisset Concilium ob hæreses contra Spiritûs divinitatem coactum.

R. Ideò de eâ quæstione silet Concil, quia tunc temporis de illâ non movebatur controversia: & quia Macedoniani adversus Spiritûs sancti divinitatem pugnabant; ideò Spiritum sanctum cum Patre & Filio, ut qui cum illis esset unus Deus, adorandum esse decernit. Inserit tantùm hæc Christi verba Joan. 15. ℣. 26. *Qui à Patre procedit*: & Eunomii à Filio solo Spiritum sanctum creari asserentis hæresim damnat, ac conficit.

OBJ. ult. Si Spiritûs sancti Filius sit principium; vel numero erit idem cum Patre principium; vel specie: si primum; ergò non erunt duæ personæ, sed una: si secundum; ergò erunt duo numero principia.

R. Licet Pater, Filiusque sint unum & idem numero vel specie Spiritûs sancti principium (si verbis illis uti liceat, ubi de Deo agitur) non proindè una erit numero persona; quòd nimirùm spiratio activa in Patre, & Filio personalis non sit; verùm utrique communis, habeantque Pater & Filius proprietates alias, quibus constituuntur in ratione personæ: nec enim ex unitate principii unitatem personarum colligere licet; alioquin cum rerum creatarum sit unicum principium, unica quoque in Deo foret persona. S. August. lib. 5. de Trin. cap. 14. *Fatendum est*, inquit, *Patrem, & Filium principium esse Spiritûs sancti, non duo principia; sed sicut Pater, & Filius unus Deus, & ad creaturam relativè*

unus

unus creator, & unus Dominus; sic relativè ad Spiritum sanctum unum principium. Concilium Lugdun. sub Gregor. X. cap. unico de summâ Trinitate hæc habet: *Fideli ac devotâ professione fatemur, quòd Spiritus sanctus æternaliter ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio: non duabus spirationibus, sed unicâ spiratione procedit.* Ibi damnat eos, qui à duobus principiis, ex Patre nempè & Filio Spiritum sanctum procedere traderent. In Concilio Florentino cum Latinos incusarent Græci, quòd in Trinit. agnoscerent duo principia, in ultimâ sessione ità definitum fuit: *Quòd Spiritus sanctus ex Patre, & Filio æternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul & Filio, & ex utroque æternaliter tanquàm ab uno principio, & ab unicâ spiratione procedit.*

Inst. Ex S. Hilar. lib. 2. de Trin. Pater & Filius sunt Spiritus sancti authores: igitur & duo principia.

R. Patrem & Filium dici Spiritûs sancti authores adjectivè; non verò substantivè; quia Pater & Filius per unam & eandem virtutem producunt Spiritum sanctum. Undè Pater & Filius dici possunt duo spirantes, non duo spiratores, aut duo principia; quia unica est spiratio, quæ se habet per modum formæ: indè etiam, licet tres personæ divinæ sint tria supposita, unum tamen dicuntur creaturarum principium; quia unica in tribus est omnipotentia & divinitas: sicque cum una sit in Patre & Filio spiratio activa, debent quoque dici unum principium.

Inst. Vel productio, quâ Spiritus sanctus à Patre procedit, perfecta est, vel non: si primum; ergò supervacanea est illa, quæ Filio tribuitur: si secundum; ergò imperfectum aliquid à Patre oritur.

R. falsò fundamento istud argumentum niti; quia nempè duplex supponit principium, ex quo Spiritus sanctus procedat. Deindè sic quæri posset num perfecta sit mundi productio, quâ creatur à Patre; & proindè num Filii, & Spiritûs sancti frustranea sit operatio? Cum autem cavillatoria esset hæc quæstio, ità & inanis est altera. Prætereà Filius quà Filius, formaliter Spiritum sanctum non emittit; sed quà spirator, & per spirationem activam à Spiritu sancto distinguitur.

Quæritur num si à Filio non procederet Spiritus sanctus ab eo esset distinctus?

R. non iri distinctum; quia personarum distinctio ex relationibus oppositis oritur; sublatis enim relationibus non multiplicantur personæ, nec à se invicem discrepant, ut docent Concil. Tolet. SS. Greg. Naz. & Niss. & alii mox laudati. Relationes autem illæ debent esse oppositæ, non disparatæ tantùm; alioquin paternitas, & spiratio activa distinctas personas constituerent. At nisi Spiritus sanctus à Filio procederet, non essent inter eum & Filium relationes oppositæ; quippè quæ ex processione, seu ex origine manent: ergò &c.

Opp. 1. S. Anselmus fidei catholicæ adversus Græcos eximiùs defensor in lib. de Spiritûs sancti processione cap. 3. & 4 docet varias personas per variam procedendi rationem constitui, & Spiritum sanctum

à Filio alium esse; quia existit à Patre procedendo, non verò nascendo; ut Filius; hæc sunt ejus verba: *Habere utique à Patre esse Filium, & Spiritum sanctum, sed diverso modo; quia alter nascendo, alter procedendo.... & ideò cum nascitur unus, non potest cum eo nasci ille, qui per hoc alius est ab eo: quia non similiter nascitur, sed procedit: & cum unus procedit, nequit ille procedere simul, qui per hoc est alius ab illo; quia non similiter procedit, sed nascitur: & ideò non habet hic unitas illa vim consequentiæ; quia pluralitas obviat, quæ ex nativitate nascitur & processione: nam etsi per aliud non essent plures, Filius & Spiritus sanctus, per hoc solum essent diversi.*

R. hanc S. Anselmi non fuisse mentem, cum cap. 2. Axioma receptum docuerit, nempè solam relationis oppositionem inter personas divinas discrimen facere: *Suprà dicta*, inquit, *relationis oppositio, quæ ex eo nascitur, quia supradictis duobus modis Deus de Deo est, prohibet Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum de invicem dici: & propria singulorum aliis attribui. Sic ergo hujus unitatis, & hujus relationis consequentiæ se temperant; ut nec pluralitas, quæ sequitur relationem, transeat ad ea, in quibus prædicta simplicitas sonat unitatis: nec unitas cohibeat pluralitatem, ubi eadem relatio significatur: quatenùs nec unitas amittat aliquandò suam consequentiam, ubi non obviat aliqua relationis oppositio; nec relatio perdat quod suum est, nisi ubi obsistit unitas inseparabilis.* Quod autem sepositâ relationis pluralitate personas distingui asserit; non ideò statuit relatione disparatâ constitui personam, sed à se invicem distingui; quatenùs una oppositio alteri respondet. Quibus relationibus positis una persona refertur ad aliam, sicut & ab eâ procedit.

OPP. 2. Quod rem in esse constituit, eam à quocumque alio distinguit. At per spirationem passivam Spiritus sanctus in suo esse constituitur. Igitur etiam à quovis alio, ideòque à Filio distingueretur, licet ab eo non procederet; Sicut etiam à Spiritu Sancto Filius nunc realiter distinguitur, licet ab eo non procedat: Ergò in hypothesi factâ Spiritus S. distingueretur realiter à Filio.

R. rationem alicujus rei constitutivam in esse, eo modo esse distinctivam, quo est constitutiva. Undè si Spiritus Sanctus à Filio non procederet, in esse quidem virtuali Spiritum Sanctum constitueret spiratio passiva, sed non in esse reali, quo à Filio distinguitur. Licet verò Filius à Spiritu Sancto non procedat, tamen ab ipso distinguitur: quia Filiatio passivæ opponitur spirationi mediante spiratione activâ, cui identificatur, & cujus est radix: quamvis enim in suo formali conceptu spirationem activam non includit Filiatio, reverà tamen illam infert. In hypotesi autem factâ spirationi activæ non identificaretur Filiatio: Et sic Filius à Spiritu Sancto non distingueretur.

OPP. 3. A Filio solo licet Spiritus sanctus procederet, à Patre tamen realiter distingueretur. Igitur pariter à Filio realiter distingueretur, si à solo Patre procederet.

R. eâ in hypothesi quidem impossibili Spiritum sanctum originem sal-

tem mediatam à Patre habiturum fore; cum spirandi facultatem à Patre Filius accepisset; sicque saltem mediatè fore opponendum Patri: si verò à solo Patre procederet Spiritus sanctus, nec immediatè opponeretur Filio; proindèque ab eo non distingueretur.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum Symbolo Constantinopolitano Particulas, ex Filio, *addiderit Ecclesia Latina? Et an eas addere licitum fuerit?*

CONCLUSIO. Ecclesia Latina Symbolo illi nihil quidquam addidit.

Prob. 1. Quia Symbolum illud integrum & absque additamento servat & veneratur Ecclesia Latina; sed novum confecit his particulis insertis (*ex Filio*) jure suo usa: Cuilibet enim amplissimæ Ecclesiæ licet apertas fidei suæ formulas fidelibus proponere; præsertim cum dogma Catholicum rudiores in fidei formulâ non deprehendunt. Sic Conc. Constant. servato integro Synodi Nic. Symbolo novum & longè uberius edidit, seu in suo addidit, quæ in Nicæno non extabant. v. c. *Ex Spiritu Sancto: Ex Mariâ Virgine: Sedet ad dextram Dei: Cujus regni non erit finis: Unam sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam: Unum Baptisma in remissionem peccatorum: Resurrectionem mortuorum: & futuri seculi vitam.* Undè comparatione ductâ Latinam in Florentino Conc. firmatam additionem à Græcorum calumniis vindicat Josephus Methonensis in lib. pro Conc. Florent. relatis ex Apologiâ pro Conc. Chalcedon. verbis Maximi, qui pariter pro Concilii Chalcedon. definitionibus pugnans, argumentum colligebat ex œconomiâ Concilii Const. 1. Quod sibi nemine refragante liberum esse censuerat Symb. Nic. mox laudata verba inserere; aut potiùs illis additis novam (sicuti fecit) fidei formulam edere. Simile infert argumentum pro Flor. Conc. Josephus Methonensis, scilicet potuisse pariter ab Ecclesiâ Latinâ Constant. Symbolo aut quædam addi, aut uberiorem proponi expositionem: hæc sunt verba Maximi: *Post Nicænam Syn. à Deo lecti Patres, atque omnis Synodus orthodoxorum, sanctorumque Patrum, non aliam omninò fidei definitionem induxerunt eo ipso quo de suis verbis aliquid inserverunt, ut vos affirmatis strenue delirantes, & penitùs insanientes; sed ipsam ut primam & unicam à trecentis octodecim Patribus sanctam, firmam & ratam esse voluerunt, explicantes eam, ac velut apertius explanantes propter eos, qui illam ejusque dogma à pravis interpretationibus ad suam detorquent impietatem.* Igitur Symboli fieri potest uberior interpretatio, aut editio novi Symboli, ut novum aliquod dogma hæreticum contra verum Symboli sensum comprimatur.

Hæc fuit S. Anselmi adversùs Græcos pro Ecclesiæ Latinæ defensione

pugnantis responsio eo æquior, quòd contentionibus omnibus occurrat. Is enim lib. de processione Spiritûs S. cap. 22. Constant. 1. Syn an. 381. habitæ Symbolo nihil quidquam additum à Latinis fuisse scribit; sed novum aliud fuisse editum; quia ut habet à Constantin. Synodo editum integrum cum Græcis servamus & veneramur: *istud autem, quo frequentius in populi audientiâ utimur, Latino more dictatum cum additamento supra dicto edidimus. Quod autem quæritur, quare hoc Græcorum Ecclesiæ consensu factum non est; respondemus, quia & nimis erat difficile Latinis eorum Episcopos ad consulendum de hac re colligere, nec erat necesse; unde non dubitabant hoc in quæstionem adducere. Quæ est enim Ecclesia, quæ vel per amplitudinem unius regni dilatatur, cui non liceat aliquid secundum rectam fidem constituere, quod in conventu populi utiliter legatur, aut cantetur? Quantò ergo magis licuit Latinis hoc constanter proferre, in quo omnes gentes, & omnia regna, quæ Latinis utuntur litteris, pariter concordant.* Ideò autem addit Ecclesiam Latinam his particulis additis novum Symbolum confecisse, quòd quidam minùs perspicaces fidem Ecclesiæ universæ in Symb. Const. verbis non animadverterent, scilicet Spiritum sanctum ex Filio procedere; & quòd hinc dogma illud negandi occasionem quidam sumerent. *Quoniam igitur & necessitas cogebat, & nulla ratio prohibebat, & vera fides hoc admittebat; fiducialiter asseruit Latinitas quod credendum & confitendum esse cognoscebat: Scimus enim quod non omnia, quæ credere & confiteri debemus, ibi dicta sunt; nec illi, qui Symbolum illud dictavere, voluerunt fidem Christianam esse contentam ea tantummodò credere & confiteri, quæ ibi posuerunt. Ut enim alia taceam, non ibi dicitur Dominus ad infernum descendisse; quod tamen pariter & nos & Græci credimus. Si autem dicunt nullomodo debuisse corrumpi Symbolum tantâ authoritate taxatum; nos non judicamus esse corruptionem, ubi nihil addimus quod his, quæ ibi dicta sunt, adversetur.* S. Anselmi sententiam quicunque attentiori mente ponderarit, procul dubio ut veram & aptissimam, quâ Græcorum objurgationes comprimantur, existimabit.

Tandem illius responsionis soliditas eò clariùs elucescet, quòd eadem fuerit SS. Athanasii, & Episcoporum Ægyptiorum, SS. Basilii, Gregor. Naz. & Epiphanii responsio art. ultimo exscribenda, ubi quæremus an Spiritûs sancti divinitas fuerit in Concilio Nic. definita.

Opp. 1. ab Ephesinâ Syn. act. 6. prohibitum fuisse, ne quid Symbolis adderetur: cum enim expositio Nestoriana à quodam Carisio Philadelphis Presbytero oblata fuisset, *Statuit Concilium nemini licere alteram proferre fidem, vel conscribere, aut componere, præter eam, quæ definita est à Sanctis Patribus Nicææ congregatis cum sancto Spiritu; qui autem ausi fuerint aut componere fidem alteram, aut proferre, vel offerre converti volentibus ad agnitionem veritatis, sive ex gentilitate, sive ex qualicumque hæresi; hos quidem si sunt Episcopi, aut Clerici, alienos esse Episcopos ab Episcopatu, & Clericos à Clericatu decrevit: si verò Laici fuerint, anathemati subjici.* Igitur Ecclesiæ Latinæ non licuit novum Symbolum conficere, additis illis particulis, *ex Filio.*

R. de novis fidei formulis, quas ederent Ecclesię amplæ adversus novitates, prohibendis non cogitasse Patres Ephesinos; cum decessorum, nempè Constant. primi Episcoporum, vestigiis insistentes, adversus Nestorianam novas sanctiones confecerint; pariterque omnes fermè subsequentes Synodi hæreticas novis decretis compresserint innovationes. Nihil igitur aliud sancivit Synodus Ephesina, quàm privatis hominibus non licere nova symbola, præsertim doctrinæ catholicæ adversa conficere, cujusmodi erat Nestoriana Carisii formula; vel etiam cum nulla urget necessitas. In Latinâ verò Ecclesiâ Symbolum, cui verba fidesque sunt inserta, non est privati cujusdam viri opus, nec catholicæ fidei adversatur; sed est dogma catholicum, & Ecclesiæ Latinæ consentientis definitio.

Hic usus in Ecclesiâ invaluit, ut qui ab hęresi ad unitatem catholicam transirent, non solam in Symbolo contentam fidem profiterentur, sed simul erroris sui singularem proscriptionem adderent.

INST. 1. In Concilio Ephesino non tantùm prohibitum est, ne à privatis fieret Nicęnæ fidei contraria expositio, sed absolutè, ne vel à Synodis, aut Ecclesiis amplissimis, etiamsi urgeat necessitas, nova edatur expositio fidei prioribus in Conciliis jam expositæ; vel ne illis Symbolis aliquid inseratur: Ità intellexit Chalcedonense Conc. act. 2. Cum enim Judices omnem ambiguitatem è Symbolis amoveri, puramque fidei expositionem fieri postularent, clamaverunt Episcopi expositionem fieri non posse; regulam esse, quæ aliam expositionem fieri prohiberet; & symbola Conciliorum Nicæn. & Constant. legi jubent. Idem pariter sanciunt Concilium quintum in collatione 6. & Concilium sextum act. 18.. Et verò si licuisset addere quiddam illis symbolis, quo aut fides uberiùs exponeretur, aut subortæ proscriberentur hæreses; Patres Ephesini inseruissent facilè Symbolo Constantinop. adversus Nestorium, vocem *Deiparam*; & Chalcedon. adversus Eutichetem, *Christum esse ex, & in duabus naturis &c.* Sed intacta illa symbola esse servanda censuerunt: ideòque absque ejusmodi additionibus damnarunt hæreticas Nestorii & Eutichetis novitates. Non ergò fuit, cur Latini voces illas *Filioque* Symbolo Constantinop. insererent; aut illis insertis conficerent novum Symbolum. Undè in epist. de pace S. Cyrilli Alex. ad Joan. Antioch. in Chalced. Concilio lecta & probata legitur: *Non patimur ut concutiatur fidei symbolum à Patribus Niceæ conditum: nec enim, aut nobis, aut aliis unam omninò voculam ibi positam immutare, vel unam syllabam preterire permittimus, memores ejus, qui dixit, ne transferas terminos antiquos, quos posuerunt patres nostri: non enim loquebantur illi, sed Spiritus Dei Patris.*

R. novas fidei expositiones, quæ fierent à Synodis, aut ab Ecclesiis, adeò non prohibuisse Concilium Ephesinum; quin imò novam fidei definitionem adversus Nestorium protulit, & adversus Eutichetem Chalcedonense, & Constinop. tertium adversus Monothelitas: nec cogitasse Ephesinos, aut Chalcedonenses de prohibendis additionibus illis, seu ne quid

ad Catholicam fidem apertiùs exprimendam Symbolo novo constituatur. Cur enim in eam mentem venissent? cum nihil Symbolis Nic. & Constantinop. additum ad hæc tempora fuisset; sed novum à Patribus Constant. editum fuisset Symbolum. Quid ergò ex ipsorum proposito elucescit? Carisius vir privatus erroneam fidei expositionem offert Concilio Ephesino: ejusmodi fidei professiones damnat Synodus à privatis tentatas, & adversas fidei, aliaque Patres nolunt proponi dogmata, quàm quæ in Conciliis Catholicis superioribus, Nicæno scilicet & Constantinopolitano, probata fuissent. Illam adversus synodica decreta esse debere reverentiam fatemur, ut intacta serventur, nulloque immutentur additamento, quamvis facili, quamvis ad convellendas hæreses idoneo. Nec ab Ephesinis & Chalced. Patribus immutatæ fuerunt Nicænæ & Constantinop. formulæ. Nullam pariter immutationem in Symbolo Constant. à Latinis fuisse factam contendimus. Quid igitur fuit præstitum? Explicitis utriusque Concilii, Ephesini & Chalcedonensis definitionibus, Nestorii & Eutichetis doctrinam hæreseos damnarunt. Occidentalis similiter Ecclesia, novo Symbolo confecto, his particulis, *Filioque*, additis, ampliori expositione proposuit, quod in Symbolo Constant. implicitè continebatur: cum enim diceretur Spiritus S. in illo Symbolo ex Patre procedere; implicitè saltem intelligebatur procedere ex Filio; quia scilicet quæ Patris sunt, Filii sunt. Abstinuit adeò Ecclesia Latina ab immutando Symbolo Constantinop. ut illud integrum continuò servarit; palàm conscribi, & postmodùm typis edi curarit; nec Græcis, aut aliis vitio verterit unquam, quòd illud Constantinopol. Symbolum intactum servarent.

I n s t. 2. Non licet per modum glossematis verba quædam scripturis inserere; quia Dei verbum est fidei regula: nihil ergò pariter Symbolo inseri potest; alioquin genuinus Patrum & Conciliorum sensus periclitaretur. Nam quisque Patrum definitionibus posset pro arbitrio suo adjicere, illasque immutare.

R. Scripturis nihil addendum esse, Deut. cap. 4. v. 2. & cap. 5. v. 22. nihil etiam licere in monumentis traditionis immutare; quia fidem ab Apostolis acceptam referunt. Nihil verò ab Ecclesiâ Latinâ in Symbolo Constantinop. mutatum fuit; sed aliud paucis additis fuit confectum, & uberiorem fidei expositionem proponere semper licuit Ecclesiæ, & licebit.

I n s t. 3. Recens est illa excusandæ Ecclesiæ Latinæ ratio: censebantur enim Latini Concilio Constantinop. addidisse verba illa, *Filioque*. Hinc Leo III. additionem illam Symbolo Constant. factam improbavit, & Caroli Magni legatorum supplicatione nunquàm potuit induci, ut illam probaret; imò ut quàm alieno ab illâ additione esset animo testaretur, in argenteam laminam Symbolum Constant. absque adjectione ullâ incidi, simulque juxta Petri corpus reponi jussit, ex Magist. Sent. lib. 1. dist. 11. Et an. 809. Synodo Aquisgranensi per legatos suos declaravit, molestè se ferre talem Symbolo factam additionem; & quòd cum tali

additione cantaretur in Ecclesiis. Leo III. in actis Smaragdi apud Syrmundum tomo 2. Conciliorum Galliæ, & apud Baron. ad an. 809. ità respondit Bernario & Jesse Episcopis, & Abbati Adalardo legatis: *Cum enim urgerent legati, numquid non benè tùm authores* (Synodi Constantinopolitanæ Patres) *fecissent, si quatuor tantùm addendo syllabas, tàm per necessarium fidei sacramentum cunctis deindè seculis perspicuum redderetur?* Respondet Papa piè & prudenter: *Sicut non audeo dicere, non benè fecisse, si fecissent: quia procul dubiò sicut cætera, quæ vel omiserunt, sciences utique & non tam humanâ, quàm divinâ illuminati providentiâ fecerunt: ità quoque non audeo dicere istud eos nobis minùs intellexisse, & perpendisse cur dimiserunt, vel cur dimissum, ne ultrà mitteretur, sicut & cætera prohibuère, tu & tui videre quid sentiatis de vobis: nam & ego me illis, non dico, præferam; sed etiam illud absit, mihi ut coæquare præsumam.* Post multa in actis iisdem sic rogant missi: *Ergò ut videò illud, de quo quæstio agitur, de sæpè fato Symbolo tollatur, & tunc demùm à quolibet licitè ac liberè, sive cantando, sive tradendo, discatur & doceatur.* Respondet Papa: *Ità proculdubiò à nostrâ parte decernitur: ità quoque ut à vestrâ assentiatur, à nobis omnimodis suadetur.* Leonem ideò laudat Photius in epist. ad Patriarcham Aquileensem, quòd Symbolum tabulis, ut suprà notavimus, inscribi jusserit. Igitur ex Papæ, legatorum, & omnium consensu palàm erat Symbolo Constantinopolitano fuisse addita vocabula, *Filioque.* Hinc querelis Græcorum datus est locus; hinc in Concilio Florentino contentiones; hinc Ecclesia Latina ipsa nunc temporis professionem illam Symbolum vocat Constantinopolitanum.

R. cum illi legati testarentur se proponere Symbolum Const. cum additione illâ, prudenter admodum Leonem III. rejecisse illam additionem; ne de Patribus œcumenici Concilii Const. ferre judicium videretur; aut se illis æquare, aut præferre, ut habet. Igitur reverentiâ erga Conc. œcumenicum ductus, ne quid Symbolo adderetur, constanter institit; ne scilicet de Conc. œcumenici authoritate quid detrahi videretur; & ne de iis, quæ S. Spiritu duce instituta fuerant, judicium unquàm fieret. Si autem legati exposuissent servato Conc. Symbolo integro, variarum Ecclesiarum consensione probatum fuisse novum symbolum cum illa particula *Filioque*; ob rationes sæpiùs expositas, non restitisset Leo 3. Imò cùm de dogmate illo, traditione antiquorum auditâ, conveniret, & summâ cautione monumentorum antiquorum integritati, & Conciliorum œcumenicorum authoritati consultum esse voluerit; facilè in novi Symboli confirmationem, aut in uberiorem de Spiritûs Sancti processione ex Filio fidei explicationem consensisset. Hinc Leonis 3. successores in hanc cum Hispanis, Germanis, & Gallis consensionem aut sententiam descenderunt; præsertim ubi Conc. Constant. reverentiam debitam non imminui deprehenderunt; ut quòd integrum ubique servaretur; & uberior hæc fidei de Spiritu Sancto expositio, quæ in cæteris Symb. Const. fidem & verba referret, Symbol.Const.

vocaretur: Et ideò etiam nunc vocatur vulgò Symbolum Const. quamvis sit alia fidei & fusior explanatio.

ARTICULUS QUARTUS.

Quo tempore, particulis ex Filio *additis, in Ecclesiâ novum Symbolum prodire cœperit.*

RESP. 1. à Conc. 2. Nic. an. 787. novum illud Symbolum non fuisse sancitum, ut in sess. 5. Conc. Ferrariensis ex vetustissimi cujusdam Codicis authoritate probare nitebantur quidam Latini, & inter alios Julianus Cardinalis, Andreas Colossensis, & Martinus Polonus. Verùm Græcos latere non potuisset decretum illud; ejusque etiam mentionem habuissent Latini, cum quæstio moveri cœpit; validissimoque illo argumento repulsæ fuissent Photii calumniæ: illius autem authoritatis memoria nullibi extat. In actione quidem 2. Conc. 7. refertur epist. Synodica Tharasii Patriar. Const. ad Patriarchas Alexand. Antioc. & Hierosol. ubi profitetur in eâ Spiritum Sanctum ex Patre per Filium procedere. Et actione 7. in definitione latinè factâ, Spiritus Sanctus dicitur ex Patre & Filio procedere; græcè verò ex Patre, & cum Patre & Filio adorari; undè, ut credere est, aut Tharasii sententia, aut potiùs Latina Concilii versio ità opinandi locum præbuit.

2. Non videtur certum quòd Andreas Colossensis in Concilii Ferrariensis sess. 7. profert, nempè in magno quodam Occidentalium Concilio, cum maximum in Galliis & Hispaniis schisma immineret, hanc formulam fuisse confectam: id enim gratis profertur, cum nullum ejusmodi Concilii monumentum supersit.

3. Hujus Symboli Authorem, qui Damasum Pontificem dicunt, non attendunt Leoni tertio injuriam fieri: improbasset enim in Ecclesiâ Romanâ receptum Symbolum: nec altum apud Historicos Ecclesiasticos de illo Symbolo silentium advertunt, nec ulla Damasi opera genuina superesse præter Epistolas, quarum aliæ apud S. Hyeron. aliæ verò apud Theodoretum reperiuntur.

4. Nec Nicolai I. temporibus novum illud Symb. Romæ invaluit: non enim id exprobrat Nicolao Photius, qui tam acerbè & Nicolaum & successorem ejus Adrian. II carpit. Referuntur quidem apud Baron. ad an. 863. quædam Photii epist. ad Orientis sedes Patriarchales, in quibus Symb. Const. adulteratio objicitur; sed Epist. illæ schismatico Patr. Const. qui sedit ad an. 995. ad an 999. in Codice Collegii, quod Græci Romæ habent, ascribuntur: in illis nec mentio Nicolai habetur. Andreas Coloss. in Conc. Florent. hanc additionem à Photio summis Pontificibus Nicolao & Adriano nunquàm fuisse objectam observat. S. Antoninus parte 3. tit 22. cap. 13. asserit Nicolaum primum à Photio fuisse excommunicatum, quòd addidisset Symbolo

Symbolo Spiritum Sanctum à Filio procedere; sed quo fundamento? Ignotum est: nec tàm citò à Leonis III. sententiâ & proposito descivisset Nicolaus primus, qui 40. annispost Leonem III. circa an. 858. Pontificatum obtinuit.

5. Nec etiam Romæ hoc contigit Joannis VIII. tempore, qui Adriano II. successit circa an. 882. cum enim pacis amantissimus esset, aut aliis rationibus ductus, Photii votis annuit, & ad Synodum Photianam, quæ œcumenicæ 8. acta abrogavit, legatos misit, qui subscripserunt, simulque Symbolo Const. præter additionem.

6. Nec etiam hæc contigerunt an. 1014. cum Henrici Bavari Imp. votis annuens Benedictus VIII. Symbolum publicè recitari & cantari jussit. Nec sub Pontifice Sergio III. qui Christophorum è Monasterio tractum an. 909. de sede dejecit, & in vincula contrusit: nihil enim quod ad hanc quæstionem pertineat, tempora illa referunt.

Non ergo constat, quo tempore in Romanâ Ecclesiâ Symbolum illud fuerit receptum; præsertim cum nihil de illo novo Symbolo statuerit.

R. 2. In quibusdam Ecclesiis Hispaniarum illius novi Symboli primum monumentum reperiri sub Rege Recarede, qui an. 10. regni sui ad fidem Catholicam Gothos Arianos adduxit in Conc. 3. Tolet an. 589 in confessione fidei. In Toletano 4. an. 633. can. 1. hanc fidem Hispani profitentur. Item & in Toletan. 6. an. 638. can. 1. Spiritum Sanctum ex Patre & Filio procedere docetur. Et in Tolet. 8. an. 653. can. 1. tunc temporis, ut habetur in illo canone, in Sacris Missarum solemniis canebatur novum illud Symbolum. Similiter in Tolet. 11. an. 675. in Braccarensi 4. eodem anno, & in Toletano 12. an. 681. can. 1. idem Symbolum celebratur. Undè tunc temporis, & multò anteà Hispaniæ Episcopi aliâ fidei professione utebantur, quàm Agatho, & Concilium Romanum 125. Episcoporum; quàm & Ecclesia Hierosolimitana, sicuti patet ex Epistolâ Sophronii Patriarchæ ad Sergium Patr. Const. act. 10. Conc. 6. relatâ; quàm & ipsum Concilium Sextum, ut liquet ex actione 18. Cæterùm apud omnes Hispaniarum Ecclesias non receptum fuit illud Symbolum; nempè in iis, quæ Missâ Mosorabicâ utebantur: cantabatur enim in illâ Conc. Niceni Symbolum. Nec etiam apud Ecclesiam Hispalensem recipiebatur: Nicenam enim fidei formulam Sacrificii tempore recitabant, ut ejusdem Ecclesiæ Episcopus Isidorus habet lib. 1. de Eccles. Officiis cap. 16. Niceni autem nomine, ut alibi sæpiùs, Constantinopolitanum non intelligitur, ut videre est in eadem Missâ Mosarabicâ, quæ diu in Hispaniis fuit usurpata; imò & in pluribus Toleti Ecclesiis adhuc retenta, ut Salamanticæ; licet Alphonsi 6. temporibus à Gregorio VII. abrogata fuerit.

R. 3. an. 767. cum in Gentiliaca Synodo de Spiritûs Sancti processione altercatio mota fuit, Constant. Symbolum absque hac additione cantabatur, ex Valafrido Strabone lib. de rebus Ecclesiasticis cap. 22. ubi sic habet: *Sed apud Gothos & Germanos post abjectionem Felicis heretici, sub gloriosissimo Carolo francorum Rege idem Symbolum latiùs & crebriùs in*

Missarum cœpit Officiis cantari. In Synodo autem Fancofordiensi, an. 794. cui Carolus Magnus interfuit, & in Conc. Forojuliensi, cui præfuit Paulinus Aguileensis; novum illud Symbolum approbant Galli. Ubi enim in illo Concilio actum est de iis, quæ Synodus Const. in suo Symbolo inseruisset, quæque non extabant in Nicæno, additur: *Sed & postmodum propter eos videlicet hæreticos, qui susurrant Spiritum Sanctum solius esse Patris, & à Patre solo procedere, additum est, qui ex Patre Filioque procedit.* Arguebant Conc. 7. quòd act. 3. ut in responso ad objectionem 3. art. 3. notatum est, Tharasius scripsisset Spiritum Sanctum, à Patre per Filium procedere. Et in responso suo Adrianus ait, perindè esse apud antiquos, *ex Filio*, aut, *per Filium*, asserere Spiritum sanctum procedere. Vndè quidem universalis Ecclesiæ consensus quoad dogma manifestus est. In Conc. verò Aquisgranensi an. 809. de processione Spiritûs Sancti ex Filio quæstionem à Joanne Hierosolimitano fuisse motam nonnulli asserunt, simulque quæstionem definiunt, & novum Symbolum probant: Imò ut Leonem III. In suam sententiam adducerent, Bernarium & Jesse Episcopos, & Adalardum Abbatem miserunt, ut art. 4. retulimus. an. 909. In Conc. Trosleiano in pago Suessionensi, præside Heriveo Remensi, in can. 14. damnantur Photii errores, qui Spiritum Sanctum à Filio tradebat non procedere.

R. ultimò nihil hac in re certò statui posse, viderique sensim novum illud Symbolum ab Hispanis initium duxisse, & à Galliâ in Germaniam, & tandem in Romanam, & alias Ecclesias fuisse traductum.

ARTICULUS ULTIMUS.

Quæstiones quædam circa Spiritûs Sancti divinitatem solvuntur.

QUær. 1. num in Conc. Niceno Spiritûs Sancti Divinitas fuerit definita; & ex hypotesi quod explicitè definita non fuerit; num ante Conc. Const. 1. pro hæreticis habiti sint, qui Spiritûs Sancti divinitatem non sunt professi.

R. in Concilio Nicæno non quidem explicitè Spiritûs sancti divinitatem fuisse definitam. Ea fuit sententia S Athan. & 90. Episcoporum Ægypti & Libyæ in epist. ad Episcopos Africanos: scribit enim ibi de Spiritu sancto fidem fuisse Nicææ sancitam; quia in Spiritum sanctum fides in eâ Synodo fuit decreta. *Eadem illa Nicena Synodus blasphematores Spiritûs sancti, dicentesque eum esse creaturam subvertit. Nam cum Patres statuissent de fide in Filium, id statim adjectum voluêre; credimus & in Spiritum sanctum, ut perfectam & plenam de sanctâ Trinitate fidem, confessionemque absolventes, formam ejus, quæ in Christo est, fidei, & doctrinam Catholicæ Ecclesiæ, exhiberent, cum & vobis & omnibus sit notum, neminique unquam Christianorum dubium fuerit nos in*

Deum, non in creaturam fidem habere. Eadem est quoque doctrina SS. Basilii, Greg. Naz. & Epiphan. qui nullum Nicçæ singulare, seu non expressum, non planum, sed transeunter emissum fuisse decretum asserunt. S. Basil. epist. 60. Ecclesiæ Antiochenæ, sic habet: *Quoniam verò doctrina de Spiritu sancto indefinita est, propterea quòd nondùm comparerent bellum contra Spiritum sanctum gerentes, an non condemnandi sint, qui Spiritum sanctum creata ac servilis esse natura dicunt? In eâ Synodo nulla facta est incusatio: nihil enim prorsùs creatum est in divinâ & beatâ Trinitate.* Et in epist. 78. quæ fidei professionem, cui subscripsit Eustathius Sebastenus complectitur, tradit non expressè, sed implicitè in Concilio Nicæno decisum fuisse Spiritûs sancti divinitatem. *Sententia verò de Spiritu sancto in transcursu sine omni diligentiâ posita est, propterea quòd nondùm mota esset ista quæstio, sed adhuc credentium mentibus securus, ac nullis objectus insidiis inesset de Spiritu sancto intellectus.* Idem repetit epist. 325. quæ est ad Epiphanium, *nihil nempè nos posse, ne vel syllabam unam ad Nicænam illam fidem adjicere, exceptâ de Spiritu sancto doxologiâ, cujus rei majores illi nostri velut in transcursu meminerunt, nondùm motâ de Spirtitu sancto quæstione.*

Ità S. Greg. Naz. in orat. 52. quæ est epist 1. ad Cledonium adversus Apollinarium: *Ut illud insuper explicantes, quod ab illis minùs plenè de Spiritu sancto dictum est, propterea quòd hæc quæstio nondùm excitata & agitata fuerat, nempè unam eamdemque Patris, & Filii, & Spiritûs sancti divinitatem agnoscendam esse, Deum quoque videlicet Spiritum profitendo. Eos igitur qui ità sentiunt, ac docent, pro sociis habe, quemadmodùm & ipsi habemus: eos autem, qui secùs sentiunt, aversare; atque à Deo, & Ecclesiâ Catholicâ alienos existima.*

Ità pariter Sanct. Epiphanius lib. 3. tom. 1. seu hær. 74. cum enim Pneumatomachis, qui Nicænæ Synodo, ut quæ de Spiritu sancto nihil statuisset, adhærere se profiterentur, respondet nihil quidem expressè in Concilio fuisse statutum: *Quanquam nulla tùm de his, quæ singulis temporibus occurrunt, cavere Synodi ac decernere solent: quare cum Arius in Filium maledicta conjiceret, propterea uberiori quâdam disputatione argumentum illud est accuratissimè tractatum:* ad hanc autem Spiritus sancti fidem Concilium adigere, cùm in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum fidem exigat.

Ex quibus secunda pars colligitur facilè, videlicet ante Constantinop. Synodum pro hæreticis fuisse habitos, qui Spiritui sancto divinitatem detraherent. Hinc S. Athan. cum Synodo Ægypti & Libyæ Episcopos eos ut blasphematores perstringit. S. Basil. epist. 78. ad Spiritûs sancti divinitatis professionem vult eos adigi, qui in aliâ sententiâ fuerant; & anathemati, qui eam fidem negarent, subjici: *Hoc cautionis protendatur*, inquit, *ut anathematizent ipsi eos, qui Spiritum sanctum creaturam esse dicunt; etiam eos, qui id cogitant, & qui id non confitentur illum naturâ sanctum esse, sicut naturâ sanctus est Pater, & naturâ sanctus est Filius; sed alienum illum à divinâ & beatâ naturâ faciunt: est au-*

tem declaratio recti sensûs in eo, si à Patre, & Filio non separetur. S. etiam Greg. Naz. orat. 52. dicit eos, qui sic censerent alienos ab Ecclesiâ existimandos esse, & cum ipsis abrumpendam esse pacem & societatem.

Q. 2. quis omnium primus Spiritûs sancti divinitatis apertam professionem edidisse videatur?

R. fuisse S. Athan. cum Conc. Alex. an. 362. ut docet S. Gregor. Naz. in ejus orat. funebri.

Quæritur 3. cur S. Basilius Spiritûs sancti divinitatem professus, Dei nomen Spiritui sancto ad catholicam fidei professionem necessariò non esse tribuendum existimarit?

R. 1. extra dubium esse S. Basilium Dei nomen Spiritui S. non semper tribuisse, licet pro ejus divinitate pugnaret constanter: Hom. quippè 17. quæ est in sanctum baptisma, Spiritum sanctum Deum dicendum esse negat; sed Dei Spiritum dicendum esse contendit: *Neque igitur alienus est à gloriâ Dei Spiritus, ex ineffabiliore ineffabiliter prolatus; neque ipse Deus est, sed Dei Spiritus, & apud Deum, qui & à Deo mittitur, & per Filium nobis suppeditatur.* Ideò à suis Monachis circa Spiritûs sancti divinitatem, fidei & novitatis fuit incusatus, ut patet ex ejus epist. 79. cumque huic calumniæ amovendæ studet, aliud nihil profitetur, quàm Filii & Patris Spiritum esse Spiritum sanctum, Filio & Patri conjunctum; creaturarum numero non ascribi; nosque in ejus nomine consequi baptismum; adeò ut eos, qui Spiritum sanctum creaturis annumerabant, anathemati subjiciat. Epist. 78. in fidei professione, quam tradit, Spiritum sanctum Dei nomine non insignit.

R. 2. S. Basilium justis de causis à tribuendo Spiritui sancto Dei nomine abstinuisse per tempus aliquod: tunc enim ad fidei catholicæ integritatem Spiritui sancto Dei nomen deferendum non erat, modò ejus agnosceretur divinitas; ut ex locis laudatis Hom. 16. epist. 73. & 78. evincitur: ibi enim suis argumentis Spiritûs sancti divinitatem licet asserat, & de tacito Dei nomine conquererentur Monachi; non proindè ad illud Spiritui sancto tribuendum fuit adductus. Ad vindicandum S. Basilii œconomiam confert plurimùm ipsa Synodus œcumenica post S. Basilii obitum circiter annis duobus habita, quæ Spiritui sancto Dei nomen in Symbolo non defert, dum ipsam Spiritûs sancti divinitatem contra Macedonianos confirmat.

S. Gregor. Naz. in orat. 20. quæ est funebris in Basilii laudem, & suam & hanc S. Basilii œconomiam explicat; ità scilicet affectum fuisse tantæ pietatis Episcopum, ut juxta Davidis consilium loquendi rationem summâ prudentiâ esse temperandam existimaret, persecutionumque tempore paulisper esse tacendum, donec prior loquendi facultas esset restituta. Ità enim cautum erat hæreticorum dolo, ut, qui Spiritum sanctum Deum diceret, de sede deturbaretur. Tàm validis autem Spiritûs sancti divinitatem argumentis firmabat, ut tùm ejus scripta, tùm sermo nonnisi Spiritûs sancti opus videretur. *Sed tamen propriam vocem interim*

usurpare differebat, tùm ab ipsomet Spiritu, tùm à sinceris ipsius propugnatoribus in gratiæ loco hoc poteris, ne hoc suo consilio offenderetur, nec committerent, ut dum unam voculam mordicus retinere conarentur, propter inexplebilem cupiditatem omnia perderent, convulsâ nimirum turbulento tempore, ac distractâ pietate: ipsos enim nihil ex eo incommodi ac detrimenti accepturos, si vocabula parùm immutarentur, modò aliis verbis eadem docerentur: neque enim salutem nostram in verbis potiùs, quàm in rebus consistere; quippè ne Judæi quidem rejiciendi sint, si ad aliquod tempus pro Christo vocem Uncti sibi concedi postulantes, in nostrum numerum atque ordinem ascribi velint, ac Reipublicæ non posse majorem perniciem ac pestem afferri, quàm si Ecclesia ab hæreticis occuparetur.

Constat autem, inquit S. Gregor. Naz. neminem nec scripto, nec voce Spiritûs sancti divinitatem validiùs propugnasse, quàm S. Basilium; hocque sibi imprecatur, Spiritu sancto velle se orbari, nisi eumdem, quem Patri, & Filio, & Spiritui sancto, ut qui eis consubstantialis esset, honorem deferret; seque cum eodem de industriâ pepigisse, illâ lege nempè, ut qui nihil vel sibi, vel dignitati metuere potuerat Gregorius, publicam & liberam fidei professionem ederet, Basilii etiam publicis sermonibus fidei instruendæ inserviret: hæc ergò idem S. Greg. protulit, ne verbis velut solis fidei tesseris adhæreamus: *Sed ne quidem pietatis normam ac regulam solas eas voces, quæ in illius libris reperiuntur, esse existimantes, imbeciliiorem fidem habeant, eamque de divinitate disserendi rationem, quam ei tempus illud non sine Spiritûs numine offerebat in pravitatis suæ confirmationem trahant; verùm eorum, quæ ab eo scripta sunt, sensum & scopum, quem sibi, dum hæc scriberet, proponebat, expendentes, tùm ad veritatem magis accedant, tùm in iis, qui in impietate versantur, os obstruant.* Addit à se invicem non discrepare Evangelistas, licet isti divinitatem, alii humanitatem apertiùs tradant. Idem orat. 44. docet aliquos Spiritûs sancti divinitatem agnoscere, & de solo Dei nomine altercari, quos pro fratribus haberi vult; ne nominis causâ pro hostibus audirent, simulque ne nominis silentium opprobrio verteretur: *Vim divinitatis ac potentiam nobis date, & nos vicissim divinitatis vocem vobis concedemus. Naturam aliis vocibus, quibus plus tribuitis, confiteamini, ac vos ut infirmos curabimus, nonnulla verbis grata & jucunda susurrantes. Etenim turpe quidem illud est, turpe, inquam, & perabsurdum, cum animo optimè valeatis circa vocis sonum, jejunos & minutos vos præbere, ac thesaurum occultare, quasi aliis eum invidentes, aut metuentes ne linguam quoque vestram sanctificetis.*

Opp. hâc in œconomiâ peccasse S. Basilium, cum ipse S. Gregor. Naz. cum S. Basilio amicitiæ arctissimæ vinculis conjunctissimus non diffiteatur, minùs probatam à viris tùm scientiâ, tùm pietate insignibus hanc œconomiam; ut quæ nimiam præ se ferret humanæ prudentiæ speciem, & tumidi ac minùs sinceri animi suspicionem ingereret: imò eam fidei bono exitiosam carpebant alii; quippè quæ in fidelium, quos vel titubantes corrigere, vel constantes firmare operæ pretium erat, detrimen-

tum & perniciem cederet. Ità S. ipse Greg. Naz. epist. 36. ad S. Bas. ubi refert sic adversarios de S. Basilio disseruisse: *Ille autem fidei doctrinam obscurè ostendit, ac velut obumbrat, nec veritatem liberè profitetur, politicè magis quàm aurem obruens, dicendique facultate versutiam tegens.*

R. 1. relatas adversariorum contra S. Basilium rationes in convivio sibi propositas sic dispellere ibidem S. Gregorium Naz. *Quoniam, inquam, ego in obscuro positus, ac plerisque incognitus, sic, ut nec quæ loquar, nec an loquar, fermè homines sciant, sine periculo philosophor. Illius autem major habetur ratio, utpotè cujus nomen tùm ob ipsius virtutem, tùm ob Ecclesiæ splendorem multò sit illustrius, ac palàm est quidquid dicitur, ingensque circa eum bellum est, cupientibus nimirùm hæreticis nudam & apertam vocem ex ipsiusmet Basilii ore arripere, ut ipse quidem ex Ecclesiâ expellatur, cui solus penè veritatis igniculus restat, ac vitalis facultas, vicinis omnibus captis ac subjugatis; malum autem in civitate radices agat, atque ex hâc Ecclesiâ non secùs atque ex aggere quodam & propugnaculo terrarum orbem populetur. Præstat itaque œconomiam quamdam ad veritatem adhibitam fuiße, nobis videlicet tempori quasi nebulæ cuidam nonnihil cedentibus, quàm ut eâ ob prædicationis perspicuitatem opprimeretur. Nos enim ex eâ re nihil damni facimus, si ex aliis quoque dictionibus, quibus id certò colligatur, Spiritum S. Deum agnoscamus: neque enim in verborum sono potiùs, quàm mente & sententiâ sita est veritas. Ecclesia autem grave vulnus acceptura est, si ob unius hominis ejectionem veritas profligetur.* Scribit & alibi seipsum in odium populi venisse, quòd Spiritui sancto Dei nomen detulisset. Igitur Dei nomen Spiritui sancto tutâ & prudenti conscientiâ ob calamitosi temporis angustias, & propter œconomiam à S. Basilio non deferebatur.

R. 2. S. Basilium eò tandem necessitatis fuisse adductum, ut ipsemet Dei nomen Spiritui sancto tribuendum propugnarit; quia, prioris œconomiæ rationibus procul remotis, gravius illo silentio Ecclesiæ inferebatur detrimentum; cum indè hostes Ecclesiæ in Spiritûs sancti divinitatem debacchandi causam arriperent, aut in Ecclesiâ infirmi scandalum paterentur. Ideò in Apologiâ suâ, seu in epist. 80. ad Eustathium Medicum, varias, quæ sibi ab adversariis imponerentur, calumnias recenset, observatque sancti Spiritûs divinitati insidias moliri, quotquot sibi adversarentur; Deique nomen, quod Patri & Filio non negabant, Spiritui sancto concedere nolle: variasque rationes affert, ut injuriâ nomen illud Spiritui sancto negari confirmet; tùm quòd in omnibus Patri & Filio conjunctus sit, eâdemque authoritate & potestate polleat; tùm quòd, cum Deus sit, suis nominibus non est privandus, neque iis titulis, quibus honorari simul & designari solet divinitas: neque ideò esse, cur Dei nomen ei negaretur. Undè totus in eo est S. Basilius, ut à blasphemiis Filii & Spiritûs sancti divinitatem vindicet. Item in lib. de Spiritu sancto undiquè congerit argumenta, ut Spiritûs sancti divinitatem demonstret.

Q. 4. an donum & donatum in Spiritu sancto discrepent?

R. ex S. Aug. lib. 5. de Trin. cap. 15. ab æterno processisse Spiritum Sanctum ut donum, quòd esset donabilis, licet non essent quibus daretur; dici verò donatum à tempore, quo creaturarum intellectualium animis fuit illapsus.

Q. ultimò cur Spiritus Sanctus sub specie ac figurâ columbæ, aquæ, ignis, venti & linguæ igneæ conspicabilem se fecerit?

R. Spiritum Sanctum aspectabilem se sub columbæ figurâ præbuisse, ad significandam Spiritualem ipsius fœcunditatem simul & mansuetudinem, simplicitatem, innocentiam; & cum absque felle sit columba, non aliter affectum iri, quibus inesset. In aqua quoque suam præsentiam expressit, quia lavaturus erat ac mundaturus animam à sordibus peccatorum juxta illud Ezechielis 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Sub ignis etiam apparuit figura, tùm quia ignis est Symbolum divinitatis, secundum illud Deuter. 4. *Deus noster ignis consumens est;* tùm quia inquit Sanctus Gregorius Homiliâ trigesimâ in Evangel. per eum *peccatorum rubigo consumitur.* Item sub specie venti vehementissimi seipsum in discipulos immisit, ut justo timore incusso, eos ad dona percipienda faceret magis idoneos, juxta illud Prophetæ: *A timore tuo concepimus & parturivimus Spiritum.* Tandem Spiritus Sanctus sub figurâ linguæ igneæ super Apostolorum capita descendit, ut eos, inquit S. Greg. Homil. 30. in Evang. ardentes pariter & loquentes faceret; & indè palam significaret viri Apostolici linguam debere esse igneam, ut amoris divini flammas in cordibus hominum accendat. Undè Sanctus ipse Pontifex ibidem addit: *Linguas igneas doctores habent, quia dum Deum amandum prædicant, corda audientium inflammant: nam otiosus est sermo Doctoris, si præbere non valet incendium amoris.*

Opp. cum Celso relatam à S. Matth. sub columbæ specie apparitionem Spiritûs Sancti, instar fabulæ esse habendam. Vel si verum sit Spiritum Sanctum in formâ columbæ apparuisse, consequens erit, ut indè colligebat Tertullianus, inter Spiritum Sanctum & columbam unionem fuisse Hyposthaticam.

R. Orig. lib. 1. cont. Celsum hanc Sancti Spiritus apparitionem ideò non posse in dubium vocari; quòd in Scripturis veracibus tradatur, & hodiè vestigia Spiritûs Sancti sub columbæ specie missi, vel aspectabilis, serventur apud Christianos; hæcque expellant dæmonia, multasque Sanationes perficiant.

Ad aliam difficultatem respondet S. Aug. lib. 2. de Trin. cap. 6. ubi Tertuliani errorem confutat, Spiritum Sanctum in personæ unitatem columbam sibi non conjunxisse: *Neque enim columbam beatificavit Spiritus, sibique & personæ suæ in unitatem habitumque conjunxit in æternum.* Et lib. de agone Christi cap. 22. *Quia non Columbas liberare venerat Spiritus Sanctus, sed hominibus significare innocentiam & amorem Spiritalem, quod in Columbæ specie visibiliter figuratum est:* Ita etiam lib. 2. cont. Maximin. Arianum. cap. 19.

QUÆSTIO ULTIMA.
De missione divinâ.

ARTICULUS UNICUS.
Quid & quotuplex Missio ?

RESPONDEO Missionem aliam esse internam, externam alteram.

Interior seu interna ex S. Aug. epist. 66. & ep. 107. & 108. est processio unius personæ vel duarum ab alia, nempè Filii à Patre, & Spiritûs S. à Patre & Filio: *Ex Patre*, inquit, *& Filio Sanctus credendus est Spiritus non solùm processisse, sed semper ad peragenda opera Trinitatis omninò procedere.* Hancque doctrinam ut fide inconcussâ tenendam tradit epist. 222. idque lib. 1. de Trin. cap. 4. probandum sibi sumit. Externa missio ex eodem S. Aug. lib. 3. de Trin. cap. 5. nihil aliud est, quàm ad hominum aspectum in aliquâ formâ corporea venisse; aut externa Dei operatio in quâdam figurâ, quæ sensibus percipiatur. Addit. S. Aug. lib. 4. de Trin. cap. 19. & 20. missionem exteriorem posse in inferioritatis signum adduci, quo sensu Filius ut homo missus, inferior est Patre; aut in processionis argumentum, quâ ratione personarum divinarum æqualitati non obest: ità etiam lib. 5. de Trinit. cap. 14. & lib. 14. de Gen. ad Litt. cap. 26.

Quæritur 2. cui personæ mitti conveniat?

R. cum S. August. missionem exteriorem processionis interioris esse signum; & proindè Filium & Spiritum sanctum solos verè & propriè mitti. Hinc lib. 5. de Trin. cap. 21. scribit Patrem non fuisse missum; quia non procedit ab alio.

Cum autem tribus personis communis sit illa operatio externa, hoc sensu dici potest Pater mitti; & Filius, & Spiritus sanctus seipsos mittere. Sic S. August. lib. 4. de Trin.

Quæritur 3. num reverà se conspiciendum in formâ exteriori Pater æternus obtulerit?

R. 1. non unanimem fuisse antiquorum sententiam. Ex antiquis permulti, ut S. Justinus dial. cum Triphone, Tertull. lib. contra Judæos, lib. cont. Prax. & lib. 2. cont. Marcion. cap. 17. Novat. lib. de Trin. cap. 26. Euseb. & alii, Filium solum antiquis apparuisse asseruerunt; Patrem æternum solum esse invisibilem, & de illo scriptum esse: *Nemo Deum vidit unquàm.* Ex quo inferebant Ariani Filium alterius esse à Patre naturæ.

R. 2. alios censuisse Patrem, sicut & Filium, & Spiritum sanctum in antiquorum conspectum venisse: Pater enim, ut habet S. Aug. lib. 2. de

de Trin. cap. 9. & 10. in Baptiſmo Chriſti fuit locutus, ſicque in formâ ſenſibili ſe conſpicuum exhibuit. Nec conſtat, inquit cap. 12. quænam ex perſonis tribus deambulaverit in terreſtri Paradiſo, & cum Adamo ſermonem habuerit: nec etiam, inquit cap. 17. num tres perſonæ ſimul Abrahamo apparuerint. Addit adhuc eſſe nimis temerarium aſſerere, nunquàm Patribus, aut Prophetis per aliquas viſibiles formas Deum Patrem apparuiſſe; nec temerè ſtatuendum, quænam ex tribus perſonis apparuerit: niſi cum ex Scripturæ verbis aliqua prodeunt indicia, ex eodem ſancto Auguſtino, lib. 3. de Trinit. cap. 11.

Angelorum miniſterio fuerunt adminiſtrata, quæ in veteri Teſtamento ſcribuntur; quamvis Deus ipſe vel dixiſſe aliquid, vel feciſſe legatur. Undè etiam Act. 7. ℣. 53. à ſancto Stephano dicitur Lex ab Angelis accepta, & epiſt. ad Heb. 2. ℣. 2. per Angelos data. Illa fermè ſingula docuerat anteà ſanctus Gregorius Niſſen lib. 1. contra Eunom. promiſcuè ſcilicet perſonas tres apparuiſſe. Idem quoque anteà tradiderant SS. Epiphan. & Ambroſius, hic tractatu de Symb. cap. 10. *Qui Filius ab Iſaiâ Prophetâ in regnantis ſolio habituque viſus eſt: ſed propter conſortium majeſtatis, unitatemque ſubſtantiæ Spiritus ſanctus in Prophetâ eſt locutus*: Ille in expoſitione fidei, num. 14. Eccleſiæ veræ & orthodoxæ communia dogmata explicans, unum eorum hoc eſſe docet, *Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum ab orbe condito Sanctis ſuis per viſum apparere dignantes, quantùm capere quiſque poterat, ac Patrem interdùm eſſe conſpectum, aliàs Filium, aliàs Spiritum ſanctum.*



TRACTATUS DE ANGELIS

QUÆSTIO UNICA.

ALIQUORUM animis molesta forsan erit istius unicâ quęstione circumscripti Tractatûs brevitas: molestior forsitan futura disserendi ratio; cum nihil certi definiam, ubi Scripturas duces, aut Traditionem Apostolicam præviam sequi non datur. Scholæ tamen placita, ne quid Theologiæ Candidatos lateat, attingam; & ex variis sententiis proponam, quæ propiùs ad veritatem accedere videbuntur. Qui curiosioris tenebuntur indagationis desiderio, Theologis aliis consultis vota sua explebunt uberrimè.

ARTICULUS PRIMUS.

Vtrùm existant Angeli?

ANGELORUM existentiam negarunt Saducæi, de quibus Act. 23. ℣. 8. *Saducai enim dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum esse, neque Spiritum:* seu nihil existere censebant, quàm quod sensu perciperetur.

Angeli nomen non naturæ, sed est officii, ex S. August. lib. 5. c. 19. de Gen. ad Litt. & conc. 1. in Psalm. 103. Indè Malach. 2. ℣. 7. Sacerdotibus; & cap. 3. ℣. 1. Joanni Baptistæ; & Christo Isaïæ 9. secundum 70. Interpret. Angeli nomen tribuitur. Hîc autem pro naturâ singulari usurpatur.

CONCLUSIO. De fide est existere Angelos.

Prob. Id enim apertè tradunt Scripturæ communi veterum Patrum consensu expositæ, ut Gen. cap. 16. v. 7. cap. 19. v. 1. cap. 21. v. 17. cap. 22. v. 11. Exod. 14. v. 19. Num. 22. v. 22. & Math. 18. v. 10. ubi sic loquitur Christus: *Angeli eorum* (scilicet parvulorum) *in cœlis semper vident faciem Patris mei*. Hebr. 1. v. 4. Apost. ostendit Christum majorem esse Angelis, eosque asserit esse spiritus administratorios. Item cap. 1. & 2. inter Filium, & Angelos comparationem instituit;

& ex Psalm. 8. Christum Angelis minorem factum ostendit, quatenùs nempè humanam induit naturam.

Ad occultos afflatus, quibus quasi Dei nuntiis divinæ voluntatis admoneantur homines, loca hæc immeritò detorquentur ab Anabaptistis; cum ut personas, & substantias subsistentes, Angelos, & eorum dicta, & facta Scripturæ referant & describant. Hæc fuit antiquorum interpretatio & sententia: Tertull. quippè in Apol. cap. 22. ità scribit: *Dicimus esse substantias quasdam spirituales; nec novum nomen est. Sciunt Dæmones Philosophi, Socrate ipso ad Dæmonii arbitrium expectante.* Item Origen. lib. 1. de princip. cap. 5. Itemque S. Aug. in Psalm. 103. ubi hæc habet: *Esse Angelos novimus ex fide, & multis apparuisse scriptum legimus & tenemus; nec indè dubitare fas nobis est. Spiritus autem Angeli sunt; cum mittuntur, fiunt Angeli; & cum spiritus sunt, non sunt Angeli. Angelus enim officii nomen est, non naturæ nomen. Quæris nomen hujus naturæ? Spiritus est. Quæris officium? Angelus est.* Ex Symbolo Constantinop. sunt quædam res creatæ à Deo conditæ. Ex Synodo Lateran. 4. cap. 1. seu *firmiter: Deus utramque creaturam de nihilo condidit, spiritualem, & corpoream.* His autem vocibus (invisibiles & spiritales creaturæ) Angelos designant duo illa Concilia. Deniquè ipsi etiam Ethnici in eandem sententiam conspirant, ut docet Tertul. suprà, Minut. Felix in Octavio, S. Aug. lib. 9. de civit. cap. 19. &c.

Quæritur an naturali ratione possit demonstrari Angelorum existentia?

R. non posse: si quæ enim demonstratio daretur, vel ex causis, vel ex effectibus esset repetenda: non ex causâ; non enim eos necessariò, sed liberè Deus creavit: non ex effectibus; nihil enim Angelis tribuitur, quod in alteram causam referri non possit; ut cœlorum & siderum motus tàm uniformis; vel tàm stupenda Energumenorum opera, licet exteris linguis utantur, vel aperiant occulta, seu etiam motus edant penitùs insolentes: Ex plurimorum enim sententiâ à formâ propriâ cœli, & sidera moventur; & aliundè animæ separatæ idem quod Dæmones, aut Angeli præstare posse videntur.

Insuper hominum animis plura quidem occurrunt stupenda, quæ ideò existere Angelos non arguunt; quasi eorum effectuum alia præter Angelos non sit causa: Præterquamquod enim tales effectus, vel per animas propriis corporibus unitas; vel per animas à corpore sejunctas effici possint, eâ insuper est nostra inscitia, ut nec plerumquè nobis innotescant, quæ in nobis posita ex variis corporum nostrorum humoribus malè affectis proficiscuntur, quæ ipsorum Philosophorum & Medicorum animos torquent tàm acriter, & in varias partes scindunt.

Equidem Plato, Aristoteles, & Stoïci Angelos existere censuerunt, seu genios quosdam qui non essent aspectabiles; sed in eam illi venerunt sententiam, non certâ quâdam naturæ ratione; sed quòd non caperent quæ Dæmones ad hominum animos decipiendos oraculis, incantationibus, & aliis præstigiis efficerent. Hoc & aliorum animos impellit non mediocriter, quod scilicet ad ornamentum orbis universi videatur ipsis neces-

sarium, ut sint res materiæ penitùs expertes; sicut & existunt res omninò materiales; & aliæ partim materiæ participes, partim materiâ solutæ; cujusmodi sunt homines. Sed undè necessitas illa fieret conspicua? cum naturæ illæ prorsùs Spiritales argumentis evidentibus non innotescant; nec majori jure videantur requiri, quàm ut Deus rem creatam omnium perfectissimam, quam efficere potest, producat.

ARTICULUS SECUNDUS.

An, & quandò sint creati Angeli?

ANGELOS creatos fuisse constat; cum nihil sit præter Deum, quod creatum non fuerit. Undè & de omnibus & de Angelis ipsis habetur Col. 10. ℣. 16. *In ipso* (nempè Christo) *condita sunt universa in cœlis, & in terrâ, visibilia, & invisibilia, sive Troni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt; & ipse est ante omnes.*

De Angelorum creationis tempore nec meminit, nec sermonem habet Moyses; quia ex SS. Chrisost. Hom. 2. in Gen. & Aug. lib. 12. confes. cap. 17. rudem admodùm plebem & sensibus addictam instituendam aggrediebatur, nec eam expositionem postulabat instituti ratio: nam ex S. Hyer. epist. 19. nihil aliud præter rerum corporearum creationis seriem susceperat scribendam.

Indè triplex orta est antiquorum & recentiorum sententia: Placet illis ante cœlum fuisse creatos Angelos; his verò cum rebus cæteris fuisse conditos: aliis tandem universo Mundo jam condito. De his nihil certi potest definiri; cum nec Scripturæ, nec unanimis Patrum traditio quidquam tradat certâ consensione.

CONCL. I. Cum rebus cæteris creatos fuisse Angelos probabiliùs censemus cum S. Aug. lib. 12. de Civit. cap. 15. & lib. 12. de Confes. cap. 13. S. Greg. lib. 28. Moral. cap. 7.

Prob. Quia hæc opinio ad Scripturæ sensum propiùs accedere videtur: Nam Eccl. 18. ℣. 1. *Qui vivit in æternum creavit omnia simul.* Exod. 20. ℣. 11. *Sex diebus fecit Dominus Cœlum & Terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt.* Consuetudinis autem Scripturarum est per hanc ultimam loquendi formulam cæteris creaturis Angelos annumerare, ut Ps. 103. ℣. 4. Ps. 48. ℣. 2. &c. Proverb. 8. ℣. 27.

CONCL. II. Quo in loco creati fuerint Angeli est incertum; quia de creationis Angelorum loco nihil definiunt Codices Sacri, nihil SS. Patres unanimiter constituunt. Probabilius tamen est, eos ut qui cæteris rebus creatis præcellant, in cœlo fuisse creatos, & proindè in loco præstantissimo, qui alius à summo cœlo non est. Hinc è cœlis dejecti dicuntur rebelles Angeli: nam Isaï 14. ℣. 12. *Quomodò cecidisti de cœlo Lucifer?* Lucæ 10. ℣. 18. *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Ex quibus colligit S. Aug. lib. 11. de Civit. cap. 33. Dæmones de cœlis

cœlorum, id est, de summo cœlo fuisse deturbatos. Indè est etiam quòd Athenag. in Apol. & Novatian. lib. de Trin. eorum creationem in cælis constituant.

Opp. Isa. 14. v. 13. Angelorum princeps ait; *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, & ascendam super altitudinem nubium, & similis ero altissimo.* Ergo in cœlum creati non erant Angeli sed in aëre.

R. hæc Scripturæ verba secundùm litteram ad Regem Babylonis pertinere, qui tàm insolenti ambitu tenebatur, ut diceret in cęlum, seu in Judæam cœlum dictam, utpotè Deo dicatam; aut in Dei templum, seu in montem testamenti conscendam; supra illud ponam solium meum; similis ero altissimo; Israëlitas in mei venerationem adducam; & inter Deos post mortem recensebor. Alio sensu naturali juxta SS. Patrum sententiam verba hæc Diaboli casum referunt: Quem sensum innuit S. Aug. lib. 14. de Civit. cap. 15.

ARTICULUS TERTIUS.

Cujus naturæ sint Angeli? An Corporei? An Spiritales?

Nihil in hac materiâ videtur aptius, quàm quod S. Greg. Naz. docuit orat. 34. sub finem his verbis: *Spiritus porrò atque ignis, Angelus appellatur; illud, quia intellectili naturâ est præditus; hoc, quia purgandis animis nostris adhibetur: Quandoquidem primaria quoque illa essentia iisdem nominibus in Scripturâ nuncupatur. Sed sint sanè illi corporei, aut quàm proximè ad hoc accedentes. Videsne quomodò circa hujusmodi sermonem æstuemus, nec, quò progrediamur, habeamus: aut certè non ultrà progredi possimus, quàm quòd Angelos quosdam & Archangelos scimus, Thronos, Potestates, Principatus, Dominationes, splendores, ascensus, intelligentes virtutes, vel mentes potiùs, puras naturas, minimèque adulterinas, ad malum immobiles, vel certè non facilè mobiles, perpetuos choros, circa principem illam causam agitantes; aut si quid aptiùs quisquam earum laudibus decantandis afferre queat, purissimo splendore illinc perfusas, aut pro naturæ ordinis cujusque proportione, alias alio modo collustratas.* In istâ ideò quæstione, & in sequentibus nihil, nisi quæ aliorum sunt, referemus; quæ dubia, ut dubia; quæ certa, ut certa & constantia proponemus.

Incorporeum plurimis modis sumitur. 1. pro eo, quod non est corpus. 2. pro eo, quod non constat ex corpore tanquàm ex parte. Origenes lib. 2. de princip. cap. 8. scribit in Scripturis non tradi sine animâ esse Angelos, quamvis ea sit plurimorum sententia: dici tamen posse animâ donari; si anima dicatur substantia, motûs, sensûs & rationis capax. 3. incorporeum dicimus, quod nullo pacto pendet à corpore. Plurimi ex antiquis

Angelos ex animâ & corpore subtili componi censuerunt. Ità S. Just. tùm in Dial. cum Tryph. ubi vult eos inusitato ciborum genere uti; tùm & in utrâque Apol. ubi censet eos cum mulieribus stupri consuetudinem habuisse, ex eoque concubitu procreatos dæmones. Idem habent Athenag. in Apol. S. Clem. Alex. lib. 3. Strom. & Tatian. in orat. ad Græcos his verbis: *Dæmones omnes non ex carneâ, sed spiritali concretione constant, qualis est ignis & aëris; quæ corporum constitutio à solis illis perspici potest, qui Spiritu Dei muniuntur.* Et addit, non tamen facilè mori, quia carnei non sunt.

Tert. lib 2. cont. Marcion. cap. 8. materiales eos vocat, & ab hominibus, ut Dei imaginibus, præstantiâ naturæ superari: *Nam etsi Angelus, qui seduxit, sed liber & suæ potestatis qui seductus est, sed imago & similitudo Dei fortior Angelo; sed afflatus Dei generosior spiritu materiali, quo Angeli constiterunt, qui facit, inquit, Spiritus Angelos & apparitores flammam ignis: quia nec universitatem homini subjecisset infirmo dominandi, & non potiori Angelis, quibus nihil tale subjecit.* Et lib. 3. cap. 8. & 9. phantasticum non fuisse Christi & Angelorum corpus, sed solidum ex visu & tactu demonstrat.

S. Aug. lib. 1. cont. Academicos cap. 7. Aërea animalia dæmones vocat, sensuum acumine, sed non ratione superiora. Item epist. 115. ad Nebridium eos subtilissimi sensûs animantes appellat. Epist. quoque 3. ad Fortunatianum Sancti Hyer. authoritate utitur, ut Deum corporeis hominum & Angelorum oculis impervium probet. Lib. etiam 2. de Trin. cap. 7. & lib. 83. quæst. 47. corporeos Angelos esse supponit.

Spirituales Angelos videntur existimasse, S. Ignat. in epist. ad Trall. ubi eos vocat incorporeas naturas; S. Iren. lib. 3. cap. 23. ubi ait sine carne esse Angelos; & Eusebius, qui lib. 3 de Demonst. cap. 3. id tanquàm dogma communi sententiâ probatum scribit: *Accepimus*, inquit, *esse quasdam post supremum Deum potestates naturâ incorporeas, intelligentes, rationales, omnique virtute præditas, quæ circum regem universi choros exerceant: quarum plures etiam usque ad homines istius Patris nutu, quâdam salutari dispositione mittantur, quasque & cognoscere, & venerari pro ratione graduque dignitatis edocti sumus, ut soli Deo, qui Rex est universi, adorationis honorem tribuamus.* Ità pariter SS. Basil. in Psal. 32. Greg. Niss. lib. 12. contra Eunom. Gregor. Naz. orat. 34. Epiph. hær. 26. Paulinus in epist. ad S. August. inter S. August. epist.

Volunt aliqui dubium hâc in materiâ fuisse S. August. licet in sententiam, quæ Angelis corpora tribuit, propensior videatur. Etenim in Enchir. cap. 59. difficillimam esse dicit quęstionem de corporibus Angelorum. Lib. 1. Retract. cap. 26. id quod dixerat quęst. 67. quosdam scilicet Angelos animaliter vivere, retractat velut audaciùs dictum. Lib. 21. de civit. cap. 10. cum dixisset Dæmonibus quoque sua esse corpora ex aëre conflata: addit tamen contentione dicendi non esse cum illis decertandum, qui contrarium dicerent: *Si autem quispiam*, inquit, *nulla habere corpora Dæmones asserit, non est hâc de re aut laborandum*

operosâ inquisitione, aut contentiosâ disputatione certandum.

In Concilio 7. act. 5. refertur Joannem Episcop. Thessalon. censuisse Angelos omninò corporis expertes non esse; verùm tenui corpore præditos, aëreo nempè, vel igneo; ac multoties in proprio corpore visos esse; eâque in sententiâ fuisse SS. Basilium, Athan. & Methodium: quam sententiam & ejusdem Synodi Patres videntur acclamatione suâ comprobasse. Cum enim Episcopus Thessalonicensis ostendisset Angelos pingi oportere, *quia circumscripti sunt, & velut homines apparuerunt*; sancta Synodus respondit: *Etiam Domine.* Licet autem opinionem non probasse dicerentur Concilii Patres, sed consecutionem indè deductam, videlicet pingi posse Angelos; nullam tamen erroris notam huic sententiæ inussisse fatendum esset; & proindè non censuisse ad fidem pertinere sententiam, quæ corpus omne Angelis negat; nec cuipiam hâc in parte faciendam esse molestiam.

Si ratio consulatur sibi soli relicta, vix tamen quidquam in loco finito concipit, quod non ut corpore circumvolutum apprehendat.

Hinc colligi potest nec in Scripturis, nec in Traditione confici posse, Angelos esse omnis materiæ expertes. 1. enim quæ ex Scripturis petuntur probationes, ut Psal. 103. & Heb. 1. ubi Angeli dicuntur spiritus; non illius sunt momenti, ut corporis naturam Angelis detrahant; cum tenuioris corporis res eodem nomine in Scripturâ appellentur, ut aër & ventus, Psal. 145. & 148. &c. 2. nec etiam illud ex Traditione potest colligi; cum tam varia fuerit Patrum sententia.

Nec Conc. Later. 4. sub Innoc. III. quęstionem illam definiit: controversia enim non erat, an Angeli essent omnis materiæ expertes, an non? sed tantùm, an omnium visibilium & invisibilium auctor Deus esset adversus hęresim Manichæorum, contra quam hoc decretum fuit sancitum. Hoc unum igitur ex superioribus superest colligendum, varias nempè de Angelorum naturâ fuisse veterum opiniones, liberumque olim fuisse relictum alterutri adhęrere sententiæ. Cęterùm cujuscunque sint momenti argumenta, quæ parti neganti favent, in affirmantem sum propensior.

CONCL. Materiæ omnis Angeli expertes dicendi videntur.

Prob. 1. quia in hunc sensum exponi possunt Scripturæ, & à pluribus exponuntur. 2. quòd spiritus vocentur. 3. quòd moveantur in instanti; nec alias operationes eliciant Angeli præter spiritales, quæ nullatenùs è materiâ pendent: nam solùm intelligunt, volunt, & moventur: operandi autem ratio est necessariò naturæ consentanea. Igitur Angeli expertes materiæ dicendi videntur.



ARTICULUS QUARTUS.

Quæ sint Angelorum apparitiones?

IN dubium vocari non potest, quin Angeli se videndos sępissimè præbuerint, cum tam frequentes Angelorum apparitiones Scripturæ referant.

Quęritur 1. num quid certi de illarum apparitionum qualitate, & modo statui possit? aut num à talibus quęstionibus satiùs abstinendum foret?

R. cum S. Augustino in Enchir. cap. 59. nihil certi constitui posse; iis tamen quęstionibus utiliter mentem exerceri, modò intra debitos humilitatis limites contineatur. *Et absit*, inquit, *error opinantium se scire quod nesciunt: quid enim opus est, ut hæc atque hujusmodi affirmentur, vel negentur, vel definiantur cum discrimine, quandò sine crimine nesciuntur.*

Quær. 2. num in promptu sit Dæmonum apparitiones à sanctorum Angelorum manifestatione secernere?

R. cum S. Augustino discrimen vix posse percipi; quòd nempè bonorum habitum & speciem Dęmones sæpiùs induant, & sic beatos se Angelos mentiantur: hanc tamen discriminis rationem tradit ipse Sanct. Aug. nempè si aut in errorem, aut in peccatum inducere velint: ità in Enchir. cap. 60. *Quandò sensus corporis fallit, mentem verò non movet à verà rectâque sententiâ, quâ quisque vitam fidelem gerit.* Addit eos sine dono singulari vix secerni posse: ità lib. 2. de Gen. ad Litt. cap. 14. *Hunc discerni non arbitror, nisi dono illo, de quo ait Apost. cum de diversis Dei muneribus loqueretur, aliis dijudicatio spirituum: non enim magnum est, tunc eum dignoscere, cum ad aliqua pervenerit, vel perduxerit, quæ sunt contra bonos mores, vel regulam fidei: tunc enim à multis discernitur. Illo autem dono, in ipso primordio, quo multis adhuc bonus apparet, continuò dijudicatur, an malus sit. Tamen & per corporalem visionem, & per imagines corporalium, quæ demonstrantur in spiritu, & boni instruunt, & mali fallunt. Intellectualis autem visio non fallitur: aut enim non intelligit, qui aliud opinatur, quàm est; aut si intelligit, continuò verum est.*

Quær. 3. num vera sint corpora, quæ sibi sumunt tùm Angeli, tùm Dæmones? & quomodo?

R. S. Augustinus in epist. ad S. Paulinum, Angelos assumere vera corpora. Idem asserit lib 15 de civit. cap. 23. his verbis: *Apparuisse hominibus Angelos in talibus corporibus, ut non solùm videri, verùm etiam tangi possent, eadem verissima Scriptura testatur.* Et sanè tam aperta sunt Scripturæ verba, ubi de Angelorum apparitionibus sermonem habent, ut ad apparitiones imaginarias detorqueri non possint: se enim contrectandos non solùm à Sanctis, sed ab aliis, & à plurimis prębuerunt.

buerunt Angeli, ut ex Gen. 18. & 19. præsertim verò ex libro Tobiæ compertum fit. Illa autem corpora, quæ sibi sumunt Angeli, aut sunt hominum, qui recèns occubuerunt; aut ex aëre, aut ex aliâ materiâ componuntur: Sic Tert. lib. de animâ cap. 57. Illa verò corpora hypostaticè sibi non uniunt, aut physicè; quia unio hypostatica divina est penitùs, & soli Christo competit. Virtute naturali ea corpora sumunt Angeli; cum virtus ea sit communis bonis & malis Angelis, nec Angelicam virtutem excedat.

Formam humanam sibi sumere solent Angeli; quia est perfectior simul & aptior legationi Angelorum: sic enim, & ad hominum commoda, si boni; & ad hominum infelicitatem procurandam, si mali, magis idonei & accommodati videntur.

Vitales tamen in corporibus assumptis non eliciunt operationes; quia physicè corpora sibi non conjungunt; nec eis inest principium internum vitaliter informans, ut loquuntur. Quarè cum sermonem habuisse, vel comedisse feruntur, non ficto quidèm & inani phantasmate sumpserunt escas, sed metaphoricè tantùm loquebantur & comedebant; quia cibos non convertebant in sui substantiam. Undè Raphaël Tobiæ cap. 12. ℣. 19. *Videbar quidem vobiscum manducare & bibere: sed ego cibo invisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, utor.* Ità de aliis operationibus, quæ ipsis tribuuntur Angelis.

ARTICULUS QUINTUS.

Utrum Angeli sint immortales?

Duplex est immortalitas: alia quæ ex naturâ oritur, quâ fit, ut res nec destrui, nec annihilari possit, qualis est solus Deus; alia verò ex singulari Dei beneficio habetur; quæ iterùm duplicis est generis: una nimirùm, quâ res talis est naturæ, ut in æternum sit permansura, si soli suæ naturæ permittatur, nec destruatur à Deo; utpotè quæ nec qualitatibus contrariis, nec ex materiâ & formâ constet, seu à corruptionis principiis longè abhorreat: alia verò immortalitatis est species, quâ res licet naturâ suâ corruptioni sit obnoxia, à corruptione tamen immunis conservatur, cujusmodi erunt post resurrectionem corpora. Hac autem immortalitate immortales tantùm esse Angelos plerique crediderunt, quòd singulari Dei beneficio à corruptione tuti servarentur: ità S. Iren. lib. 2. cap. 64. & Arnob. lib. 2. S. Ambr. lib. 3. de fide cap. 3. In negotio ex principiis philosophicis definiendo dicam cum aliis, Angelos ità immortales esse, ut nunquàm perituri sint; quia nullum est in eis corruptionis principium: annihilari tamen possunt ex S. Cyril. assert. 10. Thes. & S. Aug. epist. 56. quia perire potest quidquid est ex nihilo factum.

ARTICULUS SEXTUS.

An differant Angeli? & quomodò?

RESP. 1. diſcrimen illud penitùs eſſe nobis incognitum. Undè S. Aug. adversùs Priſcillian. cap. 11. ſic habet: *Eſſe itaquè ſedes, dominationes, principatus, poteſtates, in cœleſtibus apparatibus, firmiſſimè credo, & differre inter ſe aliquid indubitatâ fide teneo. Sed quo, & quanam iſta ſint, & quid inter ſe differant neſcio. Nec eâ ſanè ignorantiâ periclitari me puto, ſicut in obedientiâ, ſi Domini præcepta neglexero.*

R. 2. probabiliter ſtatui poſſe, numero tantùm illos differre. 1. quia ejuſdem ſunt naturæ ex Sanct. Baſil. lib. 3. cont. Eunom. *Angeli omnes*, inquit, *ut appellationis unius ſunt inter ſe, & tamen eorum alii gentibus præſunt: alii verò fidelium ſingulis aſſiſtunt: quantò autem gens univerſa uni homini præſtat; tantò utiquè majorem eſſe neceſſe eſt dignitatem Angeli ejus, qui toti genti præſidet, quam illius cui unius tutela committitur.* Ac demùm ità concludit. *Quorsùm hæc oratio? ut intelligamus non prorsùs ut aliquid ordine ac dignitate ſecundum eſt ac tertium, hoc & naturam habere alteram: nam ut in Angelis alius eſt princeps, alius eſt ſubjectus; & tamen naturâ Angeli ſunt omnes, & in dignitate quidem eſt differentia, in naturâ verò communio: nam & ſtella à ſtellâ differt in gloriâ, & natura ſtellarum omnium eſt una.*

Sic etiam S. Gregor. Niſſ. lib. 6. cont. Eunom. & lib. de opificio hominis cap. 17.

Docent quidam omnes Angelos ſpecie differre, quòd ſcilicet non conſtent ex materiâ, ex quâ, inquiunt, repetitur individuationis principium.

Verùm non placet hæc ſententia; quia falſo nititur principio: neque enim veriſimile eſt individuationis principium ex materiâ repetendum eſſe; alioquin ſpecie differrent animæ à corporibus ſeparatæ: quod nullus ſanæ mentis dixerit.

Cęterùm quo fundamento aſſeratur non poſſe creari Angelos, qui ſolo numero differant, non video.

ARTICULUS SEPTIMUS.

Quis ſit Angelorum numerus? & quo ſint ordine inter ſe conſtituti?

CONCLUSIO I. Incertum eſt quot ſint Angeli, cum Angelorum numerus nullibi tradatur.

Prob. quia innumeros eſſe conſtat: Dan. quippè 7. ℣. 10. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.* Item Apoc. cap. 5. ℣. 11. *Et erat numerus eorum millia millium.* Quibus ver-

bis incertus numerus, & propemodùm infinitus exprimitur. Similiter Job. 25. v. 3 *Numquid est numerus militum ejus.* Equidem eorum numerus Deo est cognitus; sed à nobis definiri non potest.

Opp. Deut. 32. v. 8. juxta 70. Interpret. *Constituit terminos Gentium juxta numeros Angelorum.* Et proindè populorum numero Angelorum numerus respondet; sicque non tantæ amplitudinis est.

R. in Hebræo, & in Vulgatâ non haberi, *juxta numerum Angelorum, sed juxta numerum filiorum Israël*: seu, ut habetur, divisit Altissimus gentes varias, mundi partes illis largitus; & tunc sufficientem terræ partem filiis Israël, quibus, ut observant plures Interpretes, septem populorum terras destinavit & concessit. Igitur Deut. 32. non agitur propriè de Angelis, vel de eorum numero; sed de filiis Dei, seu Israëlitis.

Concl. II. Est inter Angelos ordo hominibus incognitus.

Prob. Nam S. Iren. lib. 2. cap. 54. hunc ordinem omnes homines latere supponit; & ideò in Valentinos, qui summam Deorum cognitionem sibi tribuebant, ità insurgit: *Dicant nobis, quæ sit invisibilium natura: enarrent numerum Angelorum, & ordinem Archangelorum: demonstrent Thronorum sacramenta: doceant diversitates Dominantium, Principatuum, Potestatum, atque Virtutum.* Item S. August. lib. contra Priscillianistas cap. 11. ordinem illum scribit in Scripturis non esse traditum. Idem quoque docet Enchir. cap. 50.

Quæritur 1. an liceat de Angelorum ordinibus nobis incognitis disserere?

R. licere, servatis modestiæ, & humilitatis legibus: traditos enim in Scripturis Angelorum ordines licet referre; retulerunt nempè S. Iren. & S. Athan. cujus hæc sunt verba in epist. ad Serap. *Ante homines Angeli, Archangeli, Cherubim, Seraphim, Virtutes, Principatus, Potestates, Dominationes, Paradisus; & ità singula in suo ordine & vocabulo permanent.* Thronos verò, qui hîc omissi sunt, ibidem posteà commemoravit, & alibi, ut orat. 3. & 4. in Arianos. Plerosque recensent S. Basil. lib. de Spiritu sancto cap. 16. S. Epiph. hær. 64. S. Greg. Naz. orat. 34. S. Greg. Niss. Hom. 15. in Cantica, S. Cyrill. Alex. sæpiùs. Alios autem esse ordines præter laudatos in Scripturâ docet S. Chrysost. orat. 5. contra Anomæos, & Hom. 4. de incomprehensibili Dei naturâ, ubi sic habet: *Sunt enim vel aliæ virtutes, quarum ne nomina quidem novimus. Cogitate animo, quanta sit hæreticorum insolentia; servorum ne appellationes quidem scimus, & illi Domini substantiam curiosiùs inquirunt. Sunt enim Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, & Potestates: sed non soli illi sunt cœtus in cœlis: verùm infinitæ gentes, & nationes ineffabiles, quas nulla explicare potest ratio. Undenam constet, quærens plures iis alias esse virtutes, quarum ne vocabula quidem novimus, nimirùm qui illa dixit Paulus, & hoc asseveravit alterum, cum sic de Christo loquitur? Constituit eum super omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro. Videtis, ut*

sint aliqua nomina, quæ manifesta illîc erunt, cum sint ignota modò: nam proptereà dixit, non solùm quæ nominantur in hoc seculo, sed etiam in futuro. Licet igitur de illis ordinibus sermonem instituere: quamvis aliundè quidquam certi hâc in re non possit constitui.

Quæritur 2. quid de ordine à S. Dionysio inter Angelos constituto sit sentiendum, de novem scilicet Angelorum ordinibus; ita ut primo loco ponantur Seraphim, secundo Cherubim, tertio Throni, quarto Dominationes, quinto Virtutes, sexto Potestates, septimo Principatus, octavo Archangeli, nono Angeli: cum S. Gregorius Magnus Principatus quinto loco, & Virtutes septimo ponat.

R. de illâ ordinatione statuendum esse, quod ipse S. Dionysius eodem cap. 6. de Cœlesti Hierarch. constituit: *Quantæ quidem*, inquit, *sint & quales supercœlestium essentiarum dispositiones, & quo pacto earum sacri ordines initientur, solùm exactè nosse censeo divinum illum, à quo consecrantur, Principatum.*

Quær. 3. an etiam inter Dæmones quidam sit ordo?

R. ordinem quemdam inter eos constitutum esse: sic Origen. Hom. 15. in Josue, ubi hæc habet: *Undè mihi videtur esse infinitus quidam numerus contrariarum virtutum, pro eo quòd per singulos penè homines sunt spiritus aliqui, diversa in iis peccatorum genera molientes: verbi causâ, est aliquis fornicationis spiritus; est iræ spiritus alius; est avaritiæ spiritus; alius verò superbiæ &c.* Sic ex Origene, qui variis affectibus obnoxii sunt, quamplurimis iis spiritibus subjacent, & pro variis cupiditatibus pravis, variis aguntur spiritibus. Hoc etiam ibidem addit: *Sed puto magis principem quidem fornicationis spiritum unum esse; innumeros verò esse, qui in hoc ei officio pareant, & per singulos quosque homines diversi spiritus sub eo principe militantes, ad hujuscemodi eos peccata sollicitent.* Iis autem præesse & præstare supremum quemdam omnium maximè improbum Dæmonem infert ex Apost. ad Ephes. cap. ult. v. 12. *Quoniam nobis est colluctatio adversus Principes, & Potestates; adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Et verò cum peccatum naturam non destruat, non fuit subversus ordo inter eos constitutus. Undè cum Job. cap. 10. v. 22. legamus in inferno nullum esse ordinem; de ordine, qui ad beatitudinem spectat, sermo est; non de ordine potestatis, qui à Deo est institutus: præterquamquòd juxta 70. versionem nulla superest difficultas; itâ enim legitur: *Ubi non est lux, neque est videre vitam hominum.*

Quæritur ultimò, an aliis possint donari nominibus Angeli, quàm quibus in Scripturis insigniuntur?

R. non esse donandos; & ideò Patres Concilii Romani an. 745. sub Zachariâ Act 3. cujusdam Aldeberti orationem, cui Angelorum octo nomina inseruerat, damnant, eamque decernunt igni esse tradendam; cum Ecclesia non plus quàm trium, SS. Michaelis, Gabrielis, & Raphaelis, Angelorum nomina referat.

ARTICULUS OCTAVUS.

Quæ sit Angelorum intelligentia?

PLURIMAS, quæ hîc moveri possent quæstiones, ubi de beatorum visione, solvimus; ibidemque variam cognoscendi rationem distinximus; eam scilicet, quæ ex rebus creatis oriatur; alteram verò, quæ ex Deo ipso: Verbis autem explicare, nec cogitando consequi licet, quæ propriè sit Angelorum cognitio, ut tradit S. Ambr. lib. 5. de fide cap. 1. & lib. 7. in Lucam. Paucis ergò quæ supersunt tractanda, expediemus.

Quær. 1. an multa tùm bonis Angelis, tùm Dæmonibus ignota sint?

R. 1. illis esse ignota plurima: Judicii diem ignorant, Matth. 24. v. 26. Marc. 13. v. 32. Ephes. 2. v. 9. & 10. Non statim in cœlestium mysteriorum agnitionem adducti sunt, ex S. Iren. lib. 2. cap. 48. Verbi generationem non noscunt, ut exscripsimus quæst. 1. art. 1. & quæst. 2. art. 3. de Trin. Ex Orig. Hom. in Cant. non solùm in hominibus, sed etiam in Angelis Mysteriorum cognitio innovatur, & per singularem tantummodò revelationem quæ sunt supra naturam cognoverunt.

2. Nec Angeli sancti, nec Dæmones noverunt futura. Id jam aliàs probavimus, idemque apertè tradunt Scripturæ, ut Isaiæ 41. v. 22. *Accedant & nuntient nobis quæcumque ventura sunt: priora quæ fuerunt nuntiate: & ponemus cor nostrum, & sciemus novissima eorum, & quæ ventura sunt indicate nobis. Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dii estis vos.* Et cap. 44. v. 6. *Ego primus, & ego novissimus, & absque me non est Deus. Quis similis mei? vocet & annuntiet: & ordinem exponat mihi, ex quo constitui populum antiquum: ventura & quæ futura sunt annuntient eis* &c. Hinc veri Prophetæ ex rerum prænuntiatarum complemento à Deo se missos fuisse comprobarunt; alios verò illusores esse, ut Deut. 18. v. 22. Jerem. 28. v. 9. Undè Tert. Apol. cap. 20. sic habet: *Idoneum testimonium divinitatis, veritas divinationis.* Et ex S. Hil. lib. 9. de Trin. proprium Deo quid aliud est, quàm cognitio futurorum? Si quid ergò futurum portendunt Dæmones, ex causis necessariis, atque naturalibus illud colligunt. In naturalibus etiam sæpiùs falluntur, cum rerum ordinem Deo placet immutare.

3. Nec Angeli, nec Dæmones liberas animorum cogitationes noverunt: nam à Deo solo eas investigari & cognosci docet Scriptura: lib. quippè 3. Reg. cap. 8. v. 39. *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.* Quod & 2. Paralip. cap. 6. v. 30. iisdem verbis repetitur. Item Ecclesiast. 42. v. 18. *Abyssum & cor hominum investigavit.* Jerem. 17. v. 9. *Pravum est cor omnium & inscrutabile; quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes.* Ex quibus solius esse Dei nosse cordis intima colligunt Tert. lib. 5. cont. Marcion. cap. 15. S. Ambr. in cap. 5.

S. Luc. S. Aug. epist. 6. Quid plura? Ex istis verbis, *Cognovit autem Jesus cogitationes eorum*, inferunt Patres Christum verum esse Deum, quòd nempè secretas mentium cogitationes haberet compertas: ità Clemens Alex. lib. 5. Strom. S. Cypr. lib. de orat. Dominicâ, Novatian. lib. de Trin. cap. 13. S. Hilar. in Psalm. 139. S. Chrysost. Hom. 24. in Joan. & alii. Terminis istis sententiam nostram exprimit Origen. Hom. 8. in Gen. *Ipsi enim velut procurationem animarum nostrarum tenent, quibus, dum adhuc parvuli sumus, velut tutoribus & actoribus committimur usque ad præfinitum tempus à Patre. Et ipsi ergò nunc de profectu uniuscujusque nostrûm dicunt; quia nunc cognovi, quia tu times Deum. Verbi causâ, propositum habeo martyrium, non ex hoc dicere ad me Angelus poterit, quia nunc cognovi, quòd tu times Deum; Deo enim soli cognitum est propositum mentis: si verò accessero ad agones, protulero bonam confessionem, quæ inferuntur constanter cuncta suscepero, tunc potest dicere Angelus, velut confirmans me & corroborans, nunc cognovi quòd tu times Deum.* Et verò de ratione libertatis est, ut perfectum in actionem suam dominium obtineat voluntas; quod profectò non consequeretur, si ipsâ invitâ in Angelorum notitiam venirent, quæ vellet occultare. Quòd si ergò aliquid ejusmodi perspectum habent Angeli, aut divinæ revelationi, aut conjecturis, aut operantis arbitrio totum debent.

Quandóque SS. Patres, ut S. Basil. de verâ virginitate, & alii, Angelos nullibi non adesse scribunt; non quòd Angelis divinam tribuant cognitionem, aut immensitatem; sed ut ad venerationem Deo ubique præsenti deferendam nos exemplo Angelorum incitent.

4. Longè minor est Dæmonum, quàm bonorum Angelorum cognitio: nam multa naturalia ignorant; & aliundè pleraque illis absconduntur, quæ divinitùs hominibus conceduntur, ut gratia interior, quâ juvatur homo; alioquin, ut docet S. Aug. lib. de Gen. ad Litt. cap. 17. ab inducendis in peccata piis hominibus sæpiùs abstinerent: nollent enim ab homine superari. Incognitum etiam ipsis fuit Trinitatis & Incarnationis mysterium, quòd naturalem cognoscendi facultatem excedat. Undè docet S. Ignat epist. ad Ephes. tria mysteria amoris, quæ in silentio peracta sunt, Dæmonibus incognita fuisse: videlicet Beatæ Mariæ virginitatem, Incarnati Verbi nativitatem, & mortem. Multa etiam quæ ad Incarnationem spectant, in notitiam Dæmonum non venisse tradunt S. Justin. in Apol. ad Antonin. & S. Iren. lib. 5. cap. 21.

Quæ sit Angelorum & Dæmonum latitudo, ità tradit S. Aug. lib. 9. de civit. cap. 21. *Tantùm verò eis innotuit, quantùm voluit: tantùm autem voluit, quantùm oportuit. Sed innotuit, non sicut Angelis sanctis, qui ejus secundum id quod Dei verbum, participatâ æternitate perfruuntur: sed sicut eis terrendis innotescendum fuit ... sed per quædam temporalia suæ virtutis effecta, & occultissimæ signa præsentiæ, quæ Angelicis sensibus etiam malignorum spirituum potiùs, quàm infirmitati hominum, possent esse conspicua. Deniquè quando ea paululùm supprimenda judicavit,*

& aliquantò altiùs latuit; dubitavit de illo Dæmonum Princeps, eumque tentavit, an Christus esset.

Quæritur 1. an Angeli per infusas species res corporeas habeant sibi perspectas?

R. per species infusas Angelos non cognoscere res corporeas; quia ex S. Aug. lib. 2. de Gen. ad Litt. cap. 8. non tàm in creaturis, quàm in Verbo creaturas cognoscunt: *Neque enim*, inquit, *sicut pecora, solo sensu corporis vident Angeli hæc sensibilia; sed si quo sensu tali utuntur, agnoscunt ea potiùs, quæ meliùs noverunt interiùs in ipso Dei Verbo, à quo illuminantur, ut sapienter vivant.* Et lib. 4. cap. 24. *In quo sunt omnium, etiam quæ temporaliter facta sunt, æternæ rationes, tanquam in eo, per quod facta sunt omnia. Non remanet Angelica scientia in eo, quod creatum est; quin hoc continuò referat ad ejus laudem atque caritatem, in quo id non factum esse, sed faciendum fuisse cognoscitur. Nam si vel ad seipsam, in quâ veritate stando dies est, natura Angelica converteretur, seque ampliùs delectaretur quàm illo, cujus participatione beata est; intumescens superbiâ caderet, sicut Diabolus.* Et cap. 29. & 30. distinguit, ut aliàs observavimus, duplicem in Beatis & Angelis cognitionem, matutinam scilicet, quâ creaturæ in Verbo; & vespertinam, quâ in seipsis creaturæ cognoscuntur. Cap. 31. & 32. in Angelorum cognitionem creaturas venisse scribit, cum è nihilo eductæ sunt: si autem Angelis creaturarum species innatæ aut ingenitæ fuissent, longè ante earum productionem illas compertas habuissent: *Mens verò Angelica purâ charitate inhærens Verbo Dei, posteaquàm illo ordine creata est, ut præcederet cætera, priùs ea vidit in Verbo Dei facienda, quàm facta sunt.... quæ itidem facta in eis ipsis etiam cognovit, minore utique notitiâ, quæ vespera dicta est, quàm notitiam sanè præcedebant quæ fiebant; quia præcedit cognitionem quidquid cognosci potest. Nisi enim prius sit quod cognoscatur, cognosci non potest.*

Et verò ex sententiâ, quæ rerum species Angelis connaturales asserit, gravia sequuntur incommoda; scilicet quælibet singularia eis esse cognita; nihil in terrâ fieri, quod eos lateat; nihil novi discere Angelos, aut Dæmones: quæ singula & rationi, & communi Antiquorum sententiæ, & Scripturis adversantur.

O B J. Angeli perfecti creati sunt: igitur omnibus rerum intelligibilium speciebus donati sunt. 2. Non possunt res materiales naturaliter in spiritualem naturam agere; & proindè nec immittere in eam species: & sic eas aliundè mutuantur Angeli: ergò à Deo. 3. Alia est cognoscendi ratio Angelorum à ratione, quâ homines cognoscunt: sed homines mediis, quæ ex objectis profluunt, speciebus ad eliciendam cognitionem juvantur: ergò non eadem in Angelis exigenda est necessitas; sed species innatas à Deo acceperunt.

R. 1. gratis hæc omnia supponi.

Primò enim, licet debitâ perfectione ornati fuerint Angeli; undè ad perfectionis cumulum ejusmodi species conferre probantur?

Secundò, quòd rerum materialium virtus in spiritualia non agat; quid hoc ad specierum connaturalium necessitatem?

Tertiò, si aliam ab Angelo agendi rationem sortitus esset homo, quòd corporis utatur auxilio; undè inter Angeli & hominis operandi rationem ducetur discrimen? ubi scilicet anima à sensibus atque corporis vinculis libera sibi soli permittetur? Omnis ergò illa specierum connaturalium necessitas corruit. Sed de omni specierum genere fusiùs, ubi de speciebus expressis & impressis tractatum fuit. Fateri liceat cognitionis Angelorum rationem nobis esse ignotam, simul & species illas connaturales nobis inutiles videri.

Quæritur 3. an Angelorum bonorum cognitio ab errore penitùs sit immunis.

R. errore omni vacare: ità S. Aug. lib. 2. de bapt. cap. 5. *Homines enim sumus: undè aliquid aliter sapere, quàm res se habet, humana tentatio est in nullo autem aliter sapere, quàm res se habet, Angelica perfectio est.* Et lib. 9. de civit. cap. 22. *& ideò certius etiam temporalia & mutabilia ista noverunt; quia eorum principales causas in Verbo Dei conspiciunt, per quod factus est mundus.*

Q. 4. an & quomodò se invicem alloquantur Angeli?

R. non posse in dubium vocari, quin Angeli semetipsos alloquantur: tùm quia ex Isaï. *6.* ✠. *3. Duo Seraphim clamabant alter ad alterum, & dicebant &c.* Tùm quia Zachar. cap. 2. v. 3. *Angelus alius egrediebatur in occursum ejus* (nempè alterius Angeli) *& dixit ad eum &c.* Tùm etiam quia 1. Cor. 13. v. 1. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, &c.* De propriâ locutione Apostolum disserere existimarunt S. Basil. Hom. in hæc verba, *In principio erat Verbum*, S. Chrisost. & alii.

Cujuscemodi verò sit Angelica collocutio, me ignorare fateor: referam solummodo quid S. Greg. Niss. lib. 13. cont. Eunom. scripsit. *Inexpertæ materiæ, & intelligibili naturâ mentis actio, sermo est nequaquam materiali utens organorum ministerio: Etenim in humanâ naturâ nihil opus haberemus verborum ac nominum usu, si nudos animi motus mutuò demonstrare possemus; nunc cum interiores mentis nostræ motiones, pro eo quod carnis involucro natura nostra circumscribitur, palàm fieri nequeant, necessariò facimus, ut certas nominum impositiones tanquam signa rebus affingentes illarum ope mentis nostræ opus invicem vulgemus.* Cum ergò ità visum est Angelis, suam mentis cogitationem ad alios dirigunt; & sic colloquia, aut sermonem miscent.



ARTIC.

ARTICULUS NONUS.

An ad inferiora mittantur omnes Angeli?

VARIÆ sunt hâc de re Antiquorum sententiæ. Quibusdam tantùm Angelis hanc demandatam esse Provinciam asserunt ex SS. Patribus nonnulli. S. Dionysius lib. de Cœlest. Hierarch. cap. 13. supremos Angelos nunquàm ad hæc infima mitti contendit. S. etiam Gregorius Hom. 34. in Evang. duos solùm infimos Angelorum ordines perferendis in terram nuntiis adhiberi putat. Sentiunt alii cujusque ordinis Angelis illud officii præcipi, variaque munia illis injungi.

Hanc sententiam posteriorem, quam probat S. Bern. serm. de S. Bened. & de S. Michaele, amplectimur, tùm quòd Isaias cap. 6. ℣. 6. ex Seraphim unum ad se purgandum accessisse referat; tùm quòd Apostolus Hebr. 1. ℣. 14. omnes Angelos ministros divinæ voluntatis vocet: *Nonne*, inquit, *omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis?* Quod clariùs etiam perspectum fit ex proposito Apostoli: ut enim probet Filium Dei omnibus creaturis, imò & ipsis Angelis, qui præstant cæteris rebus creatis, dignitate longè superiorem esse, ità loquitur v. 4. *Tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hereditavit:* nimirùm quòd Dei Filius sit, & illi sint tantummodò ministri. Si autem à ministerio eximerentur supremi ordines, Angelis & Archangelis præstare quidem diceretur Christus; sed non omnibus Angelis; & proindè nullius ponderis esset Apostoli disceptatio: sed cum dicat, eos omnes esse administratorios spiritus, neminem prorsùs excepit. Hunc esse Apostoli sensum indè deducitur, quod validum ex illâ authoritate duxerint argumentum Veteres, qui contra Arianos, aut Eunomianos disputarunt: scilicet indè colligebant, communi lege servitutis, cui omnes creaturæ, & præstantissimi Angeli astringuntur, non teneri Christum: sic Sanctus Athanas. orat. 2. & 3. contra Arian. Sanctus Gregorius Niss. lib. 3, contra Eunom. & Sanctus Chrysostomus Hom. 8. in Gen.

ARTICULUS DECIMUS.

Quibus creaturis præficiantur Angeli? & quorum custodia eis demandetur?

ERRORES hi lib. 2. Lactnat. c. 15. inseruntur: 1. in res terrenas ab initio potestatem Diabolo fuisse à Deo traditam. 2. tunc tantùm hominibus custodiendis præpositos fuisse Angelos, cum hominum saluti à Dæmonum insidiis fuit timendum. 3. Deum Angelis præcepisse, ne terræ conta-

gione macularentur. 4. Diaborum ad mulierum congressum Angelos pellexisse, & ab eo tempore in terram cecidisse. 5. Ex iis quosdam in diaboli ministros evasisse, & quia mediæ cujusdam naturæ erant, cœli pariter & inferorum aditu fuisse interdictos. Hinc ait duo genera dæmonum exorta esse, unum cæleste, alterum terrenum.

Concl. I. Non solum specialem aliquorum hominum curam habent Angeli Sancti; sed etiam omnium hominum custodiæ præficiuntur & incumbunt.

Prob. prima pars: Nam Sanctos Angelos singularem hominum quorumdam curam gerere patet ex Gen. 48. v. 16. Judith. 13. v. 2. & Act. cap. 12. v. 15. ubi sic de Sancti Petri Angelo loquuntur, qui domi erant, cujus ostium pulsabat S. Petrus è carcere eductus, *Angelus ejus est*. Hanc veritatem tuetur Origen. tùm lib. 5. cont. Celsum, tùm & lib. 8. contra eundem. Tuentur pariter S. Greg. in orat. habitâ in laudem Origenis, Lact. lib. 2. cap. 15. Euseb. lib. 3. de demonstr. cap. 16. & S. Amb. orat. de Basilicis non tradendis hæreticis c. Auxentium: hæc sunt ejus verba: *& respexit, & vidit Angelorum millia: advertitis igitur quòd servulos Christi ii magis custodiant, qui non videntur, quàm qui videntur: sed & illi si custodiunt, vestris custodiunt orationibus advocati.* Idem etiam habet lib. 2. de Jacob. v. 6.

Prob. 2. pars: Nam singulis hominibus præfici Angelos Sanctos liquet ex his Christi verbis Matth. 18. v. 10. relatis: *videte ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem patris mei, qui in cœlis est.* Indè singulorum hominum curam Angelis esse demandatam infert Origenes, & beneficia quæ præstant recenset Hom. 20. in Num. ubi sic habet: *Adest*, inquit, *unicuique nostrum, etiam minimis qui sunt in Ecclesiâ Dei, Angelus bonus, Angelus qui regat, qui moveat, qui gubernet, qui pro actibus nostris corrigendis, & miserationibus exposcendis quotidiè videat faciem Patris, qui in cælis est; sicut Dominus designat in Evangeliis.* Et Hom. 8. in Josuë ait Angelos custodes à Dæmonibus nos tueri, non secus ac Israëlitas, qui hostes suos Haïtas oppresserunt. & Hom. 1. in Ps. 37. ab Angelis nos corripi & castigari ex Pastoris libello tradit.

S. Basil. initio lib. 3. cont. Eunom. docet traditos nobis fuisse Angelos custodes, testes, doctores, & duces: *Quod verò singulis fidelium adsit Angelus, ut pædagogus quidam & Pater ad vitam dirigendam, nemo contradicit, qui verborum Domini recordatur dicentis; ne contemnatis unum ex his pusillis.* Plurima hujuscemodi tradit S. Aug. epist. 1 0. & alibi.

Non solis fidelibus præfici Angelos, videtur sentire S. Basil. Hom 6. existimans Angelos custodes in creatione fuisse datos. Eadem est sententia S. Greg. Niss. lib. de vita Mosis, ubi sic loquitur. *Posteaquam in peccatum natura nostra lapsa est, non omninò à clementiâ divinâ neglectam, neque absque suo patrocinio dimissam; sed Angelorum, qui naturâ incorporei sunt, aliquem in adminiculum cuique constitutum fuisse, naturæque nostræ corruptorem in omnibus contra annitentem pravum aliquem atque maleficum dæmonem; ad malè vivendum homines impellentem, ad singu-*

los destinasse. Sic sentiunt S. Hier. in Matth. & Theodor. in Gen.

Innumera recensentur in Scripturis beneficia, quæ nobis præstant, tùm ut bonorum operum occasionem subministrent, simulque cogitationes bonas suggerant; tùm ut à Dæmonum insidiis tueantur, & auxilium præbeant; tùm ut variis periculis nos subducant: ità se præstiterunt erga Jacobum, Moysem, Eliseum &c. tùm ut preces & bona opera suâ apud Deum intercessione commendent, ut Tobiæ 12. &c.

Undè Tert lib. de anima cap. 51. scribit nobis ex vitâ decedentibus adesse Angelum comitem, ex cujus aspectu, quid de nobis Deus statuerit, colligere in promptu sit.

Quæritur 1. an cuique suus sit quoque Dæmon.

R. Hanc esse multorum sententiam, ut Orig. lib. 2. de Prin. quod colligit ex Lib. Pastoris, & ex Epist. S. Barnabæ; quæ tamen opera non probantur ut genuina. Ità etiam S. Greg. Niss. lib. de vitâ Mosis.

Antiquis Philosophis familiaris fuit de Angelis doctrina, quos genii nomine designarunt. Undè non solis hominibus, sed etiam civitatibus præesse illos genios arbitrati sunt, ut videre est apud Tert. lib. de Idol.

Quær. 2. An Ecclesiæ generali, & Ecclesiis quibusque, regnis & civitatibus sui sint Angeli.

R. Ecclesiæ universalis curam gerere dicitur Michaël: sic Orig. Hom. 12. & 13. in Lucam. Cuique etiam Ecclesiæ duplicem Episcopum, visibilem unum, invisibilem alterum docet S. Greg. Naz. orat. 32. ubi cum Ecclesiæ suæ Constantin. ultimam salutem precatur, hæc habet: *Valete Angeli hujus Ecclesiæ præsides, meæque præsentiæ ac peregrinationis: si modo eo in manu Dei res nostræ sunt.*

R. 2. Regnorum & Civitatum custodiæ præficiuntur Angeli: nam Daniel cap. 10. v. 13. alterum Angelum vocat Persarum principem; alium verò Græcorum. Item S. Clemens Alex. dubitans, num singulis hominibus hæc gratia sit concessa, Gentibus præfectos fuisse censet lib. 6. Strom: *Nam per gentes*, inquit, *& civitates sunt distributæ Angelorum præfecturæ: fortasse autem etiam ex iis sunt deputati singulis.*

Orig. Hom. in Jerem. terræ & elementis præesse Angelos docet. Idem tradit S. Basil. lib. de Spiritu Sancto ex Deut. 32. Josue 5. & Daniel 10. Hæc autem orbis procuratio Angelis credita, videtur niti fundamento, quod tradit S. Aug. lib. 8. de Gen. ad Litt. cap. 23. divinæ nempè providentiæ decreto & ordine corporalem spiritali subdi creaturam.

Adversus superiora objici potest, solis justis præfici Angelos. Nam Ps. 90. v. 11. *Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te &c.* Et Heb. 1. v. 14. dicuntur *administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis.* S. etiam Chrysost. in eâ sententiâ fuisse videtur Hom. 3. in epist. ad Col. Idem traditur in orationibus, quæ in Baptismo adhibentur: *Quæsumus*, inquit Sacerdos, *ut mittere digneris sanctum Angelum tuum de cælis, ut custodiat hunc famulum tuum.* Prætereà cum homo Angelis sit naturâ inferior, multis hominibus invigilare posse videtur unicus Angelus.

Ad hæc omnia paucis responderi potest. 1. Singularem quidem justorum curam ab Angelis exigi, nihilque, quod in electorum gratiam non cedat, constitui. 2. S. Chrysost. de efficaci Angelorum custodiâ ibi agere: aut saltem hanc ejus fuisse privatam sententiam. 3. Ecclesiam in Baptismo singularem à Deo gratiam petere, ut perducat eum ad gratiam Baptismi. Quod 4. loco affertur, gravis non est momenti; cùm ab aliquibus sanctis Patribus negetur.

Subjungenda videntur, quæ observare solent SS. Patres jam anteà laudati; hæcque ad superioris doctrinæ probationem conducent. Monet 1. Orig. Hom. 14. in Num. tutelæ Angelicæ beneficia fore percepturum, qui perpetuæ orationi dederit operam; aut qui nihil non tentarit, quò fratres ad meliorem frugem revocet. 2. Monet etiam Hom. in Josuë, eadem beneficia percepturum, qui Scripturarum incubuerit lectioni, quòd illæ sint divinus liber, quo pascuntur & delectantur Angeli. 3 Monet adhuc lib. 5. contra Cels. easdem prærogativas habiturum, qui vestigiis Christi constanter inhæserit, & solâ mente Deum amarit. Addit verò Hom. 2. in Jerem. nos ab Angelis deseri, cum eorum consiliis aut non oblectamur; aut remedia, quæ nobis proponunt, respuimus. Sicut enim famæ suæ periculum aut jacturam ne faciant medici, aut ne operam perdant, ab ægrotis, qui curari nolunt, secedunt; ità se gerere Angelos docet. Idem Hom. 10. in Jerem. tradit gravem ab iis, qui Angelorum consilia parvi fecerunt, Judicii die repetendam vindictam; & tunc, ut docet Hom. 10. in Num. ab hominibus inquirendum fore, num Angelorum curæ & studio responderint. S. Bas. lib 3. contra Eunom. hæc de Angelorum custodiâ tradit: *Castrametabitur Angelus Domini in circuitu timentium ipsum.* Omni namque, ut habet epist. 41. in Christum credenti Angelus assistit, nisi illum à nobis per improbas actiones profligaverimus. Sicut enim fumus apes fugat, & fœtidus odor columbas expellit; sic Angelum vitæ nostræ custodem abigit multâ lacrymarum aspergine dignum & graveolens peccatum.

Quęr. ult. quorum Angelorum ministerio in infligendis pœnis utatur Deus?

Respondet 1. Origenes Hom. 2. in Jerem. utrosque à Deo tàm bonos quàm malos ad hoc ministerium adhiberi. S. August. lib. 1. Quęst. Evangelic. q. 10. vindicis Dei statuta legis instar & judicis, pio & laudabili animo implere posse Angelos beatos; ad eos verò solos misericordiæ officia pertinere.

Respondet 2. Orig. lib. 8. cont. Celsum, qui omnium, quę in nostros usus cederent, curam gerere Dæmones contendebat; & proindè cultu, quem grati animi officium exigeret, non esse fraudandos: respondet, inquam, Origenes, hoc esse falsum, simulque contendit malorum & calamitatum solummodò authores illos esse & ministros.

Resp. 3. nonnisi reprobos Angelos divinâ ordinatione ad inferenda hominibus mala seligi. Sic S. Aug. lib. de Agone christiano, cap. 7. ubi docet divinâ ordinatione, & justitiæ œconomiâ fieri, ut homo improbus

in peccati pœnam sit aliorum sceleratorum vexator. Idem lib. 83. quæst. q. 53. hanc justitiæ divinæ œconomiam exponit iterùm, ostenditque non perfecti, seu justi hominis ministerio, sed improborum consiliis homines decipi, qui merentur decipi, ut ex Achab à Pseudo-Prophetis decepto elucescit.

Ex eâ ineffabili rerum administratione addit S. Aug. emanare illam Legis vinæ imaginem, quâ fit, ut hominibus prò ipsorum meritis utendum esse judices decernant. Sic ad carnificis officium obeundum, non innocentis viri, sed hominis mortis supplicio damnati manus esse insumendas constituunt, ut à reo reus pœnas debitas reposcat. Ideò justos dicit fuisse Israelitas ab Ægyptiis pretiosa vasa mutuò accipere; sicque illis illudere, quòd essent digni, qui Ægytios deciperent, & pro cupiditate permitterentur vasa aurea, quibus inhiabant adhuc terrenarum rerum studiosi, petere non reddituri, & accipere quasi reddituri; quam & tàm diuturni laboris non injustam mercedem esse Deus voluit. Ex quibus colligit creaturarum Justissimum Ordinatorem per seipsum efficere, quæ Majestatem decent. Ità verò de Israelitis vasa mutuantibus loquitur: *Non enim erant idonei, quibus diceretur, Diligite inimicos vestros: sed tales erant, quibus tantummodò dici oporteret: Diliges proximum tuum, & oderis inimicum tuum.* Ex quibus facilè conjicere quisque poterit, quæ sint beatorum Angelorum munera.

FINIS.



PRIVILEGE DU ROY.


LOUIS PAR LA GRACE DE DIEU, ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE: A nos Amez & Feaux Conseillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maistre des Requestes ordinaires de nôtre Hôtel, Grand Conseil, Baillifs, Senechaux, Prevosts, leurs Lieutenans, & à tous autres nos Justiciers & Officiers qu'il appartiendra; Salut. Nôtre bien Amé FRANÇOIS FEU Docteur en Theologie de la Faculté de Paris, Curé de l'Eglise Paroissiale de saint Gervais & saint Protais en nôtre bonne Ville de Paris, Nous a fait remontrer, qu'ayant composé des Ouvrages intitulez, *Theologici Tractatus ex Sacris Codicibus & Sanctorum Patrum monumentis excerpti*; lesquels il desireroit faire imprimer, pour instruire les personnes consacrées à l'Eglise, dans les maximes principales de la Religion Chrétienne; il a recours à Nous, & Nous a fait supplier tres-humblement de lui vouloir accorder nos Lettres de Permission sur ce necessaires. A CES CAUSES, desirant traiter favorablement l'Exposant, & contribuer à l'avantage que le public tirera d'un si bon Ouvrage: NOUS permettons & accordons par ces Presentes audit Sieur FEU, de faire imprimer lesdits Traitez par lui composez, vendre & debiter dans tous les Lieux de nôtre Royaume, par tels Libraires ou Imprimeurs, en telle marge, caractere, nombre, volume, & autant de fois que bon lui semblera, durant le temps & espace de dix années consecutives; à comter du jour que lesdits Traitez seront achevez d'imprimer pour la premiere fois, en vertu des Presentes. Pendant lequel temps, Nous faisons tres-expresses deffenses à tous Imprimeurs, Libraires & autres, d'imprimer, faire imprimer, vendre & distribuer lesdits Traitez, sous pretexte d'augmentation, correction, changement de titre, fausse marge, ou autrement, à peine de trois mille livres d'amende, payables par chacun des contrevenans, applicables, un tiers à Nous, un tiers à l'Hôpital General de nôtre bonne Ville de Paris, & l'autre tiers à l'Exposant, de confiscation des Exemplaires contrefaits, & de tous dépens, dommages, & interests; à condition qu'il sera mis deux Exemplaires desdits Traitez dans nôtre Bibliotheque publique, un en celle du Cabinet de nos Livres en nôtre Château du Louvre, & un en celle de nôtre tres-Cher & Feal le Sieur Boucherat Chevalier Chancelier de France, avant que de les exposer en vente: A la charge aussi que l'impression en sera faite dans le Royaume, & non ailleurs; & que lesdits Traitez seront imprimez sur de beau & bon papier, & de belle impression; & ce suivant ce qui est porté par le Reglement fait pour la Librairie & Imprimerie au mois de Juin

1618. enregiſtré en nôtre Cour de Parlement le 9. Juillet enſuivant, à peine de nullité des Preſentes; leſquelles ſeront enregiſtrées dans le Regiſtre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de nôtre bonne Ville de Paris. SI vous mandons & enjoignons, que du contenu en icelles vous faſſiez joüir pleinement & paiſiblement l'Expoſant, ou ceux qui auront droit de lui, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait empêchement. Voulons auſſi qu'en mettant au commencement ou à la fin dudit Livre, une copie des Preſentes, ou extrait d'icelles, elles ſoient tenuës pour bien & deuëment ſignifiées, & que foy y ſoit ajoûtée, & aux copies collationnées par un de nos Amez & Feaux Conſeillers & Secretaires, comme à l'Original. Commandons au premier Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, de faire pour l'execution d'icelles, tous Exploits, Saiſies, & Actes neceſſaires, ſans demander autre permiſſion: CAR tel eſt nôtre plaiſir. DONNE' à Verſailles le vingt-ſeptiéme jour de Decembre, l'an de Grace mil ſix cens quatre-vingt-onze, & de nôtre Regne le quarante-neuviéme. Signé MOURET.

Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Maîtres Imprimeurs & Marchands Libraires le 31. Aouſt 1692.

Signé, P. AUBOUIN Syndic.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois, en vertu des Preſentes, le vingt-uniéme jour d'Aouſt 1692.



ERRATA.

Pag.	Lin.	Err.		Lege
10	10	Tert. l. 1. cont. Marc. c. 2		cap. 10
11	9	notam ſecundum ſe		notam eſſe ſecundum ſe
	22	quoad nos nota		notæ
12	12	S. Aug. lib. de mor. Manich. c. 5.		cap. 10
13	10	fecerit.		fecerit?
	13	Sap. 12		Sap. 13. v. 5.
	31	vegetas mole		vegetas molem
14	5	non eximere	dele	non
15	9	conſultò obruit		inconſultò obruit
16	6	Sic l. de Muſica		ſic l. 6. de Muſica
	29	l. de lib. 1. arb.		lib. 2. de lib. arb.
	Ibid.	lib. 1. de vera Relig.		dele 1.
17	2	lib. de mor. Manich. c. 18		lib. 2. de mor. Manich. c. 40
20	41	S. Baſ.		S. Greg. Mag.
21	10	l. de dono Inter. c. 13.		lib. de domo Inter. c. 6
22	12	S. Epiph. hær. 45.		hæreſi 66
	26	Theod l. 1 hæret. fabu. c. 18.		cap. 17
	35	probatur inſuper		Probatur 1.
23	12	ut unicus ſit,		ut unius ſit;
	21	Tert. l. 1 c. Marc. c. 30		c. 3.
24	23	Lact. l. 1. c. 3. & 19	dele	c. 19
25	9	Lact. l. 2. c. 14.		c. 15,
26	15	S. Aug. l 1. Conf. c. 3.		l. 1. de Civ. & l. 3.
28	33	Lact. l. 1. c. 17		c. 16
29	6	S. Aug. Fortunat		S. Aug. ad Fortunat.
30	23	ſtaret Apollo		ſtabat Apollo.
32	11	Euſeb l. 3. de præp. c. 13		c. 1.
	15	cap. 2		c. 13
33	14	Et c. 4.		lib 4
35	3	Lact. lib. 2. c. 11		c. 10
	23	Arnob. l. 7.		lib. 1.
	14	rubricatum		lubricatum
	24	Arnob. l. 9		lib. 6
	42	Sap. 13. v. 17.		v. 10
38	8	colligis		colliges
	20	Lact. lib. 10		lib. 1.
39	10	S. Greg. Niſſ. orat 8		orat 1. c. Eunom.
40	8	Lact. l. 2. c. 8		c. 7
	31	Euſ. l. 4. de præp. c. 1.		c. 2
44	2	Tert. l. 1. c. Marc. cap. 6.		c. 5
48	15	ad orationem		adorationem
	29	affirmatiuni		affirmativâ
54	20	S. Aug. l. 8. de Trin. c. 4		l. 5. de Trin. c. 8 & 9
55	11	S. Baſ. epiſt. 8		epiſt 80.
	30	inde		in Deo
56	39	S. Bern ſerm. 8 in Cant.		ſerm 81. in Cant.
61	39	S. Hil. l. 2. de Trin.		lib. 1.
62	19	Theodor. q. 20. in Exod.		Interpr. 20 in Geneſ.
	18	lib. 4. hiſt. c 10		c. 9
64	17	lib de Trin c 5		c. 6
65	31 & 35	S. Aug l. 5. de Trin. c. 10		c. 11
67	9	S. Baſ ep 14		epiſt. 141
	12	S. Greg. Naz orat. 15.		orat. 23
71	32	cap. 1. lib. de pudic.		c. 21
75	25	S Aug. epiſt. 102.		ep. 102.
	30	lib. 12. de civ c. 14.		c 17.
78	23	1. ad Tim. 6. v. 10		v. 16
	35	erat		eſſet
[illegible]	12	S. Aug. lib. 12.	adde	Confeſſ.
	26	Pſ. 5. v. 8.		Pſ. 89. v. 2
	[illegible]	Pſ. 104. v. 8		v. 28

ſo

